This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

Digitized by Google

Bl 2222.6 (1)

HARVARD
COLLEGE
LIBRARY

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

$11.05
the set
4 vols

VITA

JESU CHRISTI

DOMINI AC SALVATORIS NOSTRI

Digitized by Google

LUDOLPHUS DE SAXONIA

Parisiis. — Apud VICTOREM PALME.

Romæ. — Libraria S. Congr. de Propaganda Fide.

EDITIO NOVISSIMA

ANICII. — EX TYPIS M.-T. MARCHESSOU.

Digitized by Google

LUDOLPHUS DE SAXONIA

VITA
JESU CHRISTI

EX EVANGELIO ET APPROBATIS AB ECCLESIA CATHOLICA
DOCTORIBUS SEDULE COLLECTA

EDITIO NOVISSIMA

curante

L.-M. RIGOLLOT, Sac.

PARS PRIMA

I

PARISIIS

Apud VICTOREM PALME, Bibliopolam

25, VIA DICTA GRENELLE-S.-GERMAIN, 25

ROMÆ

LIBRARIA S. CONGREG. DE PROPAGANDA FIDE

Equ. MARIETTI, Soc.

M DCCC LXX

Digitized by Google

Bi 2222.6

HARVARD COLLEGE LIBRARY
FROM THE LIBRARY
OF F. L. GAY
NOV. 3, 1916

14272
5-4-130
28-4

Digitized by Google

ANGELO

QUI PRÆEST

ECCLESIÆ LINGONENSI

RR. IN CHRISTO PATRI

DD. JOANNI JACOBO MARIÆ ANTONIO GUERRIN

OMNIUM MEMOR BENEFICIORUM

HANC NOVISSIMAM EDITIONEM

MAGNÆ JESU CHRISTI A LUDOLPHO DE SAXONIA VITÆ

GRATI ANIMI MONUMENTUM

DEDICAVIT

LUDOVICUS MARIA RIGOLLOT

SACERDOS.

Digitized by Google

Digitized by Google

MONITUM AD LECTORES

Nemo est qui non fateatur opportunitatem, quin etiam necessitatem, præsertim malis hisce temporibus, cum multi jam pseudoprophetæ et Antichristi in mundum exierint, qui Jesum solvunt dum purum hominem ipsum prædicant, vel *confitentes se* eumdem ut *Deum nosse, factis tamen negant,* in mentibus resuscitandi supereminentem Christi scientiam, in quo unice salus æterna sperari potest : *Qui enim habet Filium, habet vitam; qui vero non habet Filium, vitam non habet.*

Ideo existimantes in re tanti momenti, tutius in alienis versari, quam de novo præsumptuose aliquid moliri, hanc Vitam Jesu Christi a Ludolpho olim exaratam, pristino tamen nitore restitutam, in lucem rursus edere statuimus. Ludolphus enim Senior, natione Saxo, professione Carthusianus, officio Argentinensis Prior, qui cum ad triginta annos in Prædicatorum familia sancte versatus fuisset, severioris disciplinæ desiderio ad Carthusianos convolavit, opus præstantissimum, quod Divus Thomas super Theologia Scholastica *Summam* ipsius conficiendo,

Digitized by Google

feliciter aggressus fuerat : et ipse super Vita Jesu Christi, eam ex quatuor Evangeliis, ex Latinis et Græcis Auctoribus, ac præsertim ex Patrum sententiis et Glossis, miro artificio quasi uno tenore contextuque conflando, aggressus est.

Quam vero Ludolphus noster apprime sacras litteras didicerit, et quantæ scientiæ pietatisque fuerit, præter alia ingenii sui documenta, ut Commentarios in Psalmos, etc., hæc Vita Christi abunde fidem faciet. Hic tamen libet afferre doctissimorum quorumdam virorum de Ludolpho Saxone censuram :

Ex Chronicis Hermanni Schedel.

Ludolphus Alemannus, ordinis Carthusiensium, Prior Argentinensis, vir doctrina et morum sanctitate conspicuus, hac ipsa tempestate peroptime Vitam Domini nostri Jesu Christi egregio volumine, et quodam cœlesti artificio, imo potius divina revelatione quam studio, fabricavit; in quo certe se ostendit venerabilem virum, et omnium rerum tam divinarum, quam humanarum, et potissimum ipsius Jesu Christi vitæ, prout potuit homini esse possibile, plenissimam habuisse notitiam; alia quoque laude digna hic devotus atque venerandus Pater edidit.

Ex Supplemento Supplementi Chronicorum Jacobi Philippi Bergomatis, Ordinis Eremitarum sancti Augustini.

Ludolphus Carthusiensis monachus, natione Teutonicus, patriaque Saxonicus, vir in divinis Scripturis admodum studiosus et eruditus, aliarum bonarum litterarum non igna-

Digitized by Google

rus, per hoc tempus apud Argentinense cœnobium existens, edidit magnæ devotionis ac profundæ eruditionis quædam præclara opuscula, in quibus ad evitandum otium ingenium exercitans, nomen suum immortalitati condonavit. E quibus exstat volumen magnum et insigne quidem, quod prænotavit : *De Vita Christi Jesu, in libros duos,* quod incipit : *Fundamentum aliud,* etc. Item perpulchre : *In Psalterium librum unum.* Feruntur etiam alia. Regnavit autem anno Domini 1334, sub Joanne XXII Papa, et Ludovico Bavaro Imperatore.

Ex Catalogo scriptorum Ecclesiasticorum Trithemii.

Ludolphus ordinis Carthusiensis in domo Argentinensi, natione Teutonicus, Saxonica terra oriundus, vir in divinis Scripturis studiosus et eruditus, et secularium litterarum non ignarus : ingenio mitis, eloquio dulcis et compositus, vita quoque et conversatione insignis, edidit magnæ devotionis et profundæ eruditionis quædam præclara opuscula, quibus ingenium nobiliter exercitans, nomen suum immortalitati condonavit. E quibus ego vidi tantum subjecta : Volumen magnum et insigne super Evangelio, quod prænotavit : *Vitam Domini Jesu, Lib. ij. Fundamentum aliud,* etc. — *In Psalterium quoque, Lib. j. Sicut olim manna,* etc. Feruntur ejus et alia. Claruit sub Ludovico Imperatore quarto, anno Domini M.CCC.XXX.

Ex lib. 4 Bibliothecæ Sixti Senensis.

Ludolphus natione Saxo, ex ordine Prædicatorum, post trigesimum suæ professionis annum, ad instituta Carthusianorum translatus, et in monasterio Argentinensi receptus, vir in Sanctis voluminibus studiosissimus, professione scho-

Digitized by Google

lasticus, sermone simplex, et fervidis quibusdam affectibus amabilis, collegit ex Hieronymi, Augustini, Cassiodori et Petri Lombardi sententiis exactam in Psalmos expositionem, in qua typicos sensus maxime sectatur, non ita tamen ut litteralem intelligentiam negligat; addens ad calcem cujuslibet Psalmi devotam et consonam ipsi Psalmo precationem. Operis initium est : *Sicut olim manna,* etc. Idem ex quatuor Evangelistis unicam collegit vitæ Christi historiam, quam lucidissimis et pissimis juxta quadruplicem sensum explanationibus illustravit, adjectis ad finem singulorum capitulorum devotissimis precationibus, præcedentis capituli argumento deservientibus. Opus incipit : *Fundamentum aliud,* etc. Claruit sub Ludovico Imperatore quarto, anno Domini 1330.

Ex Roberto Bellarmino S. R. E. Cardinali, de Scriptoribus Ecclesiasticis.

Landulphus, sive Ludolphus, natione Saxo, professione Carthusianus, vir valde pius, scripsit optimam historiam vitæ Domini nostri Jesu Christi ex Evangeliis depromptam. Scripsit etiam Commentarios in Psalmos, juxta sensum præcipue spiritualem. Claruit circa annum Domini 1330.

Hæc nova editio conformis est vulumini impresso Antuerpiæ, apud Joannem Keerbergium, anno MDLXXII, pluribus tamen mendis expurgatis ex editionibus Venetiana anni MDLXXII, et Lugdunensi anni MDLXXVII. Distinguitur autem ab aliis : 1° Quia textus Scripturæ sacræ, quando de verbo ad verbum vel fere, adhibentur, alio genere characteris, quem vocant *italicum,* impressi sunt. Quoad SS. Patrum et aliorum Au-

Digitized by Google

ctorum textus, si paucos excipias nimis adulteratos, nil in eis substituendum aut immutandum censuimus, licet sæpe melius habeantur in recentioribus editionibus, v. g. Monachorum Ordinis S. Benedicti e Congregatione S. Mauri, etc...; satius enim visum est, verba Patrum inserere, prout ipse Ludolphus in Mss. quibus usus est, ea legerat. 2° Quia quodlibet caput, ad majorem rerum intelligentiam, certis in numeris divisum est, appositis ubique notis, in quibus pro unoquoque operis paragrapho, sensum ipsius Ludolphi quasi medullitus confertum habeas; varii autem locupletissimique Indices, specialiter et de novo, pro hacce editione excusi, ad calcem adjiciuntur.

Et nunc in lucem, maximo emolumento Christiani nominis, prodeat hæc historia Jesu Christi, quæ fideliter et velut in imagine præsentem cuilibet Salvatorem exhibens, cujus omnis actio est nostra instructio, fortius et suavius omnes ad ejus sequelam alliciat; dixit enim : *Qui sequitur me, non ambulat in tenebris; sed habebit lumen vitæ.*

Calvomonte, in festo Transfigurationis D. N. J. C., anno 1869.

L. M. RIGOLLOT.

Digitized by Google

Digitized by Google

IN VITAM

JESU CHRISTI

PROŒMIUM

1 SALUTIS FUNDAMENTUM CHRISTUS. — *Fundamentum aliud nemo potest ponere,* ut ait Apostolus, *præter id quod positum est : quod est Christus Jesus.* Cum dicat *Augustinus* quod Deus est res summe sufficiens, et homo est res summe deficiens, et quod tale bonum Deus est, ut nemini eum deserenti bene sit : idcirco quicumque ruinam defectuum suorum evadere, et spiritu reparari desiderat, necesse est ei ut a fundamento prædicto non recedat, quia in eo omnimoda remedia suis necessitatibus inveniet.

2 PECCATOR INVITATUR AD VENIAM ET IMITATIONEM CHRISTI. — Primo itaque peccator cupiens peccatorum suorum sarcinam deponere, et ad requiem animæ pervenire, audiat Deum peccatores invitantem ad veniam, et dicentem : *Venite ad me, omnes qui laboratis,* scilicet labore vitiorum; *et onerati estis,* scilicet sarcina peccatorum; et *ego reficiam vos,* scilicet sanando, ac refovendo; *et invenietis requiem animabus vestris,* et hic et in futuro. Audiat ergo ægrotus pium et sollicitum medicum, et veniat ad ipsum per profundam contritionem, ac sollicitam confessionem, et studiosum propositum semper declinandi a malo, et faciendi bonum. Secundo peccator, sed jam in Christo fidelis effectus, tanquam ipsi per pœnitentiam reconciliatus, studeat diligentissime medico suo adhærere, et suam familiaritatem acquirere, ejus sanctissimam vitam recogitando omni qua poterit devotione. Caveat tamen provide, ne cursorie ipsam vitam legendo transeat; sed

Digitized by Google

seriatim aliquid de ea per diem accipiat : in quo sabbatum dedicatum piæ meditationis Christo quotidie celebrando, ac cogitationes et affectiones, orationes et laudes, totumque opus diei ad illud reducendo, in ipso delectetur : a tumultu exteriorum, et mundanorum impedimentorum requiescere, et suaviter obdormire : et ad illud, ubicumque fuerit, velut ad certum et pium refugium, contra vitiosas humanæ infirmitatis varietates, continue Dei famulos impugnantes, sæpe recurrere. Sæpius tamen recurrat ad præcipua Christi memorialia, videlicet : ad incarnationem, nativitatem, circumcisionem, epiphaniam, præsentationem in templo, passionem, resurrectionem, ascensionem, Spiritus Sancti effusionem, adventum ad judicium : causa specialis recordationis, et exercitationis, ac spiritualis recordationis, ac consolationis. Sic etiam ipsam vitam Christi legat, ut mores ejus pro posse imitari studeat. Parum enim prodest si legerit, nisi et imitatus fuerit. Unde *Bernardus* : « Quid tibi prodest, pium Salvatoris nomen lectitare in libris, nisi habere studeas pietatem in moribus? » Unde et *Chrysostomus* : « Qui legens de Deo, vult invenire Deum, festinet vivere digne Deo, et ipsa conversatio bona sit quasi lampas luminis ante oculos cordis ejus, viam veritatis aperiens. »

3 Vita Christi propter septem desideranda. — Ista vita in summo desiderio debet esse peccatori, propter multa. Primo, propter remissionem peccatorum. Cum enim fecerit de se judicium, se per confessionem accusando, per justitiam, pœnitentiam voluntariam assumendo, jam sollicite ambulans cum Deo suo prædicto modo meditando, purgatur non modicum a sordibus peccatorum. *Deus enim noster,* cui adhæret, *ignis consumens est, purgationem peccatorum faciens.* — Secundo, propter sui illuminationem. Ille enim cui assistit, *lux est in tenebris lucens,* cujus lumine illustratus docetur ordinate disponere vitam suam ad Christum, et cœlestia ad seipsum ac proximum, et terrestria. — Tertio, propter gratiam lacrymarum, valde necessariam peccatori in hac valle miseriæ, quam Christus, qui est fons hortorum, et puteus aquarum viventium, consuevit peccatoribus sibi adhærentibus dare. — Quarto, propter reparationem lapsuum quotidianorum, de quibus semper relevat Dominus sibi adhærentes, juxta illud : *Fac serpentem æneum, et pone eum pro signo; qui percussus aspexerit eum, vivet.* — Quinto, propter dulcem et desiderabilem degustationem, quam in se habet, juxta illud : *Gustate et videte, quoniam suavis est Dominus.* — Sexto, propter cognitionem paternæ majestatis, quæ per ipsum solum haberi potest, juxta illud : *Nemo novit Patrem nisi Filius, et cui Filius voluerit revelare.* — Septimo, propter securum exitum ab hac vita periculosa. Fidelis namque peccator, qui modo quotidie suscipit Christum in hospitio cordis sui, et lectulum floridum, per suaves meditationes eidem præparando, e converso post mortem requiretur, et suscipietur a Christo : ut sicut consuevit et concupivit semper, et in æternum sit cum ipso.

4 Hujus vitæ fructus. — Hæc vita est vita bona et irrigua, peccatores sibi adhærentes mundans et renovans, et eos cives Sanctorum, et domesticos Dei faciens. Est amabilis et dulcis ad conversandum : *Non enim habet amaritudinem conversatio illius, nec tædium convictus ipsius; sed lætitiam et gau-*

Digitized by Google

dium. Est deliciosa, et suavis, cetera quæ hanc non sapiunt fastidiens exercitia, cum aliquandiu pio corde fuerit frequentata. Est pascens et reficiens, nam secundum *Ambrosium,* qui domicilio Christum recipit interno, maximis delectationibus exuberantium pascitur voluptatum. Est consolatoria solitario et quidem optimus comes jugis jucunditatis, solatiique, et confortationis, ac *turris fortitudinis a facie inimici, et a tribulatione* et tentatione *peccatoris.* Hæc est vita plana et facilis ad contemplandum Creatorem, de qua nullus excusare se potest; sicut de contemplatione summæ majestatis, ad quam nemo raptim potest pertingere, nisi proficiendo per istam vitam nostri Redemptoris. Hanc quicumque incipientes et parvuli, quicumque proficientes et perfecti possunt habere, et in ea invenire bonum nidum sibi, ubi tanquam turtures reponant, et abscondant casti amoris pullos, quisque pro sua capacitate. Hæc vita multum reddit Sanctos Dei favorabiles, pios, et benignos cultoribus suis, propter ipsum qui nobis cum illis commune est gaudium. Numquid, verbi gratia, beata Virgo, mater misericordiæ, pietatis, et gratiæ poterit te despicere, vel oculos suos a te avertere, quamvis sis peccator, quando non solum semel in die viderit, sed et frequenter Filium suum quem super omnia diligit, in brachiis tuis et inter ubera tua commorantem? Numquid poterit te cum Filio suo, quem portas, deserere, quando viderit te prædicto modo, Filium suum tam sollicite per singula comitantem, et eidem pietatis officia, devotionis ministerium, per dies singulos exhibentem? Nullo modo. Sic et ceteri Sancti libentissime respiciunt illos, cum quibus Deus placatus habitare dignatur, cum ista vita faciat cultores suos consortes illorum, quia est et vita ipsorum. Plane hæc vita est vita beatæ matris Christi, ipsi sedule ministrantis in annis pluribus, et famulantis. Hæc est vita Apostolorum Christo familiariter adhærentium, et cum eo fideliter perseverantium. Hæc est vita civium supernorum Christo fruentium, et ejus opera mirabilia admirantium, et sibi reverenter assistentium in æternum. Hæc vita est optima pars, scilicet sedere ad pedes Christi, et audire verbum ejus. Unde merito a possessore suo ipsam modo per gratiam colente, non aufertur : quia ipsa est retributio illa quæ servo fideli et prudenti promittitur; et hic incipiens, in æternitate perficietur. Hanc vitam nulla lingua laudare sufficit, adeo bona est, et sancta, et super omnes vitas dignissima, cum sit initium cujuslibet altioris contemplationis, ac vitæ angelicæ et æternæ, quæ speratur in patria. An parum est tibi continue cum Christo esse, *in quem desiderant Angeli* semper *prospicere?* Si vis in æternum regnare cum Christo, incipe regnare modo, et noli deserere eum, cui servire regnare est.

5 Compendium vitæ Christi. — Appropinqua ergo ad ipsum pio corde, ut descendenti, scilicet de sinu Patris, in uterum Virginis, quasi alter testis, cum Angelo sanctæ conceptionis existas in pura fide : et congratulare Virgini matri, sic propter te fœcundatæ. Adesto ejus nativitati, et circumcisioni, quasi bonus nutritius, cum Joseph. Vade cum Magis in Bethleem, et adora cum eis parvulum regem. Adjuva cum parentibus portare puerum, et præsentare in templum. Comitare cum Apostolis pium pastorem, gloriosa miracula facientem. Adesto morienti, cum beata matre ejus, et Joanne, ad

Digitized by Google

compatiendum, et condolendum sibi : et quadam pia curiositate palpando, tracta singula vulnera Salvatoris tui, propter te sic mortui. Quære resurgentem cum Maria Magdalena, donec merearis invenire. Admirare in cœlum ascendentem, quasi inter discipulos in monte Oliveti existens. Sede cum Apostolis in conclavi, et abscondere ab exterioribus singulis, ut virtute Spiritus Sancti, ex alto indui merearis. Et si pio ac humili et devoto corde sic eum modico tempore fueris prosecutus in terris, ipse te sublevabit ad se sedentem in dextera Dei Patris in cœlis, secundum quod promisit fideli peccatori sibi adhærenti, dicens : *Qui mihi ministrat, me sequatur : et ubi ego sum, illic et minister meus erit.* Quicumque ergo fidelis peccator hanc vitam amabiliter amplexatus fuerit, non dubitet quin Christus eum in filium adoptaverit. Unde scriptum est in Proverbiis : *Ego diligentes me diligo.* Unde et *Bernardus* : « Qui non placet Deo, non potest illi placere Deus. Nam cui placet Deus, Deo displicere non potest. » Caveat tamen prudenter fidelis peccator, ut nunquam in quocumque statu fuerit, confidentiam in meritis suis habeat; sed tanquam mendicus pauperculus, omnino nudissimus, ad eleemosynam Dominicam mendicandam, semper vacuus accedat. Hæc autem faciat, non quasi ex humilitate ficta, merita sua abscondens, sed certissime sciens quod *non justificabitur in conspectu Dei omnis vivens.* Etiam solius cogitationis nostræ non possumus rationem reddere, si ipse voluerit nobiscum in judicium intrare. Isto autem modo quantumcumque se ingerat, cum pio tamen timore et reverentia, ad bonum Dominum peccatores vocantem, præsumptuosus non reputabitur : sicut pauperes seculi, quanto nudiores sunt, cum se non tanquam dignos, sed tanquam miseriores propius ingerunt, ad eleemosynam divitis mendicandam, præsumptuosi vel superbi non dicuntur, sed a benignis divitibus, misericordius respiciuntur.

6 S. Bernardus vitam Christi frequentavit. — Hanc vitam beatus *Bernardus* plurimum frequentavit, qui fasciculos myrrhæ, id est cumulum amaritudinis, ex vita et laboribus Christi colligens, et inter ubera sua, id est, affectiones suas collocans, sic ait : « Tu quoque si sapis, imitaberis sponsæ prudentiam, atque myrrhæ tam charum fasciculum de principali tui pectoris : nec ad horam patieris avelli, et amara illa omnia, quæ pro te pertulit semper in memoria retinens, et assidua meditatione revolvens; quo possis dicere et tu : *Fasciculus myrrhæ, dilectus meus mihi inter ubera mea commorabitur.* Et ego, fratres, ab ineunte mea conversatione, pro acervo meritorum, quæ mihi deesse sciebam, hunc mihi fasciculum colligare, et inter ubera mea collocare curavi, collectum ex omnibus anxietatibus et amaritudinibus Domini mei. Primum scilicet, infantilium illarum necessitatum; deinde laborum, quos pertulit in prædicando; fatigationum, in discurrendo; vigiliarum, in orando; tentationum, in jejunando; lacrymarum, in compatiendo; insidiarum, in colloquendo; postremo periculorum, in falsis fratribus; conviciorum, sputorum, colaphorum, subsannationum, exprobrationum, clavorum, horumque similium, quæ in salutem nostri generis, silva evangelica copiosissime noscitur protulisse. Ubi sane inter tot odoriferæ myrrhæ hujus ramusculos, minime prætermittendam putavi etiam illam myrrham

Digitized by Google

qua in cruce potatus est, sed neque illam qua unctus est in sepultura. Quarum in prima applicuit sibi amaritudinem meorum peccatorum; in secunda, futuram corruptionem mei corporis dedicavit. *Memoriam abundantiæ suavitatis tuæ eructabo,* quoad vixero. *In æternum non obliviscar* miserationes istas, *quia in ipsis vivificasti me,* et justificatus sum. Hæc meditari, dixi sapientiam; in his justitiæ perfectionem mihi constitui; in his plenitudinem scientiæ; in his divitias salutis; in his copias meritorum. Ex his mihi interdum potus salutaris amaritudinis. Ex his rursum suavis unctio consolationis. Hæc me erigunt in adversis, in prosperis deprimunt. Et inter læta tristiaque vitæ præsentis, via regia incedendi tutum præbent utrobique ducatum, hinc inde mala imminentia propulsando. Hæc mihi conciliant mundi Judicem, dum tremendum potestatibus, mitem humilemque figurant; dum non solum placabilem, sed et amicabilem repræsentant eum, qui inaccessibilis est principibus, terribilisque apud reges. Præterea hoc mihi in ore frequenter, sicut vos scitis. Hæc in corde semper, sicut scivit Deus : hæc stilo meo admodum familiaria, sicut apparet. Hæc mea sublimior interim philosophia, *scire Jesum Christum, et hunc crucifixum;* hunc et vos, dilectissimi, tam dilectum fasciculum colligite vobis. Mementote quia *accepit eum Simeon in ulnas;* Maria gestavit in utero; fovit in gremio; sponsa sibi inter ubera collocavit. Arbitror Joseph super genua, illi frequenter arrisisse. Hi omnes ante se eum habuerunt, et nullus retro. Exempla igitur sint vobis, ut et vos similiter faciatis. Si enim ante oculos habueritis quem portatis, pro certo videntes angustias Domini, levius et vestras portabitis : » hæc *Bernardus.* Sed quia ista multi minime cogitant, statim fatiatis sunt : quia si ista cogitarent, non ita cito de bono opere fatigati essent.

7 COMMENDATUR MEDITATIO VITÆ CHRISTI. — Hanc etiam vitam, beata Cæcilia virgo legitur habuisse. Nam inter alia virtutum et laudum præconia, de ea scribitur, quod Evangelium Christi, absconditum semper in pectore portabat; quod sic intelligi videtur, quod ipsa de vita Domini Jesu in Evangelio tradita, quædam devotiora sibi præelegerat, in quibus die ac nocte, corde puro et integro, attentione præcipua et ferventi meditabatur. Et completa circulatione iterum repetens, ac dulci et suavi gustu ruminans, ea in arcano pectoris sui prudenti consilio collocarat. Simile tibi suadeo faciendum. Super omnia namque spiritualis exercitii studia, hoc magis necessarium credo, magisque proficuum, et quod ad celsiorem possit perducere gradum. Nusquam enim invenies ubi sic doceri possis contra vana blandimenta et caduca; contra tribulationes et adversa; contra hostium tentamenta et vitia, sicut in vita Domini Jesu, quæ fuit absque omni defectu perfectissima. Ex frequenti enim et assidua meditatione vitæ ipsius, adducitur anima in ejus amorem, ac confidentiam et familiaritatem : ita quod stabilitur contra vana et caduca, ut ea vilipendat et contemnat. Ut patet in prædicta beata Cæcilia, quæ ita cor suum de vita Christi repleverat, quod in ipsam vana intrare non poterant. Unde in pompa nuptiarum, ubi tot vana geruntur, existens, cantantibus organis, ipsa stabili corde, soli Domino decantabat, dicens : *Fiat, Domine, cor meum immaculatum, ut non confundar.* Fortificatur quoque contra tribulationes, et adversa, ut ea minus timeat et sen-

Digitized by Google

tiat : ut patet in martyribus. Unde *Bernardus :* « Idcirco denique audit *columba mea in foraminibus petræ,* quod in Christi vulneribus tota devotione versetur, et jugi meditatione demorerur in illis. Inde martyri tolerantia; inde illi fiducia magna apud Altissimum. Vult benignus dux devoti militis vultum et oculos in sua sustolli vulnera : ut illius ex hoc animum erigat, et exemplo sui reddat ad tolerandum fortiorem. Enimvero non sentiet sua, dum illius vulnera intuebitur. Stat martyr tripudians et triumphans, toto licet lacerato corpore, et rimante latera ferro : nec modo fortiter, sed hilariter sacrum e carne sua circumspicit ebullire cruorem. Ubi ergo tunc anima martyris? nempe in tuto, nempe in petra, nempe in visceribus Jesu, vulneribus nimirum patentibus ad introeundum. Si enim in suis esset visceribus, scrutans ea, ferrum profecto sentiret, dolorem non ferret, succumberet et negaret. Nunc autem in petra habitans, quid mirum si in modum petræ duruerit? Sed neque mirum si exul a corpore, dolores non sentiat corporis : neque hoc facit stupor, sed amor : submittitur enim sensus, non amittitur : nec deest dolor, sed contemnitur. Ergo ex petra martyris fortitudo : » hæc *Bernardus.*

8 VIRTUTUM OMNIUM EXEMPLA IN CHRISTO. — Inde quoque est quod multi confessores, et etiam alii, in laboribus, et tribulationibus, et infirmitatibus suis, non solum patientes, sed et hilares fuisse et esse reperiuntur; quia ex devota meditatione vitæ et passionis Christi, eorum animæ non in eorum corporibus et visceribus, sed Christi fuisse et esse videntur. Instruitur contra hostium tentamenta et vitia, ut in faciendis et omittendis, errare aut falli non valeat : cum ibi perfectionem omnium virtutum reperiat. Nam paupertatis, humilitatis, charitatis, mansuetudinis, obedientiæ, patientiæ, ceterarumque virtutum exempla et doctrinam, nusquam sic invenies, sicut in vita Domini virtutum. Quidquid enim virtutum in Ecclesia habetur, ab ipso Christo per exempla operum illius trahitur. Unde *Bernardus* : « Quid vobis cum virtutibus, qui Dei virtutem Christi ignoratis? Ubinam, quæso, vera prudentia, nisi in Christi doctrina? Ubi vera justitia, nisi in Christi misericordia? Ubi vera temperantia, nisi in Christi vita? Ubi vera fortitudo, nisi in Christi passione? Soli igitur qui ejus doctrina imbut sunt, prudentes dicendi sunt. Soli justi, qui de ejus misericordia veniam peccatorum consecuti sunt. Soli temperantes, qui ejus vitam imitari student. Soli fortes, qui ejus sapientiæ et patientiæ documenta fortiter in adversis tenent. Incassum proinde quis laborat in acquisitione virtutum, si aliunde eas sperandas putat, quam a Domino virtutum : cujus doctrina, seminarium prudentiæ; cujus misericordia, opus justitiæ; cujus vita, speculum temperantiæ; cujus mors, insigne est fortitudinis. » Unde et *Gregorius :* « Quid est quod dilectum suum sponsa, non myrrham, sed fasciculum myrrhæ nominat? nisi quod dum sancta mens Christi vitam ex omni parte considerat, contra omnia vitia ex ejus imitatione, virtutes repugnantes congregat : ex quibus sibi fasciculum aptat, quo carnis suæ sempiternam putredinem abstergat. » Unde etiam *Augustinus :* « Cum omnibus modis medeatur animis Deus, pro temporum opportunitatibus, quæ mira sapientia ejus ordinantur, nullo modo beneficentius consuluit generi humano, quam cum ipsa Dei sapientia, id est, Filius unicus, consubstantialis Patri et coæternus,

Digitized by Google

totum hominem suscipere dignatus est : *Et Verbum caro factum est, et habitavit in nobis.* Satellites voluptatum divitias perniciose populi appetebant, pauper esse voluit; honoribus et imperiis inhiabant, rex fieri noluit; carnales filios magnum bonum putabant, tale conjugium prolemque contempsit; contumelias superbissime horrebant, omne genus contumeliarum sustinuit. Injurias intolerabiles esse arbitrabantur, quæ major injuria est quam justum innocentemque damnari? Dolores corporis execrabantur, flagellatus atque cruciatus est; mori metuebant, morte mulctatus est; ignominiosissimum mortis genus crucem putabant, crucifixus est. Omnia quæ habere cupientes non vitabamus, carendo vile fecit : omnia quæ vitare cupientes a studio deviabamus, percipiendo dejecit. Non enim ullum peccatum committi potest, nisi dum appetuntur ea quæ ille contempsit, aut fugiuntur quæ ille sustinuit. »

9 TOTA VITA CHRISTI INSTRUCTIO ET DISCIPLINA.—Tota itaque vita ejus in terris, per hominem quem suscipere dignatus est, disciplina morum fuit. Unde iterum *Augustinus :* « Concedamus non apparere nunc homines dignos imitatione : quisquis hæc putas, mente Deum intuere, qui homo factus est, ut hominem vivere doceret. Recordare quid sit illud quod Joannes ait : *Qui dixit se in Christo manere, debet sicut ille ambulavit, et ipse ambulare;* et ita nec deerit tibi quem sequeris, quia omnis Christi actio est nostra instructio. Item alibi habemus de passione Domini : *Exemplum enim dedi vobis, ut quemadmodum ego feci, ita et vos faciatis.* » Unde *Beda :* « Qui dicit se in Christo manere, debet sicut ille ambulavit et ipse ambulare : quod est, non ambire terrena, non caduca lucra sectari, fugere honores, omnem mundi contemptum pro cœlesti gloria amplecti, libenter cunctis prodesse, injurias nulli inferre, et sibi illatas, patienter sufferre, sed et inferentibus a Domino veniam postulare; nunquam suam, sed Conditoris gloriam semper quærere, et quos secum valet, ad superna erigere. Hæc et hujusmodi gerere, est vestigia Christi sequi : » hæc *Beda.* Christi itaque vestigia sequi debemus : « Quia, ut ait *Ambrosius,* in agnitione Christi, omnem salutem et sapientiam habemus. Et iterum : Omnia habemus in Christo, et omnia nobis Christus. Si vulnerum curatorem desideras, medicus est; si febribus æstuas, fons est; si gravaris iniquitate, justitia est; si indiges auxilio, virtus est; si mortem times, vita est; si tenebras fugis, lux est; si cœlum desideras, via est; si cibum quæris, alimentum est : » hæc *Ambrosius.* Et ideo bene per quemdam sapientem dicitur :

Hoc est nescire, sine Christo [plurima scire;
Si Christum bene scis, satis est; [si cetera, nescis.

Utinam sapientes hujus mundi hoc saperent et intelligerent, et scientiam suam in hanc commutarent! Qui ergo Christum sequitur, errare vel falli non potest : ad cujus virtutes imitandas et adipiscendas, ex frequenti meditatione vitæ ipsius cor accenditur et animatur, ac divina virtute illuminatur : adeo ut plures fuerint illiterati et simplices, qui magna et profunda Dei inde cognoverunt, quia ibi invenitur unctio, quæ paulatim purificans animam et elevans, docet de omnibus.

10 EST NOBIS QUASI SPECULUM. — In omnibus itaque virtutibus et bonis moribus, semper præpone tibi

Digitized by Google

illud clarissimum speculum et totius sanctitatis exemplar, scilicet vitam et mores Filii Dei Domini nostri Jesu Christi, qui ad hoc de cœlo nobis missus est, ut præiret nos in via virtutum, et legem vitæ ac disciplinæ suo nobis daret exemplo, et erudiret nos sicut semetipsum : ut sicut ad imaginem ejus naturaliter creati sumus, ita ad morum ejus similitudinem, per imitationem virtutum, pro nostra possibilitate reformemur, qui ejus imaginem in nobis per peccatum fœdavimus. Quantum autem quisque se ei in virtutum imitatione conformare studuerit, tantum ei in patria, in gloriæ claritate propinquior et clarior erit. Percurre ergo singulas quasque ætates Christi, virtutesque ejus per singulas, et sicut fidelis discipulus pro posse studeas imitari. In labore etiam exteriori et interiori, recordare laborum et adversitatum Christi : et quandocumque in aliquo gravaris, statim ad ipsum pium patrem pauperum, tanquam parvulus ad matris gremium curre; totum te illi revela, totum committe, totum in ipsum jacta et projice, et ipse procul dubio tempestatem sedabit, et relevabit te. Non solum autem vigilans Domino Jesu intendas, sed et cum corpus strato recolligis, et caput reclinatorio imponis, sit tibi quasi cum beato Joanne super pectus Jesu recumbens; sicque recumbens super pectus Jesu suge ubera ejus, et in pace in idipsum dormies et requiesces. Et universaliter in omnibus dictis et factis tuis, quasi ad exemplar respicias in Jesum, incedens et stans, sedens et jacens, comedens et bibens, loquens et tacens, solus et cum aliis : ex hoc enim magis eum diliges, et familiaritatis ejus gratiam et fiduciam majorem assequeris, et in omni virtute perfectior eris. Et hæc sit sapientia tua, et studium tuum semper de Jesu aliqua cogitare, unde provoceris ad imitandum, vel efficiaris ad amandum ipsum. Talia enim meditando, et tempus utiliter expendes, dum occuparis in bonis studiis et divinis, circa Dominum Jesum; et mores tuos emendabis ad formam vitæ ipsius, dum in omnibus agendis semper ad ipsum respicis, omnis perfectionis speculum et exemplum : et quanto magis has frequentaveris meditationes, tanto magis eas tibi reddes familiares, et facilius tibi occurrent, et jucundius te reficient.

II METHODUS QUO MEDITANDA EST VITA CHRISTI. — Vidisti ergo ad quem excelsum gradum meditationes vitæ Christi perducunt : nunc in ipsas meditationes te aliqualiter introducere tentabo, non omnia quæ in Evangelio scripta sunt pertractando, sed quædam devotiora ex his eligendo. Nec credas quod omnia quæ Christum dixisse vel fecisse meditari possumus scripta sunt, sed ad majorem impressionem ea tibi sic narrabo prout contigerunt, vel contigisse pie credi possunt, secundum quasdam imaginativas repræsentationes, quas animus diversimode percipit. Nam circa divinam Scripturam meditari, intelligere, et exponere, multifarie possumus, prout credimus expedire, dummodo non sit contra veritatem vitæ, vel justitiæ, aut doctrinæ, id est, non sit contra fidem, vel bonos mores. Quicumque vero asserit de Deo aliquid quod non est tibi certum, vel per naturalem rationem, vel per synderesim, vel per fidem, vel per sacram Scripturam, præsumit et peccat. Cum ergo me narrantem invenies, ita dixit vel fecit Dominus Jesus, seu alii qui introducuntur; si id per Scripturam probari non possit, non aliter accipias quam de-

Digitized by Google

vota meditatio exigit: hoc est, perinde accipe ac si dicerem : Meditor quod ita dixerit vel fecerit bonus Jesus; et sic de similibus. Tu autem si ex his fructum sumere cupis, toto mentis affectu, diligenter, delectabiliter, et morose, omnibus aliis curis et sollicitudinibus tunc omissis, ita præsentem te exhibeas, his quæ per Dominum Jesum dicta vel facta sunt, et ex his quæ narrantur, ac si tuis auribus audires, et oculis videres, quia suavissima sunt ex desiderio cogitanti, et multo magis gustanti. Et ideo quamvis multa ex his tanquam in præterito facta narrantur, tu tamen omnia tanquam in præsenti fierent, mediteris : quia ex hoc majorem sine dubio suavitatem gustabis. Lege ergo quæ facta sunt, tanquam fiant; pone ante oculos gesta præterita tanquam præsentia, et sic magis sapida senties et jucunda.

12 Loci notificatio aliquando prodest. — Unde et quandoque annotavi loca, in quibus hæc vel illa sunt facta, quia multum valet homini cum audit Evangelium legi, et hoc vel hoc factum tali loco gestum, cum rem gestam scit et loci situm. Ad terram enim sanctam, quam universæ Christi Ecclesiæ nocte dieque sociare non desinunt, quam bonus ille Jesus inhabitando, et verbo vel doctrina illuminando, illuminatam suo sacratissimo sanguine consecravit, delectabile est aspirare; sed delectabilius eam oculis corporis intueri, et mentis intellectu revolvere, quomodo in locis singulis, in ea nostram salutem Dominus operatus sit. Quis enim enarrare sufficit, quot devoti discurrentes per loca singula, in spiritu vehementi osculantur terram, amplectuntur loca in quibus dulcem Jesum, vel stetisse, vel aliquid egisse audierunt? Nunc tundunt pectus, nunc fletus, nunc gemitus, nunc suspiria emittentes, gestu corporis et devotionis quam foris ostendunt, et absque dubio intus habent, in lacrymas provocant, plerumque etiam Saracenos. Quid dicam de Patriarchis Jacob, Joseph, et fratribus ejus, qui quia vivi in terra illa esse non potuerunt, elegerunt in ea mortui sepulturam? Quid plura? Tarditas ingemiscenda est Christianorum nostri temporis, qui tot exempla habentes, tardi sunt de manibus inimicorum eruere terram, quam consecravit sanguine suo Jesus Christus.

13 Dominum in omnibus intueri debemus. — Et nota pro regula generali, quod ubicumque in sequentibus meditationes singulares non inveneris, sufficit tibi quod rem per Dominum Jesum dictam vel gestam, ante mentis oculos ponas, et cum eo converseris, ac familiaris ei fias. Nam in hoc videtur haberi major dulcedo, et devotio efficacior, et quasi totus fructus harum meditationum consistere, ut ubique et semper intuearis eum devote in actu suo et moribus; ut quando stat cum discipulis suis, quando cum peccatoribus; quando loquitur, et quando prædicat; quando vadit et quando sedet; quando dormit et quando vigilat; quando comedit et quando aliis ministrat; quando sanat ægrotos, et quando alia miracula facit : describens tibi in corde tuo mores ejus et actus, quam humiliter se habuit inter homines, quam benigne inter discipulos, quam misericors fuit super pauperes, quibus se similem per omnia fecerat, et qui familia ejus specialis videbantur; quomodo nullum sprevit vel horruit, etiam si leprosus esset; quomodo divitibus non adulabatur; quam liber fuit a curis mundi, nec anxius pro corporis necessitatibus; quam patiens ad contumelias, et quam mitis in responsis; non enim studuit se ver-

Digitized by Google

bo mordaci et amaro vindicare, sed blando et humili responso alterius malitiam sanare; quam compositus in omnibus gestibus suis fuit, quam sollicitus de animarum salute, quarum etiam amore dignatus est mori; quomodo seipsum præbuit exemplum omnis boni; quam compatiens afflictis fuit; quomodo infirmorum imperfectioni condescendit, quomodo peccatores non sprevit; quam clementer pœnitentes suscepit, quam obediens fuit parentibus, quam promptus in ministrando omnibus; unde ipse ait: *Ego in medio vestrum sum, sicut qui ministrat;* quomodo omnem jactantiam, et omnem singularitatis ostentationem declinavit, quomodo omne scandalum cavit; quam modeste in edendo et bibendo se habuit, quam verecundus in visu fuit, quam studiosus ad orationem, quam sobrius ad vigilias, quam patiens laboris et penuriæ, et quam placidus in omnibus fuit. Et similiter secundum hunc modum, in omnibus dictis et factis, quæ de Christo legeris vel audieris, meditare mores et gestus suos qualiter ipse in omnibus se habuerit, vel habere potuerit secundum tuam æstimationem : quia in omnibus semper optimo et perfectissimo modo se gerebat, qui in omnibus semper optimus et perfectissimus est. Erat enim aspectu dulcis, colloquio suavis, et omni conversatione benignus. Et maxime contemplare faciem ejus, si potes eam imaginari, quod supra omne videtur difficilius, sed forte reficeret jucundius. Et istud sit tibi pro doctrina, et recursu omnium quæ sequuntur, ut ubicumque dictum vel factum narrabitur, si aliter singulares meditationes non fuerint expressæ, vel etiam istæ generales fuerint omissæ, recurras ad hunc locum, et sufficit tibi quod hic generaliter dictum est.

14 Formæ Christi descriptio. — Ut autem Christi faciem et formam, seu figuram ejus totam, et ex his actus, seu mores suos et gestus melius valeas meditari, quædam de his alibi scripta, hic inserere utile judicavi. Legitur enim in libris annalibus apud Romanos existentibus, quod Jesus Christus, qui dictus fuit a gentibus Propheta veritatis, staturæ fuit proceræ, mediocris et spectabilis, vultum habens venerabilem, quem possent intuentes, et diligere et formidare; capillos habens ad modum nucis avellanæ permaturæ, fere usque ad aures, ab auribus cincinnos crispos, aliquantulum cerulæos, ab humeris ventilantes; discrimen habens in medio capitis, juxta morem Nazarenorum; frontem planam et serenissimam, cum facie sine ruga et sine macula, quam rubor moderatus venustavit : nasi, prorsus et oris nulla fuit reprehensio; barbam habens copiosam et impubem, capillis concolorem, non longam, sed in mento bifurcatam; aspectum simplicem et maturum, oculis glaucis, variis, et claris existentibus. In increpatione erat terribilis, in admonitione blandus et amabilis; hilaris, servata gravitate. Aliquando flevit, sed nunquam risit. In statura corporis propagatus et rectus : manus et brachia visui delectabilia. In colloquio gravis, rationabilis, rarus, et modestus : et ideo merito secundum Psalmistam dicitur *Speciosus forma præ filiis hominum :* hæc ubi supra.

15 Evangelii commendatio. — Inter omnes ergo Scripturas, præcipue Evangelium, quod secundum *Augustinum* inter omnes divinas auctoritates quæ sacris litteris continentur, merito præcellit, studeas præ manibus semper habere, et in corde tuo jugiter circumferre : quia

Digitized by Google

hoc te de vita et moribus Domini nostri Jesu Christi, et de omnibus ad salutem necessariis, poterit clarius edocere. Nam secundum *Chrysostomum*, in Evangelio totius perfectionis naturæ rationalis summa continetur. Et secundum *Hieronymum*, Evangelia Legis impletio sunt, et in his præcepta et exempla vivendi plenissime sunt digesta. Unde *Chrysostomus* : « Oportuerat quidem nihil nos indigere auxilio litterarum, sed tam mundam in omnibus exhibere vitam, ut illarum vice, gratia spiritus, uteremur, et sicut atramento paginæ, ita corda nostra inscriberentur a Spiritu. Quia vero hanc a nobis exclusimus gratiam agere, vel secundas divitias expectemus, et intendamus his quæ scripta sunt. Non enim propterea datæ sunt Scripturæ, ut in libris eas habeamus solum, sed ut in cordibus conglutinemus eas. Si enim domum ubicumque fuerit Evangelium positum, non audebit accedere diabolus, multo magis animam intelligentias habentem, tales et circumferentem non tanget unquam, neque superveniet ei dæmon, neque peccati natura. Sanctifica igitur animam, sanctifica corpus tuum, hoc in lingua et in corde semper habens; si enim turpiloquium sordidat, et dæmones vocat, manifestum est quod spiritualis lectio sanctificat, et spiritus evellit gratiam. Attendamus igitur, dilecti, Scripturis : et si nullum aliud, Evangelia saltem circumstudiosa nobis fiant, et hæc præ manibus habeamus. Confestim enim expandens libros, si permanseris usque ad finem, omnia respues mundana, omnia deridebis quæ hic sunt. Et si dives fueris, nihil reputabis divitias; et si inops fueris, non confunderis inopia; non rapies, non avarus eris; sed concupitor eris magis inopiæ, et despicies divitias. Si vero hoc fiet, omnia exterminabis mala. Multa alia est lucrari, quæ non est nunc secundum partem dicere; sciunt autem qui experientiam susceperunt.» Et iterum : « Quid igitur unquam ex Evangeliis æquale fiet? Utique Deus conversatur in terris, homo ascendit in cœlum, et facta est omnium una permixtio : Angeli cum hominibus chorum faciebant; homines Angelis communicabant, et aliis cœlestibus supernisque Virtutibus. Et erat videre antiquum prælium repensum, dæmones fugientes, mortem peremptam, paradisum apertum, maledictionem remotam, peccatum de medio sublatum, errorem expulsum, veritatem reversam, pietatis sermonem ubique seminatum et vegetatum, cœlestem conversationem in terræ regione plantatam, supernas Virtutes familiariter nobiscum loquentes, et ad terras sæpe Angelos ventitantes : ex hisque omnibus spem firmari certissimam futurorum. Propterea igitur Evangelium ista vocatur historia, quasi scilicet omnia alia verba inania doceantur, quibus solent præsentia promitti. Quæ vero piscatorum annuntiata sunt verbis, proprie ac vere Evangelia nominantur : quia cum omni nobis facilitate donata sunt. Non enim laboribus nostris atque sudoribus, non doloribus et ærumnis, sed per Dei tantummodo in nos charitatem, tam grandia hæc promissa suscepimus : » hæc *Chrysostomus*. Unde et *Augustinus* : « Evangelii nomen Latine interpretatur *bonus nuntius*, vel *bona annuntiatio*, quod quidem cum aliquid bonum annuntiatur, semper dici potest : proprie tamen hoc vocabulum obtinuit annuntiatio Salvatoris. Narratores quippe originis factorum dictorumque Domini nostri Jesu Christi proprie dicti sunt Evangelistæ. »

Digitized by Google

16 EVANGELISTÆ NON SEMPER RERUM GESTARUM ORDINEM SERVAVERUNT. — Sed antequam ad Evangelii historiam accedamus, scias quod quædam per Evangelistas salubriter, directione Spiritus Sancti, aliquando anticipando, vel præoccupando, quæ post dicenda erant; aliquando rememorando, vel recordando quæ omiserant, et aliquando recapitulando vel repetendo quæ dicta fuerant, posita sunt : quæ quamvis aliter conscribi non deberent quam per eos, summe utiliter sunt dictata : quia secundum *Augustinum* probabile est, quod unusquisque Evangelistarum, eo se ordine credidit debuisse narrare, quo Deus voluit ejus recordationi suggerere. Ne tamen turbari possit devotio parvulorum, locis debitis, quodam ordine alio, prout res gesta, vel dicendi congruentia, exigere videbatur, in sequentibus per ordinem situantur. Non tamen affirmo quod hic sit verus ac certus et debitus rei gestæ ordo descriptus, quia talis vix ab aliquo reperitur expressus. In ipso autem Evangelio, reperies Verbi incarnati historiam, mandata et promissa, in quibus habes viam, veritatem, et vitam. Christi igitur exemplo nosce, quia bene vivere possis, præceptis bene vivere scias, promissis bene vivere velis. His itaque tribus, tria pulsare necesse est, scilicet : impotentiam, ignorantiam, negligentiam. Ignorans ignorabitur; negligens vero nescietur; nequam simulator impotentiæ nihilominus ejicietur.

17 EXHORTATIO AD ANIMAM DEVOTAM. — Expergiscere ergo, anima Christo devota; evigila, omnis anima Christiana; et singula quæ de Christo Jesu dicuntur, diligenter discute, considera attente, morose pertracta, et Domini tui imitare vestigia. Ille propter te de cœlesti sede descendit ad terrena; tu propter te fuge terrena, appete cœlestia. Si dulcis est mundus, dulcior est Christus; si amarus est mundus, omnia propter tesustinuit Christus. Surge et ambula, noli pigrescere in via, ne locum perdas in patria.

Oratio auctoris in librum vitæ Christi.

Domine Jesu Christe, Fili Dei vivi, concede mihi fragili et misero peccatori vitam et mores tuos præ oculis cordis semper habere, et pro mea possibilitate imitari; facque me in ipsis proficere et crescere in virum perfectum, et in templum sanctum in Domino. Illustra, quæso, cor meum lumine gratiæ tuæ, quæ me jugiter præveniat et sequatur : ut te ductorem in omnibus viis meis habens, cuncta quæ tibi placent implere, et quæ tibi displicent vitare possim. Dirige, obsecro, cogitationes, sermones, et actiones meas in lege tua, et in præceptis atque consiliis tuis, o Altissime: ut in omnibus voluntatem tuam faciens, hic et in æternum per te merear salvus esse. Amen.

FINIT PROŒMIUM

Digitized by Google

VITÆ

DOMINI NOSTRI

JESU CHRISTI

PARS PRIMA

CAPUT I

De divina et æterna Christi generatione.

Joannis cap. I.

1 Evangelii S. Joannis scopus. — De plenitudine itaque Evangelii, vini scilicet boni, quod usque ad hoc tempus gratiæ Dominus Jesus servavit, quasdam guttas haurire cupientes, sumamus initium a divina ejus generatione, de qua Evangelista Joannes specialiter loquitur : quia omnia ad hoc inducit, ut divinitas Verbi manifestetur, et maxime contra quosdam hæreticos, dicentes Christum purum hominem esse : et per consequens, propter temporalem nativitatem, nec semper, nec ante Mariam fuisse. Et ideo de æternitate Verbi incipit, ostendens divinam Christi naturam, in qua æternaliter præcessit Mariam. Et ponit quinque de divinis personis, quæ per ordinem tanguntur in subscriptis.

2 Æterna Verbi generatio. — Primo declarat Filii a Patre æternam generationem, dicens : *In*

Digitized by Google

principio erat Verbum, id est in ipso Deo, qui ab omnibus supponitur : primum principium necessario est Verbum proprie dictum, tanquam in ipso cujus est. Ac si diceret : Filius erat in Patre, Patri scilicet coæternus, non in Maria incepit esse, sed in principio, id est, in Patre, qui est principium sine principio, et Filius qui est principium de principio. Dicit autem Verbum Dei Filium; quia Jesus Christus Dominus noster quemadmodum dicitur Filius Dei, sic dicitur Verbum Dei, sic et Virtus et Sapientia Dei : unum enim idemque significant, unum idemque sunt, Filius, Verbum, Virtus, et Sapientia. Sed ait, Verbum, non Filius, quia hoc nomen Verbum, magis ad propositum facit quam Filius. Ubi sciendum quod vox significativa dicitur verbum; sed hoc est tantummodo large et denominative, in quantum significat interiorem mentis conceptum : sicut facies dicitur sana, in quantum est sanitatis indicativa. Et ideo sicut illud proprie dicitur sanitas, quod per faciem designatur, ita illud proprie dicitur verbum, quod per vocem significatur. Hoc autem est interior mentis conceptus; quia voces sunt notæ et signa passionum quæ sunt in anima; et ita conceptus mentis interior, etiam antequam per vocem designetur, proprie verbum dicitur. Cum ergo hoc nomen verbum significet vocem vocalem, et quod exit ab ore, significet etiam mentale, quod a mente gignitur; nec ab ea recedit cum emittitur, scilicet verbum conceptum secundum ultimam acceptionem hic sumitur, ut per ipsum Filius intelligatur; quippe quia a Patre procedit per æternam nativitatem, ac cum eo et in eo permanet per essentiæ unitatem; sicut cogitatio, seu conceptio mentis, quæ ex mente nata est, cum ipsa permanet; et ideo maluit dicere Verbum, quam Filius. Cum igitur in ipso Deo proprie et perfecte sit Verbum; verbum autem de sua ratione dicit quod procedens ab eo cujus est verbum, sicut conceptus a concipiente; et cum Verbum et Filius sint idem, sequitur quod ibi sit generatio Filii a Patre, ex quo est ibi processus verbi a dicente. Item potius describit Filium Dei sub nomine Verbi, quam sub nomine Filii, quia filius solum dicit comparationem ad patrem, verbum vero dicit comparationem, non solum ad dicentem, sed etiam ad id quod per verbum dicitur, nec non ad vocem quam induit, et ad doctrinam quæ mediante verbo in altero efficitur. Quia igitur Dei Filius debet hic describi, non tantum in comparatione ad Patrem a quo procedit, sed etiam ad creaturas quas fecit, et ad carnem quam induit, et documenta quæ præbuit, congruentissime et decentissime sub nomine Verbi describitur, quia nomen illud ad omnia supradicta respicit, nec posset sub cœlo ita nomen conveniens inveniri.

3 Personalis Patris et Filii distinctio. — Secundo declarat Patris et Filii personalem distinctionem, dicens : *Et Verbum erat apud Deum.* Hoc nomen Deus, in hac clausula est personale; ut Verbum erat apud Deum, id est, apud Deum Patrem; semper enim in Patre Filius, semper in Filio Pater. Unde hæc præpositio *apud,* quæ est transitiva personarum et distinctiva, distantiam distinctionis personalis designat, non essentiæ. Nulla enim res dicitur proprie esse apud semetipsam, sicut nec aliquis est in seipso; et ideo inter Verbum et Principium, apud quod est Verbum, est personalis distinctio. Non enim Verbum procedit a Patre per

Digitized by Google

actionem transeuntem extra; sed manentem intra; et ideo Verbum manet intra illud cujus est Verbum, tamen ab eo distinctum distinctione personali, ut jam dictum est : quia *Verbum erat apud Deum,* ut alius apud alium.

4 Consubstantialitas Patris et Filii. — Tertio declarat Patris et Filii consubstantialitatem, sive substantiæ unitatem, dicens : *Et Deus erat Verbum,* ita quod hæc dictio *Deus* ponitur a parte prædicati, dicendo : Verbum est Deus. Nomina enim et verba transposita idem significant. Hoc nomen Deus, in hac clausula est essentiale, ut, Verbum est Deus, id est, natura est substantia divina; ne dicatur esse cum Deo, et non Deus. Nihil enim in Deo est, quod Deus non sit; quia totus idem est, et substantialiter idem. Quamvis ergo Verbum sit apud Deum, non tamen est aliquid extraneæ naturæ, sicut est verbum nostrum; sed est naturæ divinæ, quæ indivisibilis est, et non multiplicabilis : quia nullo modo potest esse nisi una et simplicissima. Et ideo Verbum et Principium a quo est, sunt idem penitus in natura ; quamvis, ut dictum est, distinguantur in persona. Et sic in ista clausula, implicantur omnes tres personæ : Pater in hoc nomine Deus, Filius in nomine Verbi, Spiritus Sanctus in præpositione *apud.*

5 Coæternitas Patris et Filii.— Quarto declarat Patris et Filii coæternitatem, dicens : *Hoc erat in principio apud Deum.* Hoc scilicet Verbum de quo locutus fuerat, est apud Deum Patrem a principio æternitatis, id est, ante secula et æternaliter. Quasi dicat : Hoc Dei Verbum nunquam a Deo Patre extitit separatum : nunquam enim Pater sine Filio fuit, nunquam sine Verbo, nunquam sine Virtute, nunquam sine Sapientia esse potuit. Patrem enim dicimus, quia Filium habet, cum hoc sit patrem esse, quod filium habere. Et quia Pater qui Verbum dicit et concipit, est ab æterno; ergo Verbum quod gignit dicendo, ut vere dicatur Verbum in principio, non temporis de quo dictum est : *In principio creavit Deus cœlum et terram;* sed in principio æternitatis, de quo dicitur : *Tecum principium in die virtutis tuæ, in splendoribus Sanctorum; ex utero,* id est, substantia mea, *ante Luciferum,* id est, ante mundi creationem, *genui te.* Unde quando dicitur : *Ego hodie genui te,* intelligitur de die æternitatis, qui omnem diem complectitur. Et sic accipitur hic nomen principii, aliter quam supra : quia ibi accipitur pro patre, hic pro æternitate. Qualiter autem Verbum ipse Pater genuit, quia solvi non potest, quæri non debet. Divina enim generatio est omnino inenarrabilis, de qua dicitur : *Generationem ejus quis enarrabit?* Quia etsi dicitur Filius a Patre genitus, tamen qualiter, nec propheta novit, nec Angelus. Moraliter docemur ex præmissis, quod principium omnis nostræ intentionis debet esse Deus : quia *in principio erat Verbum; et Deus erat Verbum.* Iterum si vis scire de omni actione tua interiori et exteriori, utrum sit divina, et utrum Deus ipsam operetur in te, et per ipsum sit facta, vide si finis intentionis tuæ sit Deus. Quod si sit, ita actio tua est divina, quia principium et finis idem, scilicet Deus. Postquam ergo Evangelista declaravit ipsius Verbi esse, seu generari : consequenter declarat suum agere, seu operari.

6 Indivisa Patris et Filii operatio.— Quinto declarat Patris et Filii indivisam operationem, dicens : *Omnia per ipsum facta sunt,* scilicet, quæcumque a Patre facta sunt; *et*

Digitized by Google

sine ipso factum est nihil, scilicet a Patre, sive visibile quid, sive intelligibile; siquidem omnia in sapientia fecit Deus, et sine sapientia nihil fecit : creaturæ enim producuntur a Deo sicut artificiata per artificem. Omnium enim est artifex, cum sit agens per intellectum. Quod autem producitur per artem, seu in intellectu producitur per artis, seu intellectus conceptum : sicut domus in re extra, producitur a domo quæ est in anima. Verbum autem in divinis, idem est quod conceptus intellectus divini, ut supra dictum est; ergo omnia producta per ipsum producta sunt, tam spirituales quam corporales creaturæ. Hæc autem præpositio *Per,* notat hic causam efficientem, non adminiculantem, vel ministerium, vel instrumentum. Ipse enim Filius cum Patre est actor omnium, et similiter Spiritus Sanctus cum eisdem, quia individua sunt opera Trinitatis. Omnia ergo per ipsum facta sunt, ut nec Pater, nec Spiritus Sanctus excludantur. Omnia simul et semel sunt facta, sed sex diebus per partes sunt distincta. Si ergo omnia per ipsum facta sunt, Verbum autem non possit a se fieri, vel se ipsum facere, quia esset antequam esset, sequitur quod ipsum Verbum non sit factum. Et secundum *Augustinum,* si factum non est, creatura non est; si autem creatura non est, ejusdem cum Patre substantiæ est. Omnis enim substantia quæ Deus non est, creatura est; et quæ creatura non est, Deus est. Hoc autem Verbum nec syllabis constat, nec voce profertur; sed semper in sinu, id est, secreto et corde Patris manens, cuncta disponit, regit, et operatur. Non enim loquendo, sed volendo cuncta operatur Deus, quia dicere Dei voluisse est, et Verbo, id est Filio, omnia creare.

7 Quo sensu vita in omnibus, præsertim in opere virtutis. — Ostenso itaque quod Verbum sit causa productiva rerum, ostendit consequenter per quem modum sit causa earum dicens : *Quod factum est,* scilicet in effectu. *In ipso* scilicet Verbo, *vita erat* et vivens. Sicut faber prius facit arcam in mente, post in opere : quod in mente est, vivit cum artifice; quod fit, mutatur cum tempore. Non enim omnia quæ facta sunt habent vitam, nec sunt vita in se, hoc est, in natura sua in qua sunt ut creaturæ : ut tamen sunt in Deo et arte divina, quæ est vita in se sunt vita, quia ibi habent exemplar et rationem viventem. Omnia namque quæ temporaliter fiunt, vel facta sunt, ab æterno fecit, id est, facere disposuit, et priusquam fierint facta noverat, et in ejus mente et præsentia vivebant et vigebant; quia omnia ante mundi initium in ipso Dei Filio imaginata erant, et ut postea fierent disposita erant, ac per hoc quasi facta erant et vivebant. Vivunt enim omnia quæ in Dei dispositione sunt; quia sicut disposita sunt, non evenire non possunt. Et sic patet modus per quem creaturæ procedunt a Verbo, videlicet, sicut artificiata ab artifice vel arte. Propter quod dicit *Boetius :*

.....Tu cuncta superno
Ducis ab exemplo, pulchrum pul-
[cherrimus ipse,
Mundum mente gerens, similique
[ab imagine formans.

Moraliter est hic notandum, quod opus virtutis est opus vitæ, sicut opera vitiosa dicuntur opera mortis : opus autem virtutis, sive opus bonum, nullus operatur nisi in Deo. Si vis igitur scire an opus tuum sit vivum, id est, si sit opus virtutis, sive opus bonum et divi-

Digitized by Google

num ; vide si sit factum in ipso, scilicet Deo, quia hic dicitur *quod factum est in ipso,* scilicet Deo : *vita erat,* id est, vitale et vivum est. In Deo autem fit quod in charitate fit; et quod extra Deum et præter Deum, non habet movens nec finem.

8 Verbum Dei lux hominum. — Ostenso autem qualiter Verbum se habeat ad omnes creaturas in generali, consequenter ostendit, qualiter se habeat ad homines in speciali dicens : *Et vita erat lux hominum.* Quia vita, id est, ipsum Verbum quod est vita in se, in qua et per quam creaturæ vivunt, *erat lux hominum :* id est, unde rationales creaturæ ut beatæ fierent, illuminandæ erant, quia non deficit homines illustrare per gratiam super omnes irradiando, si homo facit quod in se est, se ad Deum per cognitionem et amorem prout potest convertendo. Moraliter, vita bona est lux hominum, quia plus illuminat et ædificat proximum vita, quam verba ; unde *Hieronymus :* « Multo plus intelligitur quod oculis videtur quam quod aure percipitur. » Et *Seneca :* « Longum iter per præcepta, breve et efficax per exempla. » Unde dictum est : *Jesus cœpit facere et docere.*

9 Quo modo lux in tenebris lucet. — *Et lux in tenebris lucet,* id est, in peccatoribus; quia Verbum quantum in se est, illustrat eos luce gratiæ; sed tenebrosi sunt, quia se subtrahunt ab influentia divinæ lucis, sive Verbi; ideo sequitur : *Et tenebræ eam non comprehenderunt,* et peccatores hanc lucem non sequuntur, non propter lucis, sed propter proprium defectum. Unde *Augustinus :* « Quomodo enim homo positus in sole cæcus, præsens est illi sol, sed ipse soli absens est; sic omnis stultus, omnis iniquus, omnis impius, cæcus est corde, præsente sapientia. Sed cum cæco præsens est, oculis ejus absens est; non quia illa ipsi absens est, sed quia ipse absens est ab illa. Quid ergo faciet iste? Mundetur, unde possit videri Deus. » Peccata et iniquitates tolle, et videbis sapientiam quæ præsens est, quia Deus est ipsa sapientia; et dictum est : *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Secundum *Origenem, lux in tenebris lucet,* quia Dei Verbum, vita et lux hominum, in nostra natura, quæ per se investigata et considerata, informis quædam tenebrositas invenitur, lucere non desinit. Et quoniam ipsa lux omni creaturæ est incomprehensibilis : *Tenebræ eam non comprehenderunt.* Ubi nota quod triplex est comprehensio, scilicet : per inclusionem, per apertam visionem, per fidei et charitatis adhæsionem. Primo modo, a nullo; secundo modo, a beatis ; tertio modo, a Sanctis : sed nullo istorum modorum a malignis comprehenditur, ideo dicitur : *Et tenebræ eam non comprehenderunt,* id est, qui non fide nec amore adhæserunt. Dicitur etiam aliquid comprehendi, quando pervenitur ad finem cognitionis ipsius, et hoc est quando res cognoscitur ita perfecte sicut cognoscibilis est; et sic solus oculus divinus lucem hanc comprehendit, et nulla creatura. — Moraliter, *lux in tenebris lucet,* quia virtus lucet et apparet in adversis et oppositis : *Nam virtus in infirmitate perficitur.* Unde *Gregorius :* « Nemo quantum profecerit, nisi in adversitate cognoscit; qualis enim quisque apud se lateat, illata contumelia probat. » Et quia nulla adversitas potest superare Sanctos et separare a charitate Christi, ideo dicitur : *Et tenebræ eam non comprehenderunt.* Boni enim viri si tangantur adversitatibus, non tamen franguntur aut vincuntur; imo in eis gaudent et delectantur. Vel, *lux in tenebris*

Digitized by Google

lucet, quando Deus per consolationem illucet his, qui adversa et tribulationes sustinent, secundum illud : *Juxta est Dominus his qui tribulato sunt corde;* et : *Cum ipso sum in tribulatione,* etc. *Et tenebræ eam non comprehenderunt,* quia *non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam.* Semper enim Deus remunerat supra condignum, et punit citra condignum. — *Lux* etiam *in tenebris* hujus mundi *lucet,* quia Creator in creaturis apparet. Sicut enim in patria Deus est speculum creaturarum, in quo creaturæ relucent, et in quo omnia videbimus quæ ad gaudium nostrum pertinebunt; sic in vita e converso creaturæ sunt speculum Creatoris, in quo Creatorem nostrum speculamur, quia, ut ait Apostolus : *Videmus nunc per speculum,* videlicet creaturarum, *in ænigmate,* et obscure; et : *Invisibilia enim ipsius* Dei *a creatura mundi, per ea quæ facta sunt, intellecta, conspiciuntur.* Deum enim esse non solum fides recta testatur, Scriptura sancta loquitur, comparatio rerum ad ipsum indicat, ratio naturalis dictat, Sanctique prædicant : *Ipse fecit nos, et non ipsi nos;* verum etiam hoc creaturæ clamant. Omnia namque suo modo dicunt quod Deus est. Vox naturæ; quia omnia pulchra testantur ipsum esse pulcherrimum, dulcia dulcissimum, sublimia altissimum, pura purissimum, fortia fortissimum, et sic de aliis.

10 Generatio Filii Dei non carnaliter accipienda. — Sane cum audis in præmissis Filium ex Deo Patre genitum, cave ne mentis tuæ oculis infirmum aliquid carnalis cogitationis occurrat, quin potius columbino et aquilino intuitu simpliciter crede, ac perspicaciter contemplare quod ab illa luce simul immensa et simplicissima, fulgentissima et summe arcana, coæternus, coæqualis, et consubstantialis splendor exoritur, qui est virtus summa et sapientia, et in quo omnia Pater disposuit ab æterno : *Per quem fecit et secula,* factaque gubernat et ordinat ad gloriam suam, partim per naturam, partim per gratiam, partim per justitiam, partim per misericordiam; ut nihil ita in hoc mundo inordinatum relinquat. Unde *Augustinus :* « Sicut splendor ex substantia solis nascitur, ita et Filium ex substantia Patris genitum intelligamus. Et sicut non est sol aut ignis prius splendore suo, licet ex ipso nascatur; sed ex quo sol aut ignis processit simul cum eo et splendor ejus apparuit; nec dici potest splendor sole vel igne posterior, cum tamen, ut dixi, ex ipso nascatur. Si ergo in creaturis aliquid invenitur quod et nascatur, et posterius non sit genitore suo, cur hoc a Creatore fieri posse desperes? Sicut splendor ex sole natus replet orbem terrarum, et tamen a genitore suo non abscinditur, nec aliquando recedit; ita et Filius a Patre genitus ubique dum sit, in Patre semper permanet. Et sicut substantialiter splendor in sole est, et sol in splendore; ita substantialiter Pater in Filio et Filius in Patre est. Et sicut soli et splendori una substantia cum sit, non tamen una persona, quia nec solem splendorem esse, nec splendorem dicimus solem; ita et Pater et Filius cum sint unius essentiæ, non tamen unius sunt personæ. Et sicut sol splendore calefacit et illuminat, et siccat, et solvit, et excandidat, et denigrat, et omnia quæ ei a Domino injuncta sunt operatur; ita et Patrem per Unigenitum Filium suum omnia legimus fuisse operatum : » hæc *Augustinus.*

11 Quam sublime initium hujus Evangelii. — Hoc initium sancti Evangelii, secundum eumdem *Au-*

Digitized by Google

gustinum, quidam Platonicus aureis litteris præscribendum, et per omnes ecclesias in locis eminentissimis præponendum esse dicebat.

ORATIO

Domine Deus, Pater omnipotens, qui coæternum et coæqualem, et consubstantialem tibi ante omnia secula Filium ineffabiliter genuisti, cum quo atque Spiritu Sancto omnia visibilia et invisibilia, ac me miserum peccatorem inter omnia creasti, te adoro, te laudo, teque glorifico : *propitius esto mihi peccatori,* et ne despicias me opus manuum tuarum, sed salva et adjuva me propter nomen sanctum tuum. Operi manuu m tuarum dexteram porrige, carnali fragilitati succurre. Qui me fecisti, refice infectum vitiis; qui me formasti, reforma corruptum peccatis; ut secundum magnam tuam misericordiam salves animam meam miseram. Amen.

CAPUT II

De inventione remedii pro salvatione generis humani, et nativitate virginis Mariæ.

1 Casus Luciferi et protoparentis. — In principio, cum Lucifer creatus esset, erexit se contra Deum Creatorem suum, et in ictu oculi de excelso cœlorum projectus est in infernum. Et ob hanc causam decrevit Deus genus humanum creare, ut per ipsum posset casum Luciferi et sociorum ejus restaurare; quapropter diabolus homini invidens ipsi insidiabatur, et ad præcepti transgressionem ipsum inducere nitebatur, et quoddam genus serpentis sibi eligebat, qui tunc erectus gradiebatur, et caput virgineum habebat. In hunc fraudulentus deceptor intravit et per os ejus loquens verba deceptoria mulieri naravit, ac eam decipiens super omne genus humanum mortem induxit. Et oportebat nos omnes carcerem inferni ingredi, de quo non poteramus alicujus puri hominis adjutorio eripi. Sed tandem *Pater misericordiarum et Deus totius consolationis* clementer respexit statum nostræ damnationis, et nos per semetipsum liberare decrevit; super quo signum nobis per olivam dedit, quam columba inclusis in arca afferebat, quæ misericordiam Dei futuram inclusis in limbo prætendebat. Non solum enim his qui in arca erant misericordia promittebatur, sed et toti mundo signum salutis in oliva dabatur; et hoc idem Deus præmonstravit nobis in multis aliis figuris. A principio autem conditionis nostræ Adam in agro Damasceno juxta Hebron de terra formato, et a Domino in paradisum voluptatis translato, ac Eva in paradiso de costa Adæ dormientis facta, et pro consorte ei data, ipsisque primis parentibus in paradiso ad operandum et custodiendum collocatis, et

Digitized by Google

dehinc propter ligni vetiti esum per divini secreti severitatem expulsis, superna miseratio non destitit homines incitare ad bonum per occultos instinctus, nec distulit hominem errabundum ad pœnitentiam revocare, spem veniæ dando per repromissum Salvatoris adventum.

2 HUMANUM GENUS AD SPEM ERIGITUR AB ABEL USQUE AD JOANNEM BAPTISTAM. — Et ne forte per ignorantiam et ingratitudinem tanta Dei dignatio nostræ saluti foret inefficax, in quinque hujus seculi ætatibus per Patriarchas, judices, sacerdotes, reges, et Prophetas, ab Abel justo usque ad Joannem Baptistam, Filii sui adventum repromittere, prænuntiare, et præfigurare non destitit, ut per multa millia temporum et annorum, magnis et variis multiplicatis oraculis : et intelligentias nostras ad fidem erigeret, et affectus per nimia et viva desideria inflammaret. Unde *Leo* Papa : « Cessent illorum querelæ quæ de Dominicæ nativitatis tarditate causantur, tanquam præteritis temporibus non sit impensum, quod in ultima mundi ætate sit gestum. Verbi Incarnatio hoc contulit facienda quod facta, et sacramentum salutis humanæ in nulla unquam antiquitate cessavit. Quod prædicaverunt Apostoli, hoc annuntiaverunt Prophetæ; nec sero est impletum, quod semper est creditum. Sapientia vero et benignitas Dei, hac salutiferi operis mora, capaciores nos suæ vocationis effecit, ut quod multis signis, ac multis vocibus, multisque mysteriis per tot fuerat secula nuntiatum, in his Evangelii diebus non esset ambiguum; et nativitas Salvatoris tanto constantiorem in nobis gigneret fidem, quanto prædicatio ejus et antiquior præcessisset et crebrior. Non itaque novo consilio Deus humanis rebus, nec sera miseratione consuluit; sed a constitutione mundi unam eamdemque omnibus causam salutis instituit. Gratia enim Dei, qua semper est universitas justificata Sanctorum, aucta est, Christo nascente, non cœpta; et hoc magnum pietatis sacramentum, tam potens etiam in suis significationibus fuit, ut non minus adepti sint qui illud credidere promissum, quam qui suscepere donatum : » hæc *Leo* Papa.

3 CUR CHRISTUS NEC PRIUS NEC POSTERIUS VENIT? — Et nota secundum *Augustinum*, quod Christus non prius venit nisi homo de lege naturali et scripta prius convinceretur; quia si Christus statim venisset, diceret homo quod per legem naturalem salvari poterat, et superfluum crederet adventum Christi; similiter dicere poterat de lege scripta. Sed comperto quod non sic salvari poterat, cum omnes ad inferos descenderunt, nunc venit ipse, quia tunc erat tempus miserendi. Et prius venire non fuit necesse, quia non prodest medicina spiritualis sine affectu recipientis; nec posterius venit, ne fides et spes ex promissa Incarnatione perirent : si enim tardasset venire, quotidie decrevissent, et tepuissent. Secundum eumdem *Augustinum*, magnum desiderium habebant antiqui videre Christum. Sciebant enim illum esse venturum; et non solum Patriarchæ et Prophetæ, sed etiam omnes qui pie vivebant desiderantes dicebant : O si hic me inveniet illa nativitas ! O si, quod credo, videbo oculis meis ! Si ergo fideles isti tantum desiderabant, tamque devoti erant Christo adhuc venturo, quid faciendum est jam suscepto? Sed væ nobis miseris hujus moderni temporis, qui nec tantum afficimur ad gratiam exhibitam, quantum antiqui afficiebantur ad promissam ! Unde *Bernardus* : « Desiderium suspirantium Christi præsentiam frequentissime recogitans compungor

Digitized by Google

et confundor in memetipso, et nunc vix contineo lacrymas, ita pudet teporis torporisque miserabilium temporum horum. Cui namque nostrum tantum ingerat gaudium hujus gratiæ exhibitio, quantum accenderat veteres desiderata sola promissio? » hæc *Bernardus*.

4 JUSTITIÆ ET MISERICORDIÆ CONTENTIO. — Cum igitur per longissima tempora circa spatium quinque millium et fere ducentorum annorum miserabiliter jaceret genus humanum, et nullus propter peccatum primi hominis ad æternam beatitudinem ascendere posset; ad primum beatissimi spiritus compatientes tandem ruinæ, ac de sua solliciti restauratione, licet pluries antea, tamen adveniente plenitudine temporis, instantius et devotius Domino supplicavere. Unde misericordia pulsabat viscera Patris ut subveniret, secum habens pacem; sed contradicebat veritas, secum habens justitiam, et inter eas magna controversia facta est, prout narrat *Bernardus,* longo sermone de Annuntiatione; sed dicti sui summa hæc est. « Dicebat misericordia Deo: Eget miseratione divina creatura rationalis, quoniam misera facta est, et valde miserabilis; *venit* ergo *tempus miserendi ejus.* E contra veritas dicebat : Quæso, Domine, impleri sermonem quem locutus es. Totus moriatur Adam cum omnibus qui erant in eo, quando prævaricando pomum vetitum gustavit. Respondit autem misericordia : Utquid me, Domine, fecisti ? Scit enim ipsa veritas, quod ego perii, si nunquam misereris. E contra veritas : Si prædictam tuam sententiam prævaricator evaserit, periit veritas tua et non permanet in æternum. Fuit autem hæc quæstio per Patrem missa ad Filium. Veritas autem et misericordia coram eo eadem dicebant. Non videbatur quomodo circa hominem posset misericordia et veritas simul conservari. Scripsit autem Rex sententiam sic continentem : Hæc dicit : Perii, si Adam non moriatur; et hæc dicit : Perii, si misericordiam non consequatur. Fiat mors bona, et habet utraque ut postulat : et quod Adam moriatur, et misericordiam consequatur. Obstupuerunt omnes in verbo Sapientiæ, et consenserunt quod moriatur Adam, misericordiam consequendo. Sed quærunt quomodo mors possit fieri bona, cum horribilis sit ipso auditu? Respondit Rex : *Mors peccatorum pessima;* sed Sanctorum est pretiosa, et vitæ janua. Inveniatur ergo qui ex charitate moriatur non obnoxius morti, et sic mors non poterit tenere innoxium; sed faciet in ea foramen per quod transeant liberati. Placuit sermo. Sed ubi, aiunt, talis poterit inveniri? Circuit ergo orbem terrarum veritas, et : *Nemo mundus a sorde, nec infans unius diei.* Sed et misericordia perlustrat cœlum, et neminem invenit qui sufficientem ad hoc habeat charitatem. Ei ergo hæc victoria debebatur, quo nemo majorem charitatem haberet, ut animam suam pro servis inutilibus poneret. Redeunt itaque ad constitutum diem anxiæ plurimum, non invento quod desiderabant. Tandem seorsim pax eos consolans dixit : Nescitis quia *non est qui faciat bonum, non est usque ad unum?* Qui dedit consilium, ferat auxilium. Intellexit hoc Rex, et ait : *Pœnitet me fecisse hominem.* Pœna, inquit, tenet me; pœnam sustinere incumbit mihi pro homine quem creavi. Et vocato Angelo Gabriel dixit : Vade, dic filiæ Sion : *Ecce Rex tuus venit.* Festinavit ille et ait : *Adorna thalamum tuum, et suscipe Regem :* » hæc *Bernardus.* Vides ergo quam magni

Digitized by Google

periculi, et quantum fuit peccatum; et quam magna difficultas sit invenire remedium. In hoc itaque consenserunt prædictæ virtutes, et tunc impletum et illud propheticum : *Misericordia et veritas obviaverunt sibi, justitia et pax osculatæ sunt.*

5 Remedium unicum. — Circa vero præmissa sic loquitur *Leo* Papa : « Quia non ita in primum hominem diabolus violentus extiterat, ut eum in partes suas sine arbitrii consensione transferret; sic destruendum fuit pactum voluntarium et hostile consilium, ut dono gratiæ non obesset norma justitiæ. In totius igitur humani generis strage communi, unum solum fuit remedium, sub divinæ rationis occulto, quod posset subvenire prostratis : si aliquis filiorum Adam originalis prævaricationis alienus atque innocens nasceretur, qui ceteris exemplo prodesset et merito. Sed quia hæc naturalis generatio non sinebat, Dominus David, factus est filius David, et de promissi generis fructu proles est orta, sine vitio. » Unde etiam *Anselmus* : « Natura nostra ad similitudinem Dei in principio creata fuit, quatenus indesinenter ipso Deo frueretur, et ejus gloria sine omni corruptione et mutabilitate aliquando potiretur. Hoc tam grande bonum statim in primis parentibus perdidit, atque in hujus mundi miserias infelix et præceps ruit in æternas miserias, decurso vitæ labentis articulo, multo infelicius ruitura. Transierunt multa secula, et damnationis ipsius immanitas super omnes filios hominum est in deterius roborata. Nec enim summi sapientia Dei ullam in massa creationis humanæ viam invenit, per quam ut disposuerat in mundum veniens tam luctuosæ perditioni subveniret, donec ad istam de qua loquimur Virginem ventum esset. Sed hæc mox ut in mundum venit, per humanæ generationis lineam, tanta omnis boni virtute atque constantia perfecte resplenduit, ut eam ipsa sapientia Dei vere dignam judicaret, per quam in hominem veniens, non tantummodo reatum primorum hominum, sed et totius mundi peccata deleret, atque diabolum sui operis inimicum cum suis eliderent, nec non damna patriæ cœlestis, hominem illuc reducendo, reintegraret. Quis igitur ista perpendens æstimare queat, qua laude digna sit, quæ tantorum bonorum sola præ cunctis mediatrix effici meruit? » hæc *Anselmus*.

6 Prædestinatio B. V. Mariæ. — Nec fuit ista Virgo subito et casu inventa, sed ab æterno prædestinata. Unde *Damascenus* : « Ipsa Dei Genitrix ab æterno etiam præviso tempore Dei consilio prædeterminata, et diversis imaginationibus et sanctificationibus Prophetarum per Spiritum Sanctum præimaginata et prædicata fuit. » Exsurgamus ergo in gratiarum actiones, et pro tanta Dei circa nos dignatione laudes referamus cum *Anselmo*, dicentes : « Adoramus te, Christe Rex Israel, lux Gentium, Princeps regum terræ, Domine Sabaoth, Virtus Dei omnipotentissima. Adoramus te, pretiosum nostræ redemptionis pretium, hostiam pacificam, quæ sola odoris tui inæstimabili suavitate Patrem, *qui in altis habitat*, ad respiciendum humilia inclinasti; et filiis iræ placabilem reddidisti. Tuas, Christe, miserationes prædicamus, tuæ suavitatis memoriam cum abundantia eructamus; tibi, Christe, sacrificium laudis immolamus, pro multitudine bonitatis tuæ, quam ostendisti nobis semini nequam, filiis sceleratis, et perditis. Cum enim adhuc essemus inimici tuit

Digitized by Google

Domine, et antiqua mors in omnem carnem iniquum exerceret dominium, cui omne semen Adam lege primordialis culpæ obnoxium erat, recordatus es uberrimæ misericordiæ tuæ, et prospexisti de sublimi habitatione tua, in hanc vallem plorationis et miseriæ. Vidisti, Domine, afflictionem populi tui, et tactus dolore charitatis intrinsecus, apposuisti cogitare super nos cogitationes pacis et redemptionis : » hæc *Anselmus*.

7 EJUS STIRPS ET PARENTES. — Tacitis autem illis quæ ab initio omnis creaturæ usque ad sancti Filii sui adventum, de hac beata Virgine prophetata sunt, tam per eos qui ante Legem, quam per eos qui sub Lege justi fuerunt; de nativitate ipsius quam quidem ex linea generationis humanæ descendisse scimus, et magna quædam atque miranda signorum indicia præcurrisse credimus, consequenter aliqua videamus. Virgo itaque gloriosa ex qua Incarnatio Filii Dei est facta, de tribu Juda, et stirpe David est orta. Nam, ut ait *Augustinus*, dignum atque conveniens erat cœlesti mysterio, ut eadem Maria, quæ mater Dei secundum carnem esse meruit, et ex regali genere, et ex sacerdotali origine nasceretur, de qua Filius Dei, qui Rex est et *Sacerdos in æternum*, corpus humanæ carnis assumpsit. Anno autem imperii Augusti circiter XXVII, nata est gloriosa Virgo Maria, ex patre Joachim de Nazareth, et ex matre Anna de Sephor oppido distante ad duas leucas de Nazareth, ambobus justis ante Deum. Qui per annos viginti prole carentes, pro habenda sobole oraverunt, voventes se illam Domino oblaturos. Cum autem videret Issachar sacerdos, Joachim inter concives suos cum oblatione assistere, sprevit illum improperans sterilitatem. Qui improperii pudore ad pastores pecorum suorum se contulit, ibique apparuit ei Angelus Domini confortans eum, et dicens orationes ejus exauditas, et eleemosynas ascendisse in conspectu Dei. Tertiam enim partem substantiæ suæ dabat pauperibus, et tertiam templo et templi ministris; de alia tertia vivebat cum domo sua. Et ait ei Angelus : Ecce uxor tua pariet tibi filiam, vocabisque nomen ejus Mariam. Consecrata erit Domino, ut vovisti, et Spiritu Sancto replebitur ex utero matris suæ, et in templo Domini erit conversatio ejus. Eademque Angelus nuntiavit Annæ; monituque angelico ambo ascenderunt in Jerusalem, et debitas gratias Domino persolventes in templo, regressi sunt ad propria. Concepitque Anna et peperit filiam, quam vocavit Mariam.

8 PRÆSERVATA FUIT AB ORIGINALI CULPA. — Ab originali autem culpa, quodam privilegio singulari in matris utero purgata fuit. Unde *Bernardus* : « Est itaque Virgo Maria bonorum titulis cumulata, quæ procul dubio ante fuit sancta quam nata. Ego puto quod copiosior sanctificationis benedictio, quam in aliis sanctificatis ab utero, in eam descenderit; quæ non solum ipsius ortum sanctificaret, sed vitam ejus deinceps ab omni peccato conservaret immunem. Decuit nimirum, ut singulari privilegio vitam absque peccato duceret, quæ dum peccati mortisque peremptorem pareret, vitæ justitiæque munus plus omnibus obtineret : » hæc *Bernardus*. Unde dicit *Augustinus*, quod beata Virgo ante conceptionem Filii Dei sanctificata fuit, quod peccare venialiter potuit; sed post conceptionem Filii Dei nec mortaliter nec venialiter peccare potuit.

9 EJUS PRÆSENTATIO IN TEMPLO. — Ipsa autem gloriosa Virgo Maria,

Digitized by Google

cum trium esset annorum portabatur ad templum, et a parentibus in templo oblata, intra septa templi cum aliis virginibus collocata ut litteras disceret, et Domino serviret, ibidemque usque ad annum XIV permansit. Sed accelerato in ea divinæ rationis usu, quando parentes eam in templo dimiserunt, ex tunc statuit in corde suo Deum habere in Patrem, et fecit se doceri Dei Legem; ac devote et frequenter cogitabat quid posset facere Deo gratum, ut sibi gratiam suam dare dignaretur. Petebat vero affectuose a Deo gratiam observandi mandata et præcepta Legis, et ut faceret eam amare omnia quæ ipse amat, et odire omnia quæ ipse odit. Petebat quoque omnes virtutes, per quas efficeretur gratiosa ante conspectum suum; et melius ac melius in Dei opere proficiebat. Omni tempore contemplationi aut orationi, aut lectioni, aut operationi se dabat; pro salute generis humani sine intermissione orabat, Scripturas de adventu Christi frequenter legebat, et quidquid in Scripturis de Incarnatione Dei inveniebat, hoc osculando et amplexando dulciter relegebat. Fiebat ut in vigiliis inveniretur prior, in sapientia Dei eruditior, in humilitate humilior, in carminibus Davidicis elegantior, in charitate gratiosior, in puritate purior, in omni virtute perfectior; erat enim constans et immobilis, et quotidie in melius transibat. Hanc irascentem nullus vidit vel audivit. Omnis sermo ejus ita erat gratia plenus, ut in lingua ejus agnosceretur Deus. Et erat sollicita circa socias suas, ne aliqua ex eis in ullo sermone offenderet; ne aliqua in risu vocem suam exaltaret; ne aliqua injuriosa vel superba circa parem suam existeret, ne in aliquo peccarent. Sine intermissione benedicebat Dominum, et ne forte in salvatione sua a laudibus Domini tolleretur, si quis eam salutabat, ipsa pro resalutatione *Deo gratias,* respondebat; sicque primum ab ipsa exivit, ut dum homines sancti salutantur, *Deo gratias* dicant.

10 VOTUM VIRGINITATIS PRIMA EMITTIT. — Ipsa etiam prima omnium de servanda virginitate, nisi Deus aliter ordinaret, votum vovit, quod nulla ab initio seculi, ex quo hic factus est mundus, Deo obtulit. Tam prudenter, tam humiliter, tam devote se habebat, quod vita ipsius exemplum vivendi cunctis præbebat. Unde de vita ejus sic scribit *Ambrosius :* « Sit nobis tanquam in imagine descripta vita Mariæ, ex qua velut e speculo refulget species charitatis, et forma virtutis. Virgo erat corpore et mente, corde humilis, verbis gravis, animo prudens, loquendi peritior, legendi studiosior, non in incerto divitiarum, sed in prece pauperis spem reponens, intenta operi, verecunda sermone; arbitrum mentis non hominem sed Deum quærere, nullum lædere, omnibus bene velle, majoribus assurgere, æqualibus non invidere, jactantiam fugere, rationem sequi, amare virtutem. Quando illa vel nutu læsit parentes? Quando fastidivit humilem? Quando irrisit debilem? Quando vitavit inopem? Nihil torvum in oculis, nihil procax in verbis, nihil inverecundum in actu. Non gestus fractior, non incessus solutior, non vox petulantior, ut ipsa species corporis simulacrum fuerit mentis, et forma probitatis. Talis enim fuit Maria, ut ejus unica vita omnium disciplina sit. Si igitur actor non displicet, opus probemus : ut quicumque sibi exoptat præmium, imitetur exemplum : » hæc *Ambrosius.* Unde et *Anselmus :* « Nota igi-

Digitized by Google

tur infantiles annos exuta, quam caste, quam sancte, quam Deo digne vitam instituerit, ac institutam egerit, ut vel cogitatu nequeat quis conjectare. Nulli denique dubium, castissimum corpus, et sanctissimam animam ejus funditus fuisse ab omni macula peccati, jugi Angelorum custodia protectam; utpote aulam quam suus et omnium Creator Deus corporaliter inhabitaturus, et ex qua hominem suæ personæ unitum, ineffabili fuit operatione sumpturus. Et quid mirum? Nam et inter homines usus obtinuit, si tamen cœlestibus ad terrena potest esse comparatio ulla, ut cum præpotens aliquis vel persona dives, aliquo vadit hospitaturus, clientes procurent locum, muniant, mundent, ornent, atque custodiant, quo venienti domino suo, aptus ad habitandum, et congruus fiat. Quod si talis apparatus fit pro adventu terreni hominis, et momentaneæ potestatis, qualis putamus apparatus omnis boni fiebat pro adventu cœlestis et æterni Regis in corde sacratissimæ Virginis, quæ illum non solum erat in semetipsam transitive hospitatura, sed etiam ex substantia sua hominem factum paritura? » hæc *Anselmus*. Considera hic attente virtutes et mores Virginis Mariæ, et pro posse tuo etiam imitari stude.

11 B. V. Mariæ figuræ. — De Mariæ conceptione et sanctificatione est sciendum, quod cum Deus humanam naturam assumere decrevisset, congruum fuit ut matrem de qua nasceretur præmitteret. Et hæc per filiam regis Astiagis præfigurata fuit, qui ut in Scholastica Historia dicitur, in visione vidit quod de utero filiæ suæ vitis pulchra crescebat, quæ frondibus et floribus se dilatabat, et fructum proferens totum regnum suum obumbrabat; dictumque est ei, quod de filia sua rex magnus nasciturus erat: quæ post hæc Cyrum regem generavit, qui filios Israel de captivitate Babylonica liberavit. Ita Joachim dictum est, quod filiam gigneret, quæ Christum Regem portaret, qui nos de captivitate diabolica liberavit, qui et vera vitis fuit, et totum mundum obumbravit. Ipsa etiam præfigurata fuit per fontem signatum in horto concluso positum; quia eam conclusam in utero matris Spiritus Sanctus sanctificavit, et sigillo sanctæ Trinitatis sic conclusit et signavit, quod in eam nunquam aliquid coinquinatum introivit. Hæc etiam præfigurata fuit per stellam Balaam, qui promisit quod de Jacob oriretur stella; per quam figurabatur Maria fluctuantium ductrix et adjutrix singularis et præcipua; sine qua stella non poteramus hoc fervidum mare pertransire, nec ad portum cœlestis patriæ pervenire. Ipsa etiam beata Virgo, quoad suam nativitatem, præfigurata fuit per virgam de radice et stirpe Jesse patris David egressam, de qua flos amœnissimus, scilicet Christus Dominus ascendit; super quam septiformis gratia Spiritus Sancti requievit. Quomodo autem florem producit, præfiguratum fuit in porta clausa quam Dominus Ezechieli monstravit, quæ nunquam aperiri debebat, sed Dominus solus per eam clausam transire volebat. Ipsa etiam præfigurata fuit per templum, quod Salomon Domino ædificavit. Hoc templum erat constructum marmore candidissimo, et ornatum intrinsecus auro mundissimo; sic Maria erat albissima candore purissimæ castitatis, et ornata intrinsecus auro perfectissimæ charitatis. Oblatio vero Mariæ in templo fuit præmonstrata per mensam Solis in sabulo, de qua mensa dicitur in

Digitized by Google

Scholastica Historia : Piscatores enim quidam rete in mare mittentes, casu mirabili mensam auream extraxerunt, quæ ipsi soli materiali, quem gens illa tanquam Deum coluit oblata fuit in templo, quod ibidem in littore maris, in sabulo constructum erat. Per illam mensam, quæ in templo solis materialis est oblata, bene est Maria figurata, quæ vero Soli, id est summo Deo, et in templo Solis æternalis est oblata. Et pulchre per mensam Maria est figurata, quia per eam cœlestis esca nobis est collata; nam ipsa Filium Dei Jesum Christum nobis generavit, qui nos suo corpore et sanguine refocillavit. Item, præmonstrata fuit per Jephte filiam. Sed illa ex abrupto et indiscrete oblata, Deo postea servire nequivit, Maria vero rite et discrete oblata, post oblationem suam semper Domino servivit; illa post victoriam hostium temporalium, pro gratiarum actione, Maria ante victoriam, pro victoriæ hostium temporalium collocatione. Qualiter autem Deo servivit, et quam vitam habuit, hoc in horto illo suspenso demonstratum fuit quem rex Persarum uxori in alta structura plantavit, de quo patriam suam de longe contemplari affectavit; per quam contemplativa vita Mariæ designatur, quæ in templo Domini contemplationi insistens, patriam cœlestem semper contemplabatur.

ORATIO

O Virgo virginum, Maria, quæ *nec primam similem visa es, nec habere sequentem,* quæ prima inter feminas servandæ virginitatis votum vovisti, et gloriosum munus Deo obtulisti, cum hoc a nullo homine nec verbo didicisses, nec exemplo ad imitationem invitata fuisses, hacque virtute et ceteris ornata Deo placuisti, et vivendi exemplum omnibus reliquisti : deprecor bonitatem tuam immensam, ut tu, summum meum solatium, dirigas vitam meam, meque tuas virtutes et exempla pro posse imitari facias, et gratiam tuam semper adesse mihi concedas. Amen.

CAPUT III

De desponsatione Mariæ.

1 Concilium super Mariæ voto. — Virgo itaque Domini Maria cum ætatis processu quotidie etiam in virtutibus proficiebat; et quia pater et mater eam dereliquerant, Dominus eam assumpsit. Quotidie namque ab Angelis frequentabatur, quotidie divina visitatione fruebatur, quæ eam a malis omnibus custodiebat, et bonis omnibus redundare faciebat; itaque sic usque ad annum decimum quartum pervenit. Tunc Pontifex publice denuntiavit, ut virgines

Digitized by Google

quæ in templo constitutæ hanc ætatem implessent, domum reverterentur, ac nuptiis operam darent. Cui mandato cum ceteræ pronæ paruissent, sola Virgo Maria hoc se facere non posse respondit. Siquidem et parentes suos se dixit Domini servitio mancipasse; et insuper seipsam Domino virginitatem vovisse. Pontifex igitur in angustia positus, cum neque contra Scripturam quæ dicit: *Vovete et reddite,* votum infringendum putaret, neque morem genti insuetum introducere auderet, concilium habuit cum primoribus quid esset faciendum; omnibusque in communi placuit Dominum super hoc esse consulendum. Et ceteris quidem orationi incumbentibus, Pontifex ex more ad consulendum Dominum accessit. Nec mora, et cunctis audientibus, de propitiatorii loco vox facta est, Isaiæ vaticinio requirendum esse, cui Virgo commendari et desponsari deberet, illo scilicet: *Egredietur virga de radice Jesse,* etc. Cunctosque de domo et familia David nuptiis habiles non conjugatos, virgas suas ad altare jussit afferre.

2 Virga Joseph florida. — Erat autem inter ceteros homo nomine Joseph, qui cum virgam suam attulisset, et ipsa illico florem germinasset, atque in ejus cacumine columba de cœlo veniens consedisset, liquido omnibus patuit ipsi Virginem desponsandam fore. Unde in libris Numerorum legitur, quod Moyses *invenit virgam Aaron germinasse, et turgentibus gemmis, flores erupisse, qui foliis dilatatis in amygdalas deformati sunt.* Per istam intelligi potest beata Virgo, quæ instar virgæ fuit gracilis per paupertatem, et flexibilis per humilitatem, et recta per intentionem et charitatem. Ista Virgo inventa est *gemmis turgentibus,* quando Filium Dei in utero suo concepit, ex qua flores fructiferi eruperunt, quando Dei Filius, ipsa manente virgine, natus fuit. Nam sicut flos non violat arborem, sed ornat; sic Dei Filius non violavit Virginem, sed magis donis et gratiis adornavit. Hæc est virga quæ, secundum *Chrysostomum,* in tabernaculo testimonii posita, sine humore terræ fructum nucis germinavit; quia sine viri semine Filium edidit, qui tanquam nux ligno passionis adhæsit. Et bene, nunc flos, nunc fructus dicitur: quia, secundum *Ambrosium,* veluti boni arboris fructus pro nostræ virtutis processu, nunc floret, nunc fructificat in nobis; nunc rediviva corporis resurrectione reparatur. Ideo etiam alibi flos, alibi fructus dicitur: quia in utriusque Testamenti paginis ita prædicatur, flos in littera, fructus in spiritu; flos in Lege, fructus in gratia et veritate; flos in priori tabernaculo, fructus in secundo; flos in observatione carnalium sacrificiorum, fructus in spirituali intelligentia mysteriorum. Sicut enim in flore fructus prænuntiatur, sic in illis ceremoniis Christus venturus significabatur. Patet itaque quod Christus flos dicitur in prophetica Veteris Testamenti promissione, qui et fructus vocatur in Novi Testamenti gratiæ perfectione. Sed sicut fructus non apparet, virente flore; ita nec Christi veritas patuit, carnali observatione manente; arescente vero flore, fructus videtur: quia decidente Lege, *gratia et veritas per Jesum Christum facta* tenetur.

3 Desponsatio Mariæ. — Virgo igitur Domini cum quibusdam virginibus collactaneis suis, quas ob miraculi ostensionem, et pudoris sui

Digitized by Google

custodiam a sacerdote acceperat ad domum parentum in Nazareth, reversa est, habens secum more solito sui pudoris custodes et testes, sine quo nunquam processit. Unde *Hieronymus* : « Cum ea semper singularum virtutum pudicitia comes irremota mansit, quia omnino pudor individuus virginitati esse debet, sine quo castitas vera servari non potest. » Nunquam igitur beata Maria sine pudoris sui custode processit. Joseph quoque secessit ibidem et, mutua desponsatione facta, recedit in domum suam, eam dispositurus, et nuptiis necessaria provisurus. Fuit itaque Virgo Maria Joseph viro suæ tribus desponsata, quia mulier viro alterius tribus nubere non poterat, quando ad ipsam hereditas paterna pertinebat. Beata autem Virgo fuit unica Joachim patri suo, succedens in hereditate, et ideo ex Lege cogebatur viro suæ tribus nubere. Ambo autem de eadem tribu erant, quia ambo a David descenderant; sed Maria per Nathan, et Joseph per Salomonem. Et licet Joseph etiam cogeretur ad matrimonium contrahendum secundum temporis illius modum, tamen habebat virginitatem in desiderio et proposito, sed nondum expresserat in voto. Contraxit itaque matrimonium cum Virgine, committens se voluntati divinæ. Et postmodum ex divina revelatione Joseph agnovit propositum Mariæ, et tunc ex communi consensu voverunt virginitatem servare. Unde secundum *Augustinum,* Maria et Joseph antequam facta esset mutua desponsatio, virginitatem servare proposuerunt, et uterque consensit in matrimonium, revelatione Spiritus Sancti. Nec aliter consensisset in alterum, nisi docente Spiritu Sancto, alter alterius cognovisset propositum; sed postea uterque propositum suum exprimens verbo, Deo voverunt virginitatem.

4 Joseph et ipse virgo. — Adhuc enim, ut creditur, Joseph virgo erat, cujus ratio hæc esse potest : quia cum Christus in passione sua nulli matrem servandam tradidit nisi virgini, non est probabile quod ante conceptum, dum adhuc esset juvencula, traderetur alicui custodienda, nisi virgini. Fuit autem beata Virgo desponsata Joseph, non desponsatione futuras nuptias promittente; sed desponsatione et consensu per verba de præsenti. Et ita verum matrimonium fuit inter ipsos, et consummatum; solemnitates enim nuptiarum non sunt de substantia matrimonii, unde Joseph et sponsus et vir ejus solet vocari. Unde dicit *Hugo,* quod cum beata Virgo virginitatem vovisset, et parentes eam nubere juberent, timens illa inobediens esse parentibus, nec virginitatis propositum deserere volens, per Spiritum Sanctum edocta commisit se Deo, certam habens fiduciam quod eam divina misericordia ita custodiret, ut posset parentibus in contrahendo matrimonio obedientiam exhibere, et tamen votum virginitatis non cogeretur frangere. Et ponit exemplum de Abraham, qui repromissionem acceperat in semine Isaac, quem tamen postea jussus est immolare, cui jussioni paruit, sciens pro certo, quia etsi secundum humanam rationem promissioni contraria videretur jussio, secundum illam tamen virtutem, qua Deo possibilia sunt omnia, cum obedientia jussionis impleri posset promissio. Sicque factum est, ut et obedientiæ inveniret meritum, et promissionis consequeretur effectum; ita potuit esse in proposito de beata Virgine.

5 Virginitatem et fœcunditatem amavit et habuit Maria. — Circa

Digitized by Google

hanc desponsationem sic ait *Anselmus* : « Et quidem hæc duo ipsa jucundius amabat, virginitatem scilicet, et fœcunditatem : virginitatem, quia hanc Deo præ omnia placere intelligebat; fœcundidatem, quia sine hac maledictum Legis, quæ adhuc carnaliter custodiebatur, incurrere metuebat. Duo ergo erant in Virginis animo, invisibili sed magno concertantia prælio: virginitatis amor, et legalis maledictionis timor. Verumtamem librato diu multumque consilio, vicit amor, qui præponderabat, et terga dedit timor. Vicit in ea amor servandæ virginitatis, et exclusit ab ea timorem incurrendæ maledictionis. Virgo itaque tenera et delicata, regali ex stirpe progenita, et speciosissima, totam intentionem suam, totum amorem suum, totum studium suum ad hoc intendit, ut corpus et animam suam Deo perpetua virginitate consecraret. Sciebat enim quod quanto sanctius eam conservaret, tanto sublimius ei, qui omnium castissimus, imo qui ipsa castitas est, appropinquaret. Amplectendo igitur quod acceptabilius esse cognovit Domino Legis, speravit et credidit se plene evasuram maledictionem datæ Legis, reputans secum illud tantæ bonitatis, tantæque sapientiæ, ut dum se nullatenus juxta conscientiam suam melius scire, aut posse facere quam faciebat adverteret, tutum consilium, ne quid peccati in istis subiret, inveniret. Nec decepta est. Quis enim speravit in Domino, et derelictus est ab eo? Denique ubi tam sanctam intentionem ejus, tam castum propositum ejus, tam firmam fidem, constantem spem, et indeficientem vidit charitatem ejus, eo misericordiæ suæ intuitu egit circa illam, ut nec sanctitas intentionis ejus frustraretur, nec castitas propositi ejus violaretur. Ne autem firmitas fidei infirmata spei constantia titubaret, aut charitatis in ea plenitudo deficeret, occurrit ei auxilium, quæ ei et quod timebat eriperet, et quod amabat salvo signaculo non auferret. Dedit ergo illi, ut et virgo, quod et magis optabat, permaneret; et, ut nemo illam a maledicto liberrimam dubitaret, fœcunda fieret. Dedit ei ut esset et prole fertilis, et virginalis damni immunis: » hæc *Anselmus*.

6 B. Annæ mariti, filiæ et nepotes. — Et est hic sciendum, propter Mariæ cognationem, de qua in Evangelio sæpe fit mentio, quod Anna tres viros successive habuit : primo, Joachim; secundo, Cleopham, fratrem Joseph; tertio, Salomam. De quolibet horum filiam unam suscepit, et quamlibet Mariam appellavit. Hæ tres Mariæ tres viros habuerunt : prima, Joseph; secunda, Alphæum; tertia, Zebedæum. Prima peperit Christum; secunda, Jacobum Minorem, et Joseph justum, qui et Barsabas est dictus, ac Simeonem et Judam; tertia, Jacobum Majorem, et Joannem Evangelistam. Jacobus autem Zebedæi licet posterior natu, tamen Major est dictus, quia prius a Domino vocatus; ad cujus distinctionem Jacobus Alphæi, Minor est appellatus. Hic Jacobus Minor et tres fratres sui præ ceteris consanguineis dicti sunt fratres Domini, quia non solum cognati erant de duabus sororibus, sed ut putabantur agnati tanquam ex duobus fratribus, scilicet Joseph et Cleopha descendentes. Inter quos tamen antonomastice Jacobus Minor frater Domini est dictus, quia erat ei in facie et lineamento corporis similis.

7 Cur de desponsata Christus nasci voluit? Causæ ex parte

Digitized by Google

PUERI. — Voluit autem Dominus matrem suam habere virum, et non de simplici, sed de desponsata concipi et nasci, diversis ex causis; quarum quædam accipiuntur ex parte pueri, quædam ex parte matris, quædam ex parte aliorum. Ex parte pueri sumuntur rationes quinque. Prima, secundum *Hieronymum*, propter declarationem originis, ut per generationem Joseph, cujus Maria cognata erat, origo Mariæ monstraretur, et more Scripturarum genealogia Christi per virum describeretur.—Secunda, secundum *Ambrosium*, propter remotionem suspicionis, ne scilicet a Legis injuria incepisse videretur, cum partus innuptæ Lege damnaretur. — Tertia, secundum eumdem, propter remotionem suspicionis, ne scilicet Herodes et Judæi Christum juste, quasi de adulterio natum, persequi viderentur; et ab infidelibus tanquam illegitimus abjiceretur. — Quarta, secundum *Origenem*, propter sustentationem pueri maxime cum deberet in Ægyptum portari, ut scilicet Joseph nutriret eum; unde et Joseph nutritius Domini appellatur. Quinta, secundum *Origenem*, *Hieronymum* et *Basilium*, propter occultationem nativitatis Christi, ut videlicet mysterium et partus Filii Dei diabolo celaretur, dum eum putaret non de virgine, sed de uxore generatum.

8 CAUSÆ EX PARTE MATRIS. — Item, quinque rationes sumuntur ex parte matris. Prima, secundum *Ambrosium*, ne gravida apparens infamaretur : et ideo permisit Dominus quod potius de suo ortu, quam de matris pudore dubitaretur. — Secunda, secundum *Bedam* et *Hieronymum*, ad vitationem pœnæ, ne scilicet tanquam adultera a Judæis calumniaretur, et sic quasi juste lapidaretur. — Tertia, secundum *Hieronymum* et *Origenem*, ad sustentationem solatii, ut scilicet viri ministerio et solatio, et maxime in Ægyptum fugiens, et inde rediens, frueretur. — Quarta, secundum *Glossam*, ad roborationem fidei, ut scilicet Mariæ verbis major fides adhiberetur; innupta enim prægnans mentiri videretur, nec ei, si se virginem esse diceret, crederetur. — Quinta, ad participationem status singuli, ut videlicet mater Domini haberet aliquid cujuslibet status, scilicet : virginitatis, matrimonii, et viduitatis.

9 CAUSÆ EX PARTE ALIORUM. — Item, quinque rationes sumuntur ex parte aliorum. Prima, secundum *Ambrosium*, ad remotionem excusationis peccati, ne virginibus impudicis et male viventibus velamen excusationis præberetur, ex quo mater Domini infamata videretur. — Secunda, secundum *Origenem*, ad confirmationem matrimonii contra futuros hæreticos, matrimonium damnare volentes; vel, ut per hoc quod de virgine et desponsata nasceretur, uterque status et virginum et conjugatorum approbaretur, contra hæreticos alteri istorum detrahentes. — Tertia, ad sublevationem opprobrii, ut scilicet ab omni gradu feminarum tolleretur opprobrium, quod in Eva incurrunt omnes feminæ; et tam virgines quam nuptæ, quam etiam viduæ a communi opprobrio, quod in Eva contraxerant, eximerentur in persona Mariæ. — Quarta est ad commendationem exempli : ut videlicet ostenderet, facta desponsatione, ante conventionem, liberum esse transire ad meliora vota, sponso irrequisito, ut est in religionis ingressu, ubi anima desponsatur Deo; sicut fuit in beata Virgine. — Quinta est, secundum *Chrysostomum*, ad declarationem mysterii, quo scilicet ipsi Christo desponsatur Ecclesia, quæ virgo est immaculata sem-

Digitized by Google

per et sine ruga; cujus virginis sumus filii in fide Jesu Christi, quia, secundum *Lenonem* Papam, quo spiritu de Virginis utero nascitur Christus, hoc de Ecclesiæ utero nascitur Christianus.

10 MARIA CUR FABRO NUPSERIT? EJUSQUE FIGURÆ. — Ideo autem, secundum *Chrysostomum,* beata Maria fabro lignario desponsata fuit, quia Christus Ecclesiæ sponsus omnium salutem per lignum crucis operari debebat; et secundum *Augustinum,* Christus nascendo de matre, quæ fabro desponsata erat, omnem carnalis nobilitatis tumorem extinxit. Hæc fuit præfigurata per virginem Saram, Raguelis filiam, Tobiæ desponsatam, quæ ab omni concupiscentia mundam servavit animam; multo magis Maria Joseph desponsata, quæ virgo in æternum permansit immaculata. Comparatur etiam virgo Maria turri fortissimæ, quæ dicebatur Baris, quæ, ut in Scholastica Historia dicitur, duobus custodibus defendi poterat ab omnibus viventibus; tam fortissima et invincibilis fuit virgo Maria, cujus custos præcipuus erat Deus æterna sapientia. Cujus vita etiam comparatur turri David, quæ munita erat mille clypeis, qui de ea dependebant; quia mille virtutes et multo plures in Maria apparebant, quibus vita ejus munita erat in tantum, quod omnes tentationes et peccata superabat : et non solum hoc a se, sed etiam ab aliis, gratiam suam infundendo, repellebat. Considera modo quantæ ante hanc beatam Virginem, et etiam quantæ post eam mulieres et virgines fuerint : hæc tamen sola mater Domini fieri meruit. Magna enim et ineffabilis gratia est, ut una ex tantis millibus eligatur. Ideo autem præ ceteris electa fuit, quia omnes alias sanctitate præcelluit. Unde *Anselmus* : « Eam solam, *scrutans corda et renes Deus,* ex omnibus virginibus quas capiebat mundus elegit et sacravit, ut habitaret in ea corporaliter, quam jam pridem plenam virtutibus fovebat, et circumplectebatur spiritualiter. Ipsam autem omnes mulieres sanctitate præcelluisse, puto quod intelligit, qui animadvertit. Nam aliæ quidem partes gratiarum meruerunt; ipsa autem *plena gratia,* ab Angelo salutatur : » hæc *Anselmus.*

ORATIO

Salve, virga Jesse florida et fructifera, Maria virgo beatissima, de qua unicus ille et singularis flos et fructus prodiit, unde virtutum spiritualium germen erupit : flos suavissimum emittens odorem, fructus sapidissimus, immittens dulcorem; flos, cujus bonitas expellit mœstitiam, fructus, cujus satietas plenam dat lætitiam. Benedicta virga de radice Jesse! Benedictus flos, qui de tali radice ascendit! Benedicta arbor, benedictus et arboris fructus! Tuo ergo flore me recrea; tuo fructu ab omni miseria me libera, Virgo Maria, in æternum benedicta. Amen.

Digitized by Google

CAPUT IV

De conceptione Joannis Præcursoris.

Lucæ cap. 1.

1 De Zacharia Præcursoris patre.— *Fuit autem in diebus* illis, scilicet in diebus *Herodis, regis Judææ sacerdos quidam nomine Zacharias, de vice Abia; et uxor ei, nomine Elizabeth,* Aaronica. *Erant autem ambo justi ante Deum,* non sicut hypocritæ, quoniam fingunt justitiam ante mundum, *incedentes in omnibus mandatis,* quantum ad observantiam moralium præceptorum, *et justificationibus Domini,* quantum ad observantiam ceremonialium, *sine querela* quantum ad observationem judicialium, quia pacifice ad proximos se habebant. *Et non erat illis filius,* propter sterilitatem, quæ est causa specialis mulieri, et senectutem, quæ est causa communis viro et mulieri. Ex quo apparet conceptio Præcursoris miraculosa, quia non fuit tantum per naturam, sed per naturam gratia divina adjutam. Iste Herodes de patre Idumæo descendens fuit alienigena, et jam sceptrum ablatum fuit de Juda, et ideo tempus adventus Christi instabat; quia Jacob patriarcha spiritu prophetico signum adventus Christi prædixerat, quando regnum Judææ ad alienigenam translatum esset, dicens : *Non auferetur sceptrum de Juda, et dux de femore ejus, donec veniat qui mittendus est; et ipse erit expectatio Gentium.* Et sciendum hic quod cum Moyses unicum instituisset summum sacerdotem, cui mortuo unus per ordinem succederet, David volens ampliare cultum domus Domini, de viginti quatuor familiis, quæ descenderant ab Aaron, instituit viginti quatuor sacerdotes : super quos tamen unus maximus erat et summus omnium, qui dicebatur Princeps sacerdotum. Instituit etiam ut vicissim ministrantes per hebdomadam, a sabbato usque in sabbatum, in tempore vicis suæ singuli castimoniæ studerent, nec interim in domum propriam intrarent, sed in domunculis circa templum constitutis, quæ Exedræ vocabantur, cubarent. Et secundum sortes dedit cuique vicis suæ hebdomadam, et octava sors cecidit super Abiam, de quo descendit iste Zacharias. Similiter de tribu Levitarum viginti quatuor Levitæ erant, ut ipsi quoque eodem modo sortiti, juxta morem sacerdotis, octenis diebus ministrent. Zacharias autem *cum in ordine vicis suæ sacerdotio fungeretur,* secundum exigentiam sortis suæ octavæ, *exiit* de domo ubi se sacerdotalibus vestibus induit, *ut incensum poneret, ingressus in templum Domini,* decima die mensis septimi, id est septembris. *Et* interim *omnis multitudo populi erat orans foris,* extra templum, quia non erat licitum populo ingredi templum, sed tantum atrium.

Digitized by Google

2 NON FUIT SUMMUS SACERDOS. — Ex his videtur Zacharias fuisse sacerdos simplex, non summus; quia hic dicitur quod ingressus fuit templum ad ponendum incensum tantum : hoc autem licitum erat minoribus sacerdotibus, secundum quod dicit Apostolus : *In primo quidem tabernaculo quotidie introibant sacerdotes sacrificiorum ministeria consummantes ;* quia peracto sacrificio in altari holocaustorum, quod erat in atrio, ubi ministrabant sacerdotes minores, sacerdos qui ibi ministraverat, accipiebat prunas de altari holocaustorum, et intrans primam partem templi, quæ vocatur sanctum vel sancta, concremabat in illa super altare incensi thymiama, et tunc erat sacrificium consummatum; et hoc fiebat omni die. In hoc enim erat consummatio sacrificii, quia sacrificia veteris Legis non erant accepta, nisi ex fide et devotione offerentium. Devotio autem per thurificationem designabatur, et ideo in hoc sacrificium consummabatur. In illam vero partem templi, quæ dicebatur sanctum sanctorum, solus summus sacerdos, semel intrabat cum sanguine hirci et vituli, immolati pro peccato populi, ut ex illo aspergeret contra propitiatorium. Quod autem Zacharias intraverit cum sanguine tali, non dicitur hic ; sed solum ad ponendum incensum, unde *Angelus apparuit ei a dextris altaris incensi,* quod etiam vocatur altare aureum. Hoc autem altare non fuit intra sancta sanctorum, sed in prima parte templi, ad quam simplices sacerdotes poterant ingredi. Sed incensum quod soli summo sacerdoti licitum erat ponere intra sanctum sanctorum in die expiationis, hoc non ponebatur ad offerendum, sed ut nebula inde consurgens operiret oraculum, quando Pontifex aspergebat sanguine vituli et hirci contra oraculum; et nec aliquis historiographus, describens sacerdotium Judæorum, mentionem facit de summo Zachariæ sacerdotio.

3 ZACHARIAS QUID INTERPRETETUR ET SIGNIFICET? — Per Zachariam, qui *Domini memor* interpretatur, bonus prælatus significatur, qui in suo pectore debet Dei memoriam gerere, pro sua et suorum subditorum salute. Hic autem templum ingreditur per diligentem divini cultus sollicitudinem, et offert incensum, per devotam orationem ; et populus orat per ejus informationem. Triplex vero debet haberi de Deo memoria, scilicet : potentiæ ejus, quoad opera creationis; sapientiæ, quoad opera recreationis; bonitatis, quoad opera retributionis : ita ut prima ad Patrem, secunda ad Filium, tertia ad Spiritum Sanctum referatur.

4 APPARITIO ET COLLOQUIUM ANGELI. — *Apparuit autem* Zachariæ Gabriel *Angelus stans a dextris altaris incensi.* Quo viso, *timor irruit super eum,* propter altioris et potentioris naturæ aspectum : sed bonus a malo discernitur, quia malus horrorem continuat, qui, secundum *Bedam,* nulla melius ratione quam fide intrepida superatur; bonus autem statim confortat et consolatur. Unde Angelus statim eum confortavit, dicens : *Ne timeas, Zacharia.* Quasi diceret : Veni ad consolationem tuam, et ideo subditur : *Quia exaudita est deprecatio tua.* Orabat enim non pro sobole, de qua jam non sperabat, præsertim cum de sua suæque uxoris ætate diffideret, eo usque ut Angelo id promittenti non crederet; sed pro populi peccatis, et redemptione, et adventu Messiæ. Et quia salus populi per Christum futura erat, nuntiavit ei filium nascturum,qui pœnitentiam et fidem præ-

Digitized by Google

dicando plebem Salvatori præpararet. Nomen quoque pueri indicavit, quia Joannes vocari debuit. Joannes enim interpretatur, *in quo est gratia;* ipse vero Christum manifestavit, per quem *gratia et veritas facta est.* Ubi *Beda :* « Joannes interpretatur *in quo est gratia;* vel, *Domini gratia :* quo nomine declaratur primo parentibus ejus gratiam, quibus decrepitis filius nasceretur, esse donatam; deinde ipsi Joanni, qui *magnus coram Domino* erat futurus, et adhuc in utero matris Spiritus Sancti munere ditandus; postremo etiam filiis Israel, quos ad Dominum Deum ipsorum erat conversurus : » hæc *Beda.* Patri quoque inde gaudium scilicet interius, et exultationem scilicet exterius, insinuavit. Dicitur enim exultatio, quasi extra saltatio, et hoc est proprie quando gaudium est tantum interius, quod non potest contineri, quin appareat exterius. Lætitiam etiam multis aliis in ejus nativitate promisit : quia in ortu ejus non solum pater, sed et alii multi sunt gratulati; et nunc etiam videmus impleri, quia dies suæ nativitatis non solum festivatur ab omnibus Christianis, sed etiam a Sarracenis, et quibusdam aliis. Unde *Beda :* « Merito pater gaudet, quod vel in senecta natum, vel talis gratiæ acceperit filium. Gaudent et alii, quibus inauditum eatenus regni cœlestis evangelizavit ingressum. » Unde et *Ambrosius :* « Solemnis lætitia est in ortu et generatione justorum. Sanctus enim non solum parentum gratia, sed etiam salus est plurimorum. Unde admonemur hoc loco Sanctorum generatione lætari : » hæc *Ambrosius.*

5 Sensus moralis præmissorum. — Moraliter in quolibet nostrum possumus invenire Zachariam, et uxorem ejus Elizabeth, quæ parit ei filium, cujus nomen debet vocari Joannes, eritque sibi gaudium et exultatio, et multi in nativitate ejus gaudebunt. Elizabeth, uxor Zachariæ, potest intelligi caro copulata Spiritui Sancto; quia sicut vir regit et castigat uxorem, ita spiritus castigare et regere debet carnem, ne lasciviat et incidat in fornicationis reatum. Hæc parit ei filium, quando spiritus per carnis officium exercet opus vivum, ut si dat eleemosynam, vestit nudum, pascit esurientem, visitat infirmum, sepelit mortuum, et cetera hujuscemodi : tunc *uxor* ipsius *sicut vitis abundans, in lateribus domus suæ.* Hujus filii nomen debet Joannes, videlicet *Dei gratia,* vocari : quia nemo bonum opus debet sibi adscribere, sed tantum gratiæ Dei. Eritque sibi gaudium et exultatio, quia de bono opere gaudebit et exultabit, qui mentem lætificat et serenat. *Et multi in nativitate ejus gaudebunt,* omnes videlicet boni qui proximo suo congratulantur in bono. Est ergo nobis summopere providendum, ut qui gaudemus exterius, tripudiantes in corpore, gaudeamus interius exultantes in mente; quia reliquiæ cogitationum diem festum agunt Domino. Non est impiis gaudere, dicit Dominus, nec peccatoribus a facie peccatorum. Quocirca purgemus animas nostras a maculis vitiorum, ut tantæ solemnitatis gaudium digne celebrare possimus.

6 Futura Joannis Baptistæ magnitudo. — Magnificentiam etiam pueri coram Domino futuram in virtute, sanctitate et dignitate Angelus prænuntiavit. Cujus magnitudo in quatuor consistit, secundum quatuor dimensiones, scilicet : in altitudine conversationis, in profunditate humilitatis, in latitudine charitatis, in longitudine perseverantiæ finalis; secundum illud Apostoli : *Ut possitis comprehendere*

Digitized by Google

cum omnibus Sanctis, etc., Salvatore quoque postmodum attestante : *Inter natos mulierum major* eo *non surrexit.* Sed et Angelus multifariam ejus magnitudinem subsequenter exposuit, et plura ipsius privilegia seriatim memoravit. Nam vitam ejus cum abstinentia prædixit, scilicet quod *vinum et siceram,* id est, poculum quod inebriare potest, bibiturus non esset, quia non decet vas cœlesti mancipatum gratiæ, seculi illecebris deservire. In quo patenter indicavit Angelus, quia ab omnibus vitiis et mundi illecebris, quæ statum mentis solent evertere futurus erat immunis. Prædixit etiam Angelus quod Spiritu Sancto ex utero esset replendus, scilicet quantum ad purgationem originalis peccati, et ad operationem boni meritorii. In quo profecto ostendit, quia natus in mundum cunctis virtutum fructibus clarificandus esset. Prædixit quoque quod multos filios Israel converteret ad Dominum, id est, ad Christum : quod et fecit prædicando ipsum, et perhibendo de eo testimonium. Prænuntiavit insuper Angelus, quia ante Dominum in spiritu, et virtute Eliæ esset præcessurus : primo, propter similitudinem officii; quia sicut Elias præcedet adventum Christi secundum, ita Joannes præcessit primum : secundo, propter similitudinem vitæ; quia uterque vixit in magna victus et vestitus austeritate : tertio, propter similitudinem doctrinæ; quia uterque constanter redarguit vitia, etiam personarum magnarum. Ad hoc autem debebat præcedere, ut converteret corda patrum in filios, scilicet quantum ad Scripturarum intelligentiam, et incredulos ad prudentiam istorum, quoad fidei obedientiam; et pararet Domino plebem perfectam, quoad Evangelii et Novi Testamenti gratiam suscipiendam, quia neminem ad perfectum adduxerat Lex. Et propter hoc dicitur illa lex timoris; quia imperfectorum est, timore pœnæ retrahi a malis : Lex autem Evangelica dicitur lex amoris; quia perfectorum est a malis retrahi amore boni. Sicut autem de parentibus senibus talis et tantus natus est, sic sæpe provectæ ætatis homines et bonis operibus steriles, ex dono Spiritus Sancti faciunt magnum fructum in Ecclesia Dei, sicut patet de Augustino et Dionysio, qui provectæ ætatis vocati fuerunt ad fidem Christi.

7 ZACHARIAS CUR OBMUTUIT? — Zacharias autem sterilitatem uxoris, et utriusque senectutem considerans, verbis Angeli non credidit, et ob hoc usque in diem partus obmutuit, significans quod jam adveniente Christo, Lex et Prophetiæ adimpletæ tacerent. Unde *Chrysostomus :* « Et ideo Zacharias sacerdos Judæorum obmutuit, quia jam cessare et obmutescere oportebat sacrificia eorum, quæ pro peccatis populi offerebantur. Veniebat enim solus Sacerdos qui Agno proprio immolato, sacrificium Deo pro peccatis omnium offerret. » Per hoc quoque quod dubitans factus est mutus, significatur quod lingua dubitantis in fide facta est muta, quoniam ejus oratio non est Deo accepta. Per hoc etiam quod post revelationem sibi factam obmutuit, innuitur quod post revelationem, sive visionem, debet homo reticere quasi mutus, nec se jactare tanquam elatus.

8 QUOMODO EVANGELICOS SACERDOTES ADMONET? — *Ut* autem *impleti sunt dies officii ejus, abiit in domum suam,* ad quam non licebat reverti, durante officio. Vicis enim suæ tempore sacerdotes castimoniæ studebant, ac secundum præceptum Domini, vinum et omne quod inebriare potest, non bibebant. Sed si legalis sacerdos tenebatur ad tantam

Digitized by Google

continentiam, et abstinentiam ac reverentiam sanctorum, multo magis sacerdos Evangelicus, qui tantum conficit sacramentum. Et quia tota hebdomada; qua in templo ministrabat sacerdos ad hoc deputatus, in templo manebat, et non exibat ad propria negotia, intentus ad divina, ex hoc inolevit consuetudo apud aliquos religiosos sancta et honesta, scilicet quod ille qui est hebdomadarius, per totam hebdomadam manet intra claustrum, non exiens ad exteriora, intentus ad divina, quia illo tempore medius est et sequester inter conventum et Deum. Apud quosdam etiam Religiosos abstinet illa hebdomada a communi colloquio, et apud quosdam etiam seculares canonicos, in communi tunc dormit dormitorio.

9 Præcursoris conceptio. — *Post hos autem dies concepit Elizabeth uxor ejus,* scilicet octavo kalendas octobris, et sexta feria; *et* quia senex erat, præ verecundia *se occultabat quinque mensibus,* donec Maria conciperet, et fœtus ejus exultans cum gaudio prophetaret. Licet enim de conceptu et de ablato opprobrio sterilitatis gauderet, propter anilem tamen ætatem aliquantulum erubescebat, ne in senectute videretur libidini vacasse. Antiqui enim ubi non erat spes de prole, non conveniebant inter se. Ubi *Beda :* « Quanta sanctis cura sit, ne quid turpe de quo erubescere debeant admittant, ostendit Elizabeth, quæ et de ipsis quæ accipere cupiebat donis erubescit. » Considera ergo hic quomodo Elizabeth etiam de licitis erubescebat coram hominibus, et stude de illicitis omnibus erubescere et abstinere, non solum coram hominibus, sed etiam coram Deo et Angelis ejus. Nam, testante *Boetio,* magna est nobis indicta necessitas recte vivendi et probitatis, qui omnia facimus ante oculos judicis cuncta cernentis. Unde *Augustinus :* « Quidquid fecero, Deus assistit, utpote perpetuus inspector omnium cogitationum, intentionum, et actionum. Cumque hæc diligenter considero, timore pariter et ingenti rubore confundor; quia illum ubique præsentem, et omnia occulta mea videntem intueor : multa enim sunt in me de quibus coram Deo erubesco. » Et ideo ait *Anselmus :* « Ibi pecca, ubi Deum esse nescis. » Unde quidam alius :

Cum quid turpe facis, quod me [spectante ruberes,
Cur spectante Deo, non magis [ipse rubes?

Inter proprietates quippe hominis, una est verecundari in turpi perpetrato. Propter quod inverecundi dicuntur inemendabiles, quia in aliquo a rationis honore mutati sunt, pecorinam naturam assumentes, et tanquam effrontes inter homines rationales se habentes.

ORATIO

Sancte Joannes, tu, eodem Angelo quo Christus denuntiante, conceptus, et prius ab ipso Angelo laudatus, quam a patre genitus; tu de quo dixit Deus : *Inter natos mulierum non surrexit major :* ad te, domine, tam sanctum, tam beatum, tam magnum confugio, dubius de salute mea, quia certus de magna mea culpa, sed sperans de majori tua gratia. Dele ergo apud Deum scelera mea, quia majora sunt apud eum merita tua. Magna enim sunt, magne Joannes, merita tua, ut sufficere possint tibi et mihi, et si prosint mihi, nihil minuentur tibi; suppleat ergo tua abundantia meam inopiam, ut de te me ditatum et salvatum in æternum gaudeam. Amen.

Digitized by Google

CAPUT V

De conceptione Salvatoris.

Lucæ cap. 1.

1 MITTITUR AD VIRGINEM MARIAM GABRIEL ARCHANGELUS. — *In mense autem sexto* a conceptione Præcursoris, postquam venit plenitudo illius sacratissimi et felicissimi temporis, scilicet principium sextæ ætatis, quo summa Trinitas generi humano per Incarnationem Verbi providere ante tempora ordinaverat; vocans Deus omnipotens Gabrielem archangelum, unum de primis principibus regni sui, misit eum *in civitatem Galilææ,* dictam Nazareth, *ad Virginem* Mariam *desponsatam* Joseph *viro* de suo genere, quia ambo erant de domo David, de familia regali, de tribu et stirpe nobili, et præ ceteris religiosa, sicut dicit *Bernardus.* Placuit Deo eodem ordine, et eodem modo hominem reconciliare quo noverat cecidisse. Ceciderat autem homo, secundum *Bedam,* diabolo destinante, serpente exequente, dialogo interveniente, muliere consentiente. Reparatus est eodem ordine e contrario, Deo destinante, Angelo exequente, dialogo interveniente, et Virgine consentiente. Verba autem hic posita mysteriis sunt plena, et ideo, ut dicit *Beda,* solemniter sunt notanda, tantoque diligentius cordi inserenda, quanto manifestius apparet, quod in ipsis tota redemptionis nostræ summa consistit. Libenter enim debemus recordari de principiis nostræ salutis. Notandum ergo quod numerus senarius non vacat a mysterio. Unde Christus conceptus est sexta ætate, quia per ipsum debebant omnia perfici; numerus autem senarius perfectus est; item sexta chyliade, id est, millenario, qui est limes omnium numerorum, ut Christus est limes et finis omnium entium; item sexto mense, quia illo mense factus est mundus, qui per ipsum refici debebat, sicut per ipsum factus fuerat; item sexta feria, quia illa die homo est creatus, et per ipsum recreari debebat jam perditus. Et ideo similiter eadem ætate, eodem millenario, eodem mense, et eadem feria passus est, revolutis XXXIII annis. Et forte, ut omnia convenirent, dici posset, quod etiam sexta hora conceptus esset, quia ea hora passus est, sicut etiam eadem hora homo peccavit, ut sic secundum quamdam congruentiam, eadem hora qua Eva seducta fuit per diabolum, Maria edocta sit per Angelum.

2 GALILÆA ET NAZARETH QUID INTERPRETENTUR? — *Missus est igitur angelus Gabriel,* qui *Dei fortitudo* interpretatur, ut Dei virtutem et Dei sapientiam suscipere nuntiaret, in qua humilis apparens aereas potestates debellaret; et ideo merito de ordine Archangelorum esse debuit, quia magna nuntiavit. *Missus est a Deo;* Deus autem mittens Angelum, fuit tota Trinitas, licet Patri specialiter attribuatur. Pater quidem

Digitized by Google

misit, quia ei incumbebat providentia de Filio, de Sponsa, et de Genitrice; Filius vero misit, quia venturus erat in Virginem; Spiritus Sanctus etiam misit, quia ipse sanctificare et obumbrare habuit ipsam. *Missus est in civitatem Galilææ,* quæ interpretatur *transmigratio,* quia scilicet transiturus erat de incredulitate Judæorum ad fidem Gentium; est autem duplex Galilæa: una est Gentium, conjuncta Tyris, quam Salomon dedit regi Hiram, et de illa hic non dicitur; alia est Judæorum, quæ est super mare Galilææ, et de illa hic intenditur; *cui nomen Nazareth,* quod interpretatur *flos.* Conveniens enim fuit, ut verus flos, id est Christus, conciperetur in flore, id est, in Nazareth; et de flore, id est, de Beata Virgine; et cum floribus, id est, tempore florum: et sic accipiemus florem, de flore, in flore, inter flores. Dicitur autem flos Jesus, propter sanctæ conversationis pulchritudinem et decorem, propter bonæ opinionis suavitatem et odorem, propter passionis fructum, et conversationis fidelium utilitatem. Iste flos floruit in conceptione, apparuit in nativitate, emarcuit in passione, sed refloruit tandem in resurrectione. Si ergo vis capere istum florem, sequere decorem suæ conversationis, prædica odorem operationis, et sic habebis fructum passionis. Noluit Dominus, sicut terreni Reges, magnam civitatem eligere in nuptiis suis, quibus sibi copulavit naturam humanam; sed Nazareth, civitatem parvam, propter humilitatis exemplum, ut nos doceret semper humilia loca eligere: sed in civitate Jerusalem magna elegit pati, ut nos doceret opprobria coram multis pro ipso non erubescere.

3 Cur de Virgine Christus nasci voluit? — *Missus est,* inquam, *ad Virginem* non quamlibet, sed virginem mente, virginem corpore, virginem professione. Voluit autem Christus concipi et nasci de Virgine. Primo, secundum *Bernardum,* quia congruum fuit, ut si Deus concipi vel nasci debuit, non nisi de Virgine conciperetur vel nasceretur; item si Virgo conceptura vel paritura erat, non nisi Deum conciperet vel pareret. — Secunda ratio est, secundum *Damascenum,* ut qui in cœlis Patrem habet sine matre, in terris haberet Matrem sine patre. — Tertia, secundum *Augustinum,* ut signaret membra sua mystica de Virgine Ecclesia secundum spiritum nascitura, ideo decuit Caput de Virgine nasci. — Quarta, ut sicut primus Adam de terra virgine factus fuerat, ita secundus Adam de Virgine homo fieret. — Quinta, ut sicut per Evam virginem facta fuit humani generis perditio, ita per Mariam Virginem fieret ejusdem reparatio. *Ad Virginem,* inquit, *desponsatam viro.* Cur autem de desponsata concipi et nasci voluit, supra de desponsatione Virginis Mariæ dictum est. Virum vero nominat, ut dicit *Bernardus,* non quia maritus, sed quia homo virtutis et justus erat, et ideo fuit testis legitimus. Unde Joseph, id est, *accrescens,* scilicet per augmentum virtutum, dicitur; per quod continuus profectus virtutum innuitur. Et nota quatuor famosos Joseph in Scriptura. Primus fuit filius Jacob, in quo notatur prudentia; quia somnia Pharaonis prudenter exposuit. Secundus Joseph, vir Mariæ, in quo notatur temperantia; quia Mariam Virginem resignavit. Tertius Joseph ab Arimathia, in quo notatur fortitudo; quia audacter introivit ad Pilatum, et petiit corpus Jesu. Quartus Joseph Justus, in quo notatur justitia, unde et justus est nominatus. Tale itaque decebat habere nomen sponsum Vir-

Digitized by Google

ginis, in quo inveniretur mysterium omnis virtutis. Additur autem *de domo David,* ad ostendendum quod Christus descendit de semine David, sicut fuerat per Prophetas prædictum. Licet enim Joseph non fuerit pater Salvatoris, tamen Virgo Maria de qua Christus carnem assumpsit, fuit de eadem tribu cum Joseph, scilicet, de tribu ipsius David.

4 PRIMA INTERPRETATIO NOMINIS MARIÆ : STELLA MARIS VEL ILLUMINATRIX. — Merito autem additur : *Et nomen Virginis Maria :* hoc enim venerabile nomen, triplicem habet interpretationem in triplici lingua. Hebraice interpretatur *stella maris,* vel *illuminatrix ;* Latine etymologizatur *mare amarum ;* Syriace vero *domina* nuncupatur. Ipsa fuit maris stella in Filii Dei nativitate, tunc enim emisit radium totum mundum illuminantem; mare amarum in Filii passione, quia tunc ipsius animam pertransivit gladius; sed domina in sua assumptione, quando super choros Angelorum est exaltata. Item Maria dicta est stella maris, in peccatorum conductione, quia per mare hujus seculi eos dirigit ad portum pœnitentiæ, et sic ad Filium perducit; in cujus etiam signum in nativitate Christi stella Magis apparuit, quæ eos ad natum Infantem perduxit : unde oculi omnium peccatorum sint ad ipsam, sicut oculi omnium nautarum ad stellam. Unde *Bernardus :* « Ne avertas oculos tuos a fulgore hujus sideris, si non vis obrui procellis. O quisque te intelligis in hujus seculi profluvio magis inter procellas et tempestates fluere, quam super terram ambulare, respice stellam, voca Mariam. Si jactaris superbiæ undis, si ambitionis, si detractionis, si æmulationis, respice stellam, voca Mariam. Si iracundia, aut avaritia, aut carnalis illecebra naviculam concusserit mentis, respice stellam, voca Mariam. Si criminum immanitate turbatus, vel conscientiæ fœditate confusus, baratro desperationis incipias absorberi, respice stellam, voca Mariam. In periculis, in angustiis, in rebus dubiis Mariam cogita, Mariam invoca; non recedat ab ore, non recedat a corde : et ut impetres ejus orationis suffragium, ne deseras conversationis exemplum. Ipsam sequens non devias, ipsam rogans non desperas, ipsam cogitans non erras; ipsa tenente non corruis, ipsa protegente non metuis, ipsa ducente non fatigaris, ipsa propitia ad portum pervenis : sic in temetipso experiri poteris quam merito dictum sit, *nomen Virginis Maria,* maris stella : » hæc *Bernardus.* Item illuminatrix interpretata est, quia splendore gratiæ, et exemplis suæ sanctissimæ vitæ mundum illustravit. Unde de ea canit Ecclesia : *cujus vita inclyta cunctas illustrat Ecclesias.* Hinc ait *Bernardus :* « Tolle hoc corpus solare, ubi dies ? tolle Mariam, hanc maris stellam, quid nisi caligo involvens, et umbra mortis, ac densissimæ tenebræ relinquuntur? » hæc *Bernardus.* Est quippe stella maris, hujus utique tenebrosi maris, ubi *reptilia, quorum non est numerus.* Plures stellas habet cœlum : mare unam quæ præ omnibus illis clarior, et melior est, micans meritis, illustrans exemplis. De hac enim una ortus est Sol justitiæ, cujus fulgore illustrantur omnia : quam *qui sequitur, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ.* Cujus ergo fulgoris illam stellam esse putamus, quæ hunc tantum talemque Solem peperit mundo? Qui hanc stellam sequitur, deviare non poterit, nec errare.

5 SECUNDA INTERPRETATIO : MARE AMARUM. — Item est mare amarum in peccatorum conversione, quam

Digitized by Google

eis impetrat, ut convertantur de peccatis suis, faciens aquam carnalis delectationis converti in vinum compunctionis. Hoc etiam nomen convenit ei, in quantum mare præsentis seculi, in tota vita sua fuit sibi amarum et insipidum, propter desiderium videndi Filium in regno suo. Item Latine derivatur a mari, in quantum in ipsa est confluentia omnium gratiarum, sicut omnia flumina confluunt ad mare.

6 TERTIA INTERPRETATIO : DOMINA. — Item est domina in tentationum subventione, liberans omnes de angustiis suo tempore. Potest quidem et vult subvenire, quia *Regina cœli* est, et *Mater misericordiæ*. Hoc etiam nomen, scilicet domina, convenit ei in quantum ipsa domina existit, non tantum hominum in terra, verum etiam Angelorum in cœlo, et dæmonum in inferno : et ideo in omni tentatione, et maxime contra infestationes dæmonum invocanda est Maria; quia secundum *Bernardum,* non sic timent hostes visibiles quamlibet castrorum multitudinem, sicut illæ aereæ potestates Mariæ vocabulum, patrocinium et exemplum. Sicut enim pulvis ante faciem venti spargitur, et sicut cera ante faciem ignis liquescit, sic ad invocationem hujus nominis Mariæ, fugiunt et pereunt. Et iterum : « Ubi nomen Mariæ nominatur, ibi dæmonium effugatur; reis venia, medela ægris, pusillis corde robur, afflictis consolatio, peregrinantibus adjutorium datur : » hæc *Bernardus*. — Vel aliter potest accipi : ut in quantum *mare amarum,* gerat typum activorum ; in quantum *stella,* vel *illuminatrix,* seu *illuminata,* gerat typum contemplativorum; sed in quantum *domina,* gerat typum prælatorum.

7 GABRIEL QUALITER MARIAM INVENERIT ? — *Missus est* igitur *angelus Gabriel ad Mariam,* ut annuntiaret ei et diceret, quia Dei Filius speciem suam concupisceret, et eam sibi in Matrem elegisset, ipsamque moneret et induceret, ut eumdem Filium lætanter susciperet; quia per eam totius humani generis salutem Deus operari decrevisset. Unde *Bernardus :* « Felix Maria cui nec humilitas defuit, nec virginitas ! Ut enim quæ Sanctum Sanctorum conceptura erat, pariter et paritura, sancta esset corpore, accepit donum virginitatis; ut esset et mente, accepit et humilitatis. His nimirum Virgo regia gemmis ornata virtutum, geminoque mentis pariter et corporis decore præfulgida, specie sua et pulchritudine sua, in cœlestibus cognita cœli civium in se provocavit aspectus, ut et Regis animum in sui concupiscentiam inclinaret, et cœlestem nuntium ad se de supernis adduceret. *Et ingressus Angelus ad eam :* quo ? puto in secretarium cubiculi, ubi illa fortassis, clauso super se ostio, orabat Patrem suum in abscondito. Nec suspicandum est, quod apertum Angelus invenerit ostium Virginis, cujus in proposito erat hominum frequentias fugere, vitare colloquia, ne vel orantis pertubaretur silentium, vel continentiæ castitas tentaretur. Clauserat itaque etiam illa hora suum super se habitaculum prudentissima Virgo, sed hominibus, non Angelis : » hæc *Bernardus*. Non igitur in plateis Maria erat, non in publico morabatur, intus erat, in penetralibus sola sedebat, nec tamen sola tanto virtutum exercitu circumsepta. Unde *Chrysostomus :* « Invenit Angelus Mariam, non foris vagantem, sed solitariam et contemplationi vacantem : et quia non quæsivit gratiam apud mundum, invenit gratiam apud Deum. » Unde et *Ambrosius :* « Hæc ad ipsos ingressus Angeli, inventa est domi in penetralibus sine comite, ne quis intentionem abrumperet. Neque enim

Digitized by Google

comites feminas desiderabat, quæ bonas cogitationes habebat : quin etiam tunc sibi minus sola videbatur, cum sola esset, nam quemadmodum sola cui tot libri adessent tot Archangeli, tot Prophetæ ? denique Gabriel ubi eam revisere solebat invenit. » Unde alibi *Hieronymus :* « Habebis cellulam quæ te solum capiat, imo non eris sola : angelica tecum turba versabitur; tot socii quot sancti : lege Evangelium, fabulatur tecum Jesus; replicabis Apostolos vel Prophetas; numquid poteris talem alium tuis sermonibus habere consortem ? » Et *Bernardus :* « Nunquam minus solus sum, quam quando solus sum. » Credendum autem quod tunc erat tota abstracta in devotissima oratione, vel in intima contemplatione, consurgente forte tunc specialiter ex meditatione super salute generis humani, qualiter scilicet per Virginem debebat salvari. Unde etiam quidam dicunt, eam tunc actu legisse illud Isaiæ : *Ecce Virgo concipiet,* etc. In hoc igitur actu tam intimæ contemplationis, quo erat Deo totaliter coadunata, ingressus est Angelus ad eam. Rationabile enim videtur, quod quando corporaliter sibi voluit uniri Verbum æternum, tunc ipsa spiritualiter sibi fuerit unita in contemplationis actu.

8 Maria quomodo gratia plena ? — *Ingressus* itaque *Angelus ad eam* Virginem, in thalamo et conclavi domunculæ suæ manentem, et ei ad sensum corporali visione, et humana specie apparens ait : *Ave, gratia plena, Dominus tecum; benedicta tu in mulieribus.* Angelus in hominis forma apparens quasi exemplo docuit, quia Deum incarnari, et Spiritum cooperari nuntiavit. Quia enim illum nuntiavit, qui in se invisibilis, corpus visibile voluit ex Virgine sumere, congrue debuit corporali specie apparere. Formavit autem Angelus sibi corpus lucidum, quia secundum *Augustinum,* facie rutilans, et veste coruscans Virgini apparuit. Convenienter vero annuntiatur Virgini Incarnatio Verbi, ut scilicet prius ipsum concipiat mente quam carne. *Mutans* ergo Angelus *nomen Evæ,* dicit Virgini : *Ave,* indicans eam ab omni væ liberam. Quæ bene *gratia plena* dicitur, quia aliis ad mensuram gratia datur; hæc autem sola, gratiam quam nulla alia meruerat consecuta est, ut gratiæ repleretur Auctore. Quæ cum gratia plena sit prius etiam quam concipiat, post conceptionem quanta Dei abundet gratia, quis cogitare possit ? Unde *Hieronymus :* « Et bene plena, quia ceteris per partes præstatur gratia; Mariæ vero simul se totam infudit gratiæ plenitudo. » Vere *gratia plena,* per quam largo Sancti Spiritus imbre superfusa est omnis creatura; quæ cœlis dedit gloriam, terris Deum, pacemque refudit hominibus, fidem gentibus, finem vitiis, vitæ ordinem, moribus disciplinam.

9 Dominus cum Maria. — Dicitur quoque ei : *Dominus tecum,* scilicet, sit in utero qui est tecum in animo; adimpleat ventrem, qui adimplet mentem; *tecum* non tantum per essentiam, potentiam et præsentiam, qualiter est in omnibus rebus; nec solum per gratiam, eo modo quo est in sanctis hominibus; sed etiam per carnis assumptionem de tuis purissimis sanguinibus. Ubi nota, quod et si tota salutatio Angelica sit Virgini gratissima, ista tamen clausula, scilicet *Dominus tecum* potissime eam delectat, et ideo singulari devotione dicenda esset : licet enim jam erat cum Virgine, novum tamen misit nuntium, quia modo singulari voluit esse secum. Hæc etiam sola præ omnibus mulieribus et super

Digitized by Google

omnes mulieres *benedicta* prædicatur : omnis enim mulier subjacet maledictioni Dei, vel Legis. Nam corrupta subjacet maledictioni Dei, qui ait : *In dolore paries;* virgo maledictioni Legis, in qua erat maledicta sterilis; sed Maria utrumque maledictum vitavit : maledictum Dei, quia Virgo permansit; maledictum Legis, quia filium habuit. Unde prima primiceria Virginum, dum primo virginitatem suam Deo obtulit, maledictum Legis abolevit; et merito *benedicta* dicitur, per quam mundus a maledictione liberatur. Et notandum quod super hanc salutationem nunquam homo pervenire valebit, nec aliquis excellentius, dulcius, et gratius, B. Virginem salutare poterit, quam hac salutatione, quam ipse Deus Pater dictavit, et per Angelum ei destinavit. In cujus verbis singulis dulciflua implicantur mysteria. Nam Deus Pater sua omnipotentia eam conformavit, ut esset immunis ab omni væ; quod importavit istud verbum, *Ave.* Filius quoque Dei, sua sapientia sic eam illustravit, ut esset præclarum sidus quo cœlum et terra illustrantur; quod notat hoc nomen Maria, quod sonat idem quod *maris stella.* Spiritus Sanctus etiam tota sua divina dulcedine eam penetrando, sua gratia eam tam gratiosam effecit, ut omnis qui quæsierit per eam gratiam, inveniat; quod innuitur in his verbis, *gratia plena.* In hoc autem verbo *Dominus tecum,* admonetur illius ineffabilis unionis operatio, quam tota Trinitas in ea perfecit, cum suæ carnis substantiam divinæ naturæ in una persona copulavit, ita ut Deus fieret homo, et homo Deus. Quid in illa hora gaudii et dulcedinis habuerit, nullus unquam hominum ad plenum experiri potuit. Per hanc clausulam : *Benedicta tu in mulieribus,* omnis creatura mirando agnoscit et testatur eam benedictam, et exaltatam super omnem creaturam, tam cœlestem quam terrestrem. Per : *Benedictus fructus ventris tui,* benedicitur et extollitur excellentissimus fructus ventris virginalis, qui omnem creaturam vivificavit, sanctificavit, et in æternum benedixit.

10 QUOMODO MARIA TURBATA FUIT? — Ipsa vero Virgo Maria ut salutationem Angeli audivit *turbata est,* et nihil respondit. Non fuit turbata turbatione incredulitatis, sicut Zacharias, vel alia ratione culpabili; nec de visione Angeli, quia Angelos videre solita erat; sed turbata fuit : primo, secundum *Chrysostomum,* propter novæ apparitionis speciem; quia etsi consueta fuit videre Angelum, nunc tamen novo modo apparuit ei, sumpta specie corporali, et cum ingenti lumine et splendore : ex hoc aliqualiter perterrita fuit. Unde cantatur : *Et expavescit Virgo de lumine.* — Secundo, propter virginalis pudicitiæ verecundiam : « Quia, ut dicit *Ambrosius,* trepidare virginum est, et ad omnes viri ingressus pavere, omnes viri affatus vereri. » — Tertio, propter novæ salutationis formam, quam sermo ejus ingerebat. Unde idem *Ambrosius :* « Benedictionis novam formulam mirabatur, quæ nusquam est ante aperta; soli Mariæ salutatio hæc servabatur. » — Quarto, propter laudationis excellentiam, qua Angelus in suo sermone eam laudavit : sanctæ enim mentes humilium, quanto amplius laudibus attolluntur, tanto magis timent. Turbata ergo fuit ex verecundia virtuosa et honesta; sed non perturbata. Unde tanquam prudens et cauta, et tota pudorosa, nihil respondit, cogitans intra semetipsam de novitate talis salutationis, et dictum examinans : non enim sic salutare Angeli consueverant eam, nec unquam ta-

Digitized by Google

les loquentes audierat. In qua salutatione cum videret se de tribus commendari, non poterat humilis Domina non turbari. Commendatur enim quod esset gratia plena, et quod Dominus esset secum, et quod esset benedicta super omnes mulieres. At humilis Domina non poterat suam commendationem sine rubore et turbatione audire, quia verus humilis de laudibus et honoribus erubescere solet et dolere. Unde *Bernardus :* « Quod turbata est, fuit verecundiæ virginalis; quod non perturbata fuit, fortitudinis; quod vero tacuit et cogitavit, fuit prudentiæ et discretionis. »

11 QUO SENSU GRATIAM APUD DEUM INVENIT? — Tunc Angelus intuitus Virginem, et varias eam secum volvere cogitationes facillime deprehendens, et causam suæ turbationis cognoscens, consolatur pavidam, confortat timentem, ac quasi notam familiariter ex nomine vocans, ne timere debeat benigne persuadet et jubet, dicens : *Ne timeas, Maria,* nec de laudibus quas tibi dixi verecunderis : est enim veritas in eis. Nec solum es gratia plena, sed etiam toto generi humano *gratiam* multiplicem recuperasti et re *invenisti apud Deum,* quam nulla unquam reperit creatura. Quasi diceret, secundum *Chrysostomum,* qui apud Deum meretur gratiam, non habet quid timeat. *Invenisti,* inquit, quo merito? Certe humilitate, pudicitiæ castitate, et conscientiæ puritate. De primo dicit *Chrysostomus :* « Qualiter quisque gratiam reperiret, nisi mediante humilitate, nam *humilibus* Deus *dat gratiam.* » De aliis duobus dicit *Gregorius :* « Invenit gratiam vere coram Deo, quia splendore pudicitiæ propriam exornans animam, gratum se Deo habitaculum præparavit : et non solum cælibatum inviolabilem reliquit; sed etiam immaculatam conscientiam custodivit. » Itaque *invenisti gratiam,* scilicet Dei et hominum, pacem, mortis destructionem, et vitæ reparationem, ut per te Deus mundum redimeret, per te illuminaret, et per te ad vitam revocaret. Plena ergo jam gratia invenit gratiam, sed aliis, et ad dispensandum. Unde *Augustinus :* « O Maria, gratiam apud Dominum invenisti, et hanc per totum mundum diffundere meruisti. » Unde notanter dicit *invenisti :* non dicit habuisti, vel acquisivisti, quia res habita vel juste acquisita ut propria custoditur, sed inventa his qui perdiderunt restituitur : sic Maria invenit gratiam, non sibi soli retinendam, sed tanquam aliis restituendam. Qui enim invenit perditum, tenetur restituere : gratiam vero quam Eva perdidit, Maria invenit, non solum pro se, sed et pro nobis, imo etiam propter nos; quia si nos peccatores non fuissemus, Deus de ipsa carnem non sumpsisset. Et ideo omnes qui peccando gratiam amisimus, securi ad thronum gratiæ accedamus, et Mariam inventricem gratiæ piis fletibus atque devotis orationibus pulsemus, ut gratiam nobis reddat quam pro nobis et propter nos invenit. Ipsa est enim ita legalis, justa, pia et propitia, quæ nulli quærenti denegat gratiam. Unde *Bernardus:* « Omnibus omnia facta est, omnibus sinum misericordiæ aperuit, ut de plenitudine ejus accipiant universi : captivus redemptionem, æger curationem, tristis consolationem, peccator veniam, justus gratiam, Angelus lætitiam, denique tota Trinitas gloriam. » Et iterum : « Filioli, hæc peccatorum scala, hæc mea maxima fiducia, hæc tota ratio spei meæ. Dico vobis : Si pie a vobis pulsata fuerit, si pie fuerit invocata, compatietur vo-

Digitized by Google

bis, non deerit necessitati vestræ, siquidem nec facultas deesse poterit, nec voluntas, quoniam Regina cœlorum est, et misericors et Mater misericordiæ. » Et iterum : « Altius intuemini quanto devotionis affectu a nobis eam voluit honorari, qui totius boni plenitudinem posuit in Maria, ut si quid spei in nobis est, si quid gratiæ, si quid salutis, ab ea noverimus redundare : nihil enim nos habere voluit Deus, quod per manus Mariæ non transiret : » hæc *Bernardus*.

12 Nomen Jesu interpretatur. — *Invenisti,* inquam, *gratiam,* totius gratiæ Auctorem conceptura; nam *ecce concipies in utero* sine peccato et macula, *ac paries Filium* sine dolore et tristitia, virgo permanens in partu, sicut et in conceptu. Et bene dicit *concipies in utero;* jam enim per fidem et devotionem conceperat eum in corde suo : et hoc modo debemus nos eum concipere, scilicet per fidem et devotionem, et parere per sanctam operationem. *Et vocabis nomen ejus Jesum,* id est, *Salvatorem.* Non dicit impones, quia hoc nomen ab æterno fuit a Deo Patre impositum, et per Angelum Mariæ et Joseph, ac per eos aliis divulgatum. Hoc etiam nomen impositum est, secundum proprietatem futuram, quia salus humani generis futura erat per Jesum, qui *salus* interpretatur; et ideo subditur : *Ipse enim salvum faciet,* non quemcumque, sed *populum suum,* ei scilicet per fidem adhærentem, et ipsum bonis operibus imitantem, *a peccatis eorum.* Et per hoc notatur verum esse Deum, quia solius Dei est salvare a peccatis, ut ait *Chrysostomus.* Populus Christi, non tantum natio Judæorum est, sed omnes quoque qui ad eum veniunt, ejusque agnitioni donantur. Utinam et me peccatorem digneris, Domine Jesu, annumerare populo tuo, ut salvum me facias a peccatis meis!

13 Quomodo Jesus dicitur magnus? — *Hic erit magnus* non quidem eadem magnitudine qua Joannes, de quo etiam prædictum fuerat : *Erit enim magnus coram Domino;* sed dicuntur, secundum *Ambrosium,* quia Joannes magnus ut homo coram Domino, hic vero magnus ut Deus et Dei Filius. Dicit autem : *Hic erit magnus,* non quod ante partum Virginis non fuerit magnus, semper enim fuit magnus Deus; sed futurus erit magnus homo; quia magnificentiam quam habuit Filius Dei æternaliter per naturam, accepturus erat filius Virginis ex tempore per gratiam, et æternaliter habiturus, ut una sit persona homo et Deus. Et bene *magnus,* qui *Filius Altissimi* merebitur appellari. Unde sequitur : *Et Filius* scilicet naturalis *Altissimi vocabitur,* id est, ipsius Dei qui solus est Altissimus. Homo enim altus est inter creaturas corporales; sed Angelus altior; Deus autem altissimus.

14 Quid significent sedes David et domus Jacob? — *Et dabit illi Dominus Deus sedem,* id est, regnum *David patris ejus.* Secundum *Bedam,* quod Angelus prius dixit Christum Filium Altissimi, nunc vero patrem suum dixit esse David, per hoc evidenter demonstrat duas naturas in una persona Christi : divinam, secundum quam est Filius Dei, et humanam, secundum quam est filius David. *Dabit* autem *ei sedem David,* non typicam, sed veram; non temporalem, sed æternam; non terrenam, sed cœlestem, quæ idcirco dicitur fuisse David; quia hæc in qua David temporaliter sedit, æternæ illius imaginem gerebat. Unde *Beda* : « Accepit autem sedem, sive regnum David Dominus, ut gentem cui Da-

Digitized by Google

vid quondam temporalis regni gubernacula simul et exempla justitiæ præbuit, quamque modulis hymnorum spiritualium ad fidem atque amorem sui Conditoris accendere solebat, hanc ipse factis, verbis, donis, et promissis, ad regnum cœleste et immortale vocaret, atque ad ipsam Dei Patris visionem perduceret. » Angelus ergo non loquiturde regno temporali, quia il lud negavit Christus coram Pilato dicens : *Regnum meum non est de hoc mundo,* neque Christus in hoc mundo exercuit temporale regnum in Judaico populo, cui tamen debebatur regnum Judæorum, jure hæreditario; sed loquitur de regno spirituali Ecclesiæ triumphantis, quod figuratum fuit per regnum David temporale, sicut et cœlestis Jerusalem per temporalem. Et sicut David regnavit in regno temporali, ita et Christus regnabit in spirituali et cœlesti, quia regnabit in Ecclesia, hic in via et in patria. Unde et subditur : *Et regnabit in domo Jacob in æternum.* Hic quoque accipienda est domus Jacob, non temporalis sed æterna, in qua regnat in æternum. *Regnabit* ergo in æternum *in domo Jacob,* id est, super omnes electos : de domo enim Abrahæ et Isaac aliqui fuerunt reprobati, sicut Ismael et Esau; sed in domo Jacob omnes ejus filii a sanctis doctoribus inter electos sunt computati; quia etsi aliqui peccaverunt, pœnitentiam tamen egerunt. Jacob quippe interpretatur *supplantator,* in illis enim qui supplantant passiones inordinatas et vitia, regnat Christus; sed in illis qui supplantantur ab eis, regnat Diabolus. *Regnabit* ergo non solum in domo David, id est, in tribu Juda, verum etiam *in domo Jacob,* id est, in toto populo Israel, et in tota Ecclesia, et in omnibus electis, non secundum successionem carnis, sed fidei. Per quod intelligitur, quod in ejus regni exercitu omnes illi enumerantur, quicumque David et Jacob fidem et justitiam imitantur : qui ipsi sunt spiritualis et æterna sedes David, et domus Jacob; in qua sedebit et regnabit Dominus Jesus *in æternum,* et nunc quidem per gratiam, et in futuro per gloriam. Beati in quibus Jesus regnabit in æternum, quia et ipsi cum eo regnabunt !

15 Regnum Christi sine fine.—*Et regni ejus non erit finis.* Christus enim non solum in quantum Deus, sed etiam in quantum homo, *regnabit in æternum,* non solum super homines, sed etiam super Angelos. Hoc regnum æternum est, et non corrumpetur; hoc imperium non deficiet, et non auferetur : quia *regnabit Dominus in æternum, et in seculum seculi.* Ubi *Bernardus :* « O quam gloriosum est regnum illud, in quo reges congregati sunt, convenerunt in unum, ad laudandum scilicet et glorificandum eum, qui super omnes est Rex regum et Dominus dominantium, de cujus splendidissima contemplatione fulgebunt justi sicut sol, in regno Patris eorum! O si et mei peccatoris meminerit Jesus in beneplacito populi sui, cum venerit in regnum suum ! O si me in illa die, quando traditurus est regnum Deo Patri, visitari dignabitur in salutari suo, ad videndum scilicet in bonitate electorum suorum, ad lætandum in lætitia gentis suæ, ut laudetur etiam a me cum hæreditate sua ! Veni interim, Domine Jesu; aufer scandala de regno tuo, quod est anima mea, ut regnes, qui debes, in ea; quia tu es ipse Rex meus et Deus meus, qui mandas salutes Jacob : » hæc *Bernardus.*

16 Virum non cognosco quomodo accipiendum sit? — Et cum Angelus retulisset tanta, Maria per-

Digitized by Google

plexa fuit, quia, secundum *Ambrosium,* neque non credere debuit Angelo, neque tam temere usurpare divina. Unde de alio certificari volens, de quo multum timebat, scilicet ne virginitatem suam perderet, de modo conceptionis quærit, dicens : *Quomodo fiet istud,* scilicet, quod tu promittis me parere filium, *quoniam virum non cognosco?* id est, me virum non cognituram in animo vovi, et ex voto proposui; quia quamvis desponsata erat, tamen se nunquam nupturam, neque virum cognituram certissime sciebat. Et ita fuit Virgo mente, carne et proposito; quasi diceret : Rem credo, sed de modo quæro, cum sciat Dominus Deus, testis conscientiæ meæ, votum esse ancillæ non cognoscere virum : qua lege, quo ordine placebit ei ut fiat istud? Unde *Ambrosius :* « Non dubitat esse faciendum, quod quomodo possit fieri inquirit. Legerat Maria : *Ecce Virgo concipiet in utero, et pariet filium;* et ideo id credidit futurum, sed quomodo fieret ante non legerat : non enim quemadmodum fieret, vel tanto alicui Prophetæ fuerat revelatum. Tantum enim mandati mysterium non fuit hominis, sed Angeli ore promendum : » hæc *Ambrosius.*

17 Cur Incarnationis Filii opus Spiritui Sancto attributum? — Et Angelus, Fiet, inquit, non modo humano, sed divino; non per virum, sed per operationem Spiritus Sancti qui in te superveniet. Sicut ignis divinus mentem tuam inflammans, carnemque tuam Dei Filio uniendam perfectissima puritate sanctificans, et singulari modo te fecundabit, et ex ejus operatione, salva tibi virginitate tua, concipies. Spiritus Sanctus prius in Virginem venerat, in sua sanctificatione, eam ab originali peccato purgando; sed in conceptione Filii Dei supervenit, id est, iterum venit, majorem gratiæ plenitudinem conferendo, quæ non solum sanctificavit mentem, sed etiam ventrem. Supervenit igitur Spiritus Sanctus in Virginem, quemadmodum virtus solis descendit super rosam et lilium, dans illis concipiendi virtutem. Et licet ista ineffabilis conceptio celebrata sit operatione totius Trinitatis, cum opera Trinitatis sint indivisa, specialiter tamen appropriatur hoc opus Spiritui Sancto propter plures rationes. Prima est, secundum *Augustinum,* propter ostensionem gratiæ sine meritis, ut videlicet per hoc, quod dicitur conceptus de Spiritu Sancto, ostendatur quod sit ex sola gratia, quam nulla hominum merita præcesserunt; gratia autem attribuitur Spiritui Sancto. Unde *Glossa :* « Spiritus est nomen omnis gratiæ, quæa Deo inspiratur. » — Secunda est, secundum *Ambrosium,* propter virtutem operationis; quia scilicet operatione et virtute Spiritus Sancti conceptus est, cui attribuuntur opera clementiæ et pietatis.—Tertia est, secundum *Petrum Lombardum* magistrum sententiarum, propter ostensionem eximiæ charitatis, quæ attribuitur Spiritui Sancto, ut scilicet ostendatur quod *Verbum* Dei *caro factum est* ineffabili charitate, qua *sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret.*

18 Cooperatio totius Trinitatis mysterio Incarnationis. — *Et virtus Altissimi,* Patris scilicet, Verbum enim seu Filius, secundum Apostolum, dicitur Dei Patris sapientia; *et virtus Altissimi obumbrabit tibi,* id est, de te corpus quasi umbraculum assumet, in quo Deus quasi hamum sub cibo se abscondet, quia in beata Virgine sub umbra carnis latuit virtus deitatis. Divinitas obumbrata fuit Virgini per susce-

Digitized by Google

ptionem humanitatis, ut quod impossibile erat mortali feminæ, objectu tamen vivifici corporis ferret præsentiam majestatis, et lucem sustineret inaccessibilem, sicut sol, quando eum visu intueri non possumus, obumbratur nobis aliquo velamine. Unde *Bernardus :* « Quia Deus spiritus est, nos vero caro, umbra corporis sui temperavit se nobis, ut objectu vivificæ carnis videamus Verbum in carne, solem in nube, lumen in testa, cereum in laterna : » hæc *Bernardus.* Quod autem in Præfatione Beatæ Mariæ canitur : *Quæ et Unigenitum suum Sancti Spiritus obumbratione concepit,* non est contrarium huic quod hic dicitur, obumbratio fieri per corpus Christi applicatum divino lumini. Cum enim tam Filius quam Spiritus Sanctus sint virtutes Patris, et corpus Christi utrique virtuti conveniat, Filio tanquam cui unitur, Spiritui Sancto tanquam agenti a quo formatur; patet quod hæc obumbratio tam Filio quam Spiritui Sancto convenire potest. Et attende quomodo hic Angelus totam Trinitatem Virgini edidit. Primum namque Spiritum Sanctum sub nomine proprio commemorat, deinde Filium nomine Virtutis, et consequenter Patrem nomine Altissimi insinuat. Sic ergo ut notetur tota Trinitas fecisse Incarnationem, appropriat hoc Spiritui Sancto Incarnationis cooperationem, cum dicit : *Spiritus Sanctus superveniet in te;* sed Filio carnis assumptionem, cum subditur : *Et virtus Altissimi obumbrabit tibi;* sed Patri auctoritatem cum dicit, *Altissimi.* Excelsum namque Incarnationis opus totius Trinitatis fuit, quia sicut personæ, sic et opera Trinitatis inseparabilia sunt et indivisa : ita ut quidquid operatur una persona, operetur et alia, quamvis solus Filius fuerit incarnatus, nec Pater, nec Spiritus Sanctus; ut per eamdem sapientiam qua Deus mundum condiderat, reparatio fieret, et qui Dei Filius erat in divinitate, ipse filius hominis fieret in humanitate, ne Filii nomen ad alium transiret, qui non esset Filius æterna nativitate. Et habemus simile de tribus induentibus unum de semetipsis, de quibus dici potest, quod omnes simul unicum faciunt opus; et quidquid facit unus, facit alius; non tamen induitur nisi unus. Unde *Augustinus :* « Ita singulorum quæque in Trinitate opera Trinitas operatur, unicuique operanti cooperantibus duobus, conveniente in tribus agendi concordia, non in uno deficiente efficacia peragendi. »

19 CHRISTUS RECTE SANCTUS ET FILIUS DEI VOCATUR. — *Ideo et quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei;* non adoptivus sicut alii, sed naturalis, qui tamen ab æterno fuit Filius, sed non vocabatur vel manifestabatur nomine aliquo, nisi in tempore. Quasi diceret : Quia enim fœcundaris virtute Spiritus Sancti, non prolem viri generabis, sed Filium Dei : quia non ex libidine concipies, ideo non peccatorem sed Sanctum gignes, et per consequens sine dolore paries. Unde *Bernardus :* « Quid est dicere, quoniam non de homine, sed de Spiritu Sancto concipies? Concipies autem virtutem Altissimi, hoc est Filium Dei; *ideo et quod nascetur ex te,* id est, ex tua vera natura, *Sanctum, vocabitur Filius Dei,* id est, non solum qui de sinu Patris in uterum tuum veniens obumbrabit tibi, sed etiam id quod de tua substantia sociabit sibi, ex hoc jam *vocabitur Filius Dei;* quemadmodum et is qui a Patre est ante secula genitus, tuus quoque amodo reputabitur Filius. Sic autem et quod natum est ex ipso, erit tuus, et quod ex te nascetur erit ejus; ut tamen non sint

Digitized by Google

duo filii, sed unus. Et licet aliud quidem ex te, aliud ex illo sit, jam tamen non cujusque suus, sed unus utriusque filius erit: » hæc *Bernardus.* Et nota quod dicit *Sanctum,* absolute et substantive absque determinatione; quia si diceret sancta caro, sanctus homo, vel aliquod consimile, parum videretur dixisse, nec expressisset sanctitatem ejus complete. Posuit ergo indefinite *Sanctum,* quia quidquid fuit quod Virgo genuit, procul dubio ac singulariter *Sanctum* fuit.

20 Exemplo Elizabeth probatur nil esse impossibile apud Deum. — Et ne Virgo de partu in aliquo desperaret, et ut fidem exemplo Angelus astrueret et confirmaret, exemplum sterilis anus et parituræ induxit, seniorisque feminæ et sterilis inopinatam fecunditatem Virgini nuntiavit, ut assereret omnia decentia Deo possibilia, quæ solito ordine naturæ videntur contraria; et qui supra naturam conceptum dedit sterili, daturus non dubitaretur et Virgini. Et ut facilius credat: *Ecce,* inquit, *Elizabeth cognata tua,* cum esset senex, et vocaretur sterilis propter notam jamdudum ejus sterilitatem, jam sex menses sunt quod concepit filium, per Dei virtutem. Tamen quia istud exemplum non est usquequaque perfectum, quia majus est virginem concipere quam sterilem, et ideo Angelus inducit rationis efficaciam ex Dei omnipotentia, dicens: *Quia non erit impossibile apud Deum omne verbum,* id est, omnis res digna verbo, quin implere possit omne verbo suo promissum: vel verbum, id est, quodcumque opus vel factum, in ejus dispositione provisum. Nam dicere Dei est facere, secundum illud Psalmi: *Ipse dixit et facta sunt,* quidquid enim contradictionem non implicat, totum est Deo possibile, cujusmodi est virginem parere; sed quæ implicant contradictionem, ut, contradictoria simul esse vera, ut, ea quæ facta sunt, fiant non facta, etc., hujusmodi, talia non sunt Deo possibilia, non propter impossibilitatem Dei, sed propter impossibilitatem rei; quasi doceret per virtutem et actionem naturæ, nec sterilis nec virgo potest concipere, sed divina potentia potest hoc facere. Secundum *Bernardum,* dicit *omne verbum,* et non omne factibile, quia quam facile possunt homines loqui quid volunt, sic incomparabiliter facilius potest Deus implere quidquid possunt illi verbo exprimere. Præterea secundum eumdem *Bernardum,* conceptus Elizabeth Virgini nuntiatur, ut dum miraculum miraculo additur, gaudio cumuletur. Item quia occultaverat se, et jam occultare non poterat, conveniens fuit quod ante ceteros Virgo hoc sciret. Item, ut tam Præcursoris, quam Salvatoris gesta sciret, quæ scriptores docere debebat. Item propter sanctificationem Baptistæ, quem adhuc in utero matris positum Jesus voluit sanctificare. Item ut antiquæ cognatæ obsequium præberet, et ut humilitatem impleret. Maria quippe et Elizabeth cognatæ, seu consobrinæ fuerunt in secundo gradu, quia filiæ duarum sororum, scilicet Annæ et Hysmeriæ: fuit etiam Elizabeth de tribu Juda, sicut et Maria.

21 Expectatio assensus Mariæ. — Intuere hic et meditare qualiter tota Trinitas est ibi præsens, responsionem hujus suæ filiæ singularis expectans, et amanter ac delectabiliter ejus verecundiam et mores aspiciens, et verba auscultans. O qualis est domuncula, ubi tales sunt et talia exercentur! Nam licet sancta Trinitas sit ubique, ibi tamen nunc aliquo modo singulari eam esse mediteris ratione singularis operationis. Intuere etiam et meditare, qualiter Angelus cum reveren-

Digitized by Google

tia, vultuque placido Dominam suam diligenter inducit, et verba sua sapienter ordinat, ut super hoc opere mirifico voluntatem Domini sui perficere valeat; et etiam qualiter ipsa se habet timorate et humiliter, facie pudorosa, quasi et de improviso ab Angelo verbis istis præventa. Non extollitur, neque se reputat; et cum audit magnalia de se, qualia nunquam alicui dicta fuere, non sibi, sed totum adscribit gratiæ divinæ. Jam ergo Angelus, expleto nunc ambasiatoris officio, expectat Virginis responsum. Unde *Bernardus :* « Audisti, Virgo, quia concipies, audisti quia non per hominem sed per Spiritum Sanctum; expectat Angelus responsum tuum; tempus est enim ut revertatur ad Deum, qui misit illum. Expectamus et nos, o Domina, verbum miserationis, quos miserabiliter premit sententia damnationis. Ecce tibi pretium offertur nostræ salutis, statimque liberamur si consentis; hoc supplicat item, pia Virgo, flebilis Adam, cum misera sobole exul de paradiso; hoc ceteri flagitant patres tui, qui et ipsi habitant in regione umbræ mortis; hoc totus mundus tuis genibus provolutus expectat. O Domina, responde verbum quod terra, quod inferi, quod cœli expectant. Responde verbum, et suscipe Verbum; profer tuum, et suscipe divinum : emitte transitorium, et amplectere sempiternum : » hæc *Bernardus*. Unde et beatus *Augustinus* exclamat : « O beata Maria, seculum omne captivum tuum deprecatur assensum; te, Domina, mundus suæ fidei obsidem fecit; noli morari Virgo; nuntio festinanter responde verbum, et suscipe filium. »

22 Obedientia et humilitas Mariæ. —Tandem prudentissima Virgo auditis Angeli verbis consensit, et prout dicitur, profunda devotione genua flexit, ac manibus expansis, deinde junctis, et oculis ad cœlum elevatis, cum inæstimabili humilitate protulit desideratissimum verbum, toto cordis affectu audiendum, dicens : *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum.* Ecce prompta obedientia, devota optatio, fides, consensus. *Ancilla,* inquit, sum *Domini;* non meæ, sed illius potestati sum; *fiat mihi secundum verbum tuum,* id est, secundum quod tu mihi nuntiasti. Quæ mater Domini eligitur, suæ conditionis et divinæ dignationis per omnia memor, ancillam se nuncupat, et cum magna devotione promissum Angeli impleri optat. Ad hanc vocem Mariæ exclamat *Augustinus* dicens : « O felix obedientia! o insignis gratia! quæ dum humiliter fidem dedit, cœli in se opificem comparavit. » Unde et *Anselmus :* « O fides Deo accepta! o humilitas Deo grata ! o obedientia, omni sacrificio Deo jucundius oblata! o sublimis virgo Mater Dei! o mater humilis ancilla Dei! Quid sublimius esse possit? Quid humilius sentire posset? » Unde etiam *Ambrosius :* « Vide humilitatem, vide devotionem; ancillam se dicit Domini, quæ mater eligitur, nec redemptiva exaltata promissione simul ancillam dicendo, nullam sibi prærogativam tantæ gratiæ vindicavit, quando faceret quod juberetur. Mitem enim humilemque paritura, humilitatem debuit etiam ipsa præferre. » Unde *Bernardus :* « Semper solet esse gratiæ divinæ familiaris virtus humilitas : *Deus enim superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.* Humiliter ergo respondet, ut sedes gratiæ præparetur. *Ecce,* inquit, *ancilla Domini.* Quæ est hæc tam sublimis humilitas, quæ cedere non novit honoribus, insolescere gloria nescit? Non magnum est esse humilem in abjectione : magna prorsus et rara virtus humilitas honorata : » hæc *Bernardus.* Beata ergo

Digitized by Google

Virgo, quæ ultra omnes homines mundi per annuntiationem Angeli attollebatur, tamen in se profundissime humiliabatur; ideo ejus humilitas incomparabilis, præ omnibus aliis virtutibus commendatur. Inter omnes enim virtutes tantum placuit humilitas beatæ Virginis Filio Dei, quod attraxit ipsum de cœlo, ut ex Virgine carnem assumeret, quemadmodum ferrum trahitur ab adamante. Unde *Augustinus* : « O vera humilitas quæ Deum hominibus peperit, vitam mortalibus edidit, paradisum aperuit, et hominum animas liberavit! Facta est Mariæ humilitas scala cœlestis, per quam Deus descendit ad terras. » Decebat enim, ut dicit *Beda,* quod sicut per superbiam Evæ mors in mundum intravit, ita per humilitatem Mariæ, vitæ introitus panderetur. Tantum autem placuit Christo ista vox Virginis cum dicit : *Ecce ancilla Domini,* quod ex hoc magis appellat se in Scriptura filium ancillæ, quam Virginis. Ex quo trahitur evidens argumentum, quod plus placuit Deo Mariæ humilitas quam virginitas.

23 Sex verba ab ipsa prolata, dum assensum præbet. — Et licet singula verba hujus Evangelii sint plena mysteriis, ista tamen verba quæ in sui consensus expressione Virgo ponit præcipue redolent virtutes incomparabiles. Ponit enim sex verba, quæ redolent sex virtutes eximias in ea. Dicit namque : *Ecce,* in quo obedientia prompta; *ancilla,* in quo humilitas perfecta; *Domini,* in quo virginitas immaculata; *fiat,* in quo charitas inflammata, etc.; *mihi,* in quo spes secura; *secundum verbum tuum,* in quo fides devota. Et vere fides devota erat in Virgine, quia illud credidit in se debere fieri ad verbum Angeli, quod nunquam a seculis fuerat auditum, nunquam repertum, nunquam visum, aut ab aliquo cogitatum. De hac fide dicit *Bernardus* : « Tria mirabilia fecit Dominus in Incarnatione; conjuncta quidem sunt ad invicem Deus et homo, mater et virgo, fides et cor humanum. Et quidem tertia commixtio est inferior aliis duabus, sed non minus fortis. Mirum enim est quomodo cor humanum his duobus fidem accommodavit, quomodo credi potuit quod Deus homo esset, quod Virgo fuerat quæ peperisset; hæc enim nequeunt commisceri, si non misceat glutinum Spiritus Sancti. »

24 Filii Dei fit Incarnatio. — Igitur his verbis dictis a Virgine, statim in illa hora sanctissima, Spiritus Sanctus in eam supervenit, ac Dei Filium Virgo gloriosa concepit. Unde statim in his verbis Mariæ, Filius Dei totus intravit in uterum ejus, et ex ea carnem assumpsit, et totus in sinu Patris remansit. In instanti enim fuit totum corpus Christi formatum, et anima rationalis creata; simul utrumque divinitati in persona Filii conjunctum, ut idem esset Deus et homo, salva utriusque naturæ proprietate. Fuit autem corpus Christi formatum ex sanguine B. Virginis, non ex carne, et fuit in instanti sanguinis separatio, consolidatio, figuratio, animatio, deificatio. Et in eodem instanti, fuit plenus et perfectus homo in anima et carne, secundum omnia corporis lineamenta, sed parvulus valde, ita ut membrorum distinctio vix posset discerni visu humano. Postea vero naturaliter in utero crevit ut alii, licet membrorum distinctio, et animæ infusio dilata non fuerit, ut in aliis. Fuit etiam perfectus Deus sicut et perfectus homo : secundum humanam naturam, ex anima rationali et humana carne subsistens; secundum divinam, ex Verbo; utriusque in unitate personæ conjunctio. Sicut enim in deitate est una essentia et tres personæ, ita in Christo e converso est

Digitized by Google

una persona, et tres essentiæ, scilicet : deitas, anima, et caro; hoc est, æternum, novum, et antiquum. Est enim deitas æterna; anima nova, quia in assumptione creata; caro antiqua, quia ab Adam propagata. Et Christus secundum naturam deitatis, est generatus; secundum animam, creatus; et secundum carnem, factus.

25 In Christo triplex unio. — Et fuit unio triplex in Christo, scilicet deitatis ad animam, et e converso; ac deitatis ad carnem, et e converso; et animæ ad carnem. Duæ priores uniones semper manserunt; tertia separata fuit in morte. Unio igitur divinitatis ad humanam naturam non est in unitate naturæ, sed personæ; non personæ humanæ, sed divinæ; non assumptæ, sed assumentis; nec personæ cujuslibet, sed solius Verbi. Quia enim impossibile est quod natura divina concurrat cum alia, sicut pars ad tertii constructionem, vel quod ipsa transeat in aliam, vel alia in ipsam; ideo divinitas et humanitas non uniuntur in unitate naturæ, sed personæ. Et quia divina natura in nullo supposito potest subsistere, præterquam in propria hypostasi; ideo unio illa non potest esse in persona hominis, sed Dei. Et propterea Deus in una personarum suarum, fecit seipsum suppositum humanæ naturæ. Unde tantum una est ibi personalitas, et unitas personalis, scilicet ex parte assumentis. Et ideo Christus secundum quod est homo, non est persona. Unde *Hugo :* « Ex quo hominem Deus assumpsit, totum assumpsit, carnem scilicet et animam, id est, hominis naturam, non hominis personam, sed hominem in personam. Caro enim illa et anima, antequam Verbo unirentur in personam, non erant inter se unita ad personam. Unio siquidem una fuit ad unum Verbi carnis et animæ : non prius Verbum et caro, nec prius Verbum et anima, nec prius anima et caro; sed simul Verbum et anima et caro. Nec cœpit persona esse Verbum, quando homo esse cœpit; sed hominem sic assumpsit, ut persona esse homo inciperet, nec alia persona quam erat illa quæ eum acciperet. Itaque Verbum persona suscepit hominem : non personam, sed naturam, ut qui suscepit et quod suscepit, una esset in Trinitate persona. Ergo Christus persona ad infernum descendit, sed secundum solam animam; et Christus persona in sepulcro jacuit, sed secundum solam carnem; et Christus persona ubique fuit, sed secundum solam divinitatem. Quid est autem quod scriptum est : quia cum Christus in sepulcro jacuisset, dicitur ? totum pro parte positum est. Fortasse cogitas quasi tria quædam : divinitatem, animam, carnem composuisse Christum. Absit. Non enim pars Christi Verbum, et pars homo; sed totus Christus Verbum, et totus Christus homo. Divinitas pars non fuit, nec in ipsa pars fuit. In humanitate sola partes sunt, anima scilicet et corpus, et ubi alterum illorum est, pars hominis est. Verum est ergo quod in sepulcro Christus jacuit, nec tamen ibi totus homo jacuit; quamvis totus homo Christus fuit; anima enim et caro Dei Verbo in persona unita fuit. Ideo ubi caro erat, Verbum deesse non potuit : » hæc *Hugo*.

26 Pii sensus animæ Incarnationem Christi meditantis. — De hac Verbi Incarnatione, sic dicit *Anselmus :* « Vidisti, Domine, afflictionem populi tui, et tactus dolore charitatis intrinsecus, apposuisti cogitare super nos cogitationes pacis et redemptionis. Et quidem cum esses Filius Dei, verus Deus, Deo Patri Sanctoque Spiritui coæternus et consubstantialis, lucem habitans

Digitized by Google

inaccessibilem, portansque omnia verbo virtutis tuæ, non despexisti in hoc nostræ mortalitatis ergastulum, altitudinem inclinare tuam, ut nostram et gustares et absorberes miseriam, nosque reparares ad gloriam. Parum, bone Domine Jesu, fuit charitati tuæ ad consummandum opus nostræ salutis, Cherubim vel Seraphim, aut unum ex Angelis destinare : ipse ad nos venire dignatus es, per mandatum Patris, cujus nimiam charitatem experti sumus in te. Venisti enim, non locum mutando, sed præsentiam tuam per carnem exhibendo. Descendens a regali solio sublimis gloriæ tuæ, in humilem et abjectam ancillam in oculis suis puellam, primo virginalis continentiæ voto sigillatam. In cujus sacrosancto utero, sola Sancti Spiritus virtus inenarrabilis, et concipi te fecit, et nasci in vera humanitatis natura, ita ut nec majestatem divinitatis in te, nec integritatem virginitatis in se violaret nativitatis occasio. » Idem ad sororem suam : « Primum cum beata Maria ingressa cubiculum, libros quibus Virginis partus et Christi prophetatur adventus, evolve. Ibi adventum Angeli præstolare, ut videas intrantem, audias salutantem; et sic repleta stupore et extasi, dulcissimam Mariam dominam tuam, cum Angelo salutante salutes, clamans et dicens : *Ave, Maria,* etc. Hoc crebrius repetens, quæ sit hæc gratiæ plenitudo, de qua totus mundus mutuavit gratiam, quando Verbum caro factum est; contemplare et admirare Dominum, qui terram implet et cœlum, intra unius puellæ viscera claudit, quam Pater sanctificavit, Filius fecundavit, Spiritus Sanctus adumbravit. O dulcis Domina, quanta inebriabaris dulcedine, quo amoris igne succendebaris, cum sentires in mente et in ventre tantæ majestatis præsentiam; cum de tua carne carnem assumeret, et membra quibus corporaliter omnis plenitudo divinitatis inhabitaret, de tuis sanctis membris aptaret! » hæc *Anselmus.*

27 MARIA FREQUENTER ANGELICA SALUTATIONE SALUTANDA. — O si valeres utique sentire, quale quantumque fuerit illud e cœlo immissum incendium, collatum refrigerium, infusum solatium! quanta sublimatio Virginis matris, quanta nobilitatio humani generis, quanta condescensio majestatis! Si virginem canentem cum jubilo posses audire, æstimo quod cum illa pariter pro tanto beneficio inciperes jubilare, et non cessares Deo gratias decantare. Ut ergo ipsi Virgini tantum gaudium renovare, et ad mentem revocare valeas, crebro eam cum dulci versu Angelico salutare, et devotæ salutationis oscula, saltem pedibus ejus infigere non negligas, dicens : *Ave, Maria.* Unde *Bernardus :* « Est tibi, Virgo Maria, quasi osculum, audire hunc versum Angelicum *Ave.* Toties enim beatissima oscularis, quoties per *Ave* devote salutaris. Ergo, fratres carissimi, ad imaginem ejus accedite, genua flectite, oscula ei imprimite, *Ave, Maria* dicite. » Et iterum : « Cœli respondent, Angeli jubilant, mundus exultat, dæmones contremiscunt, cum dico *Ave, Maria :* » hæc *Bernardus.*

28 MORALITER SEX CONDITIONES ANIMÆ CHRISTUM CONCIPERE VOLENTIS. — Moraliter tanguntur hic sex conditiones, quas debet habere quælibet anima sancta, Christum spiritualiter conceptura. Debet enim primo habitare in quadam separatione et alienatione omnis creatæ delectationis, ut sic habitet in Galilæa, quod interpretatur *transmigratio.* Illa enim anima perfecte habitat in transmigratione, quæ transmeavit omnem creatam delectationem, ita quod nulla re creata

Digitized by Google

amplius delectatur, nisi in quantum in ea relucet imago et perfectio Creatoris; quod non solum nullam diligit contra Deum, sed nec ullam diligat, nisi in quantum in ea Deus relucet, vel imago Dei, ut proximum, vel in quantum potest esse accommoda ultimate saluti, sicut alia res. —Secundo debet talis anima habitare in quadam floritione deiformis operationis, scilicet ut inhabitet in Nazareth, quod interpretatur *flos, virgultum, sanctitas,* vel *consecratio :* ut scilicet floreat, vel in flore habitet ex candore innocentiæ; sit virgultum, dulcore divinæ influentiæ; sanctitas, fervore divinæ charitatis; et inhabitet in quadam consecratione, splendore veritatis. — Tertio, talis anima debet esse virgo, ut ab omni motu, non solum sensuum, sed etiam omni animæ virium sit restricta, ita ut nihil in ea corruptionis valeat subintrare; nec per vias sensuum intret aliquid quod moveat ad carnalitatem; nec per vias virium intellectivarum veniat aliquid quod tendat in curiositatem. Et secundum *Augustinum,* quæcunque anima talis fuerit, virgo censetur. — Quarto, talis anima debet esse desponsata, ut fidem et amorem ad unicum bonum restrinxerit, quod est Deus, ne in incerto vagetur, nunc istud, nunc illud amans. Et signanter dicitur quod debet esse desponsata Joseph, quod interpretatur *augmentum* vel *appositio:* ut in fide et amore apponens, semperque proficiens augmentetur, quia in talibus non proficere, est quodam modo deficere. Et signanter additur de domo David, quod interpretatur *manu fortis :* quia per gressus spirituales, per fortes conatus et operationes, in spirituali exercitio augmentatur. — Quinto describitur hæc anima ut tota illuminata, quia nomen ejus est Maria, quod interpretatur *illuminata :* scilicet ut signatum sit super eam vultus Domini, et habeat lætitiam spiritualem in corde suo. — Sexto describitur, ut a Deo confortata per donum fortitudinis Spiritus Sancti, quia ingreditur ad eam angelus Gabriel, quod interpretatur *fortitudo Dei,* et per eum fit annuntiatio : scilicet quando anima contemplativa fortificata a Deo, per spem elevatur, ut appetat gratiæ plenitudinem, Domini præsentiam, et quamdam singularitatem benedictionis inter omnes creaturas.

29 SPECIATIM MENTIS VIRGINALIS NECESSITAS. — Specialiter autem circa tertiam conditionem est sciendum, quod mystice per hoc quod Christus conceptus et formatus fuit in utero virginali per operationem Spiritus Sancti, significatur quod spiritualiter concipitur et formatur in mente pura, ejusdem Spiritus Sancti operatione. Oportet enim mentem æterni Verbi conceptivam esse virgineam, id est, non solum a vitiis, sed etiam a speciebus creatarum rerum, et ab hujusmodi specierum delectatione et corruptione immunem esse et abstractam. Cum *enim* omnis *creatura vanitati sit subjecta,* omnis species a re creata abstracta, vanitati est conjuncta, ac per hoc mentem ad altiora tendentem abducit quodam modo et corrumpit. Ad hanc autem mentis abstractionem, hortatur *Dionysius* Timotheum dicens : « Tu autem, amice Timothee, forti contritione, sensus derelinque, et intellectuales operationes, et omnia sensibilia et intellectibilia, et ad ejus unitionem propera, qui est super omnem substantiam et cognitionem : » hæc *Dionysius.* Et in hac abstractione perficitur illa beatitudo, de qua dicitur : *Beati mundo corde,* intelligendo mundum cor, illud quod est ab omni extranea specie emundatum. Tales autem Deum videbunt,

Digitized by Google

et hic per internam contemplationem, et in patria per æternam fruitionem. Et tales virgineæ mentes *sequuntur Agnum* totius puritatis *quocumque ierit, virgines enim sunt.* De tali mente et anima, sic dicit *Bernardus* : « Anima quæ semel a Domino didicit intrare ad semetipsam, et in intimis suis Dei præsentiam suspirare, et quærere faciem ejus semper, talis, inquam, anima nescio an vel ipsam gehennam ad tempus experiri horribilius pœnaliusve ducat, quam post spiritualis hujus studii gustatam semel suavitatem, exire denuo ad illecebras, vel potius molestias carnis, sensuumque inexplebilem repetere curiositatem. Dico ergo vobis, nihil est quod in tantum formidet, quisquis hoc beneficium semel accepit, quam ne gratia derelictus necessarie habeat denuo egredi ad carnis consolationes, imo desolationes, rursumque carnalium sensuum sustinere tumultus : » hæc *Bernardus.*

30 Nazareth duas habet ecclesias. — In Nazareth autem, ubi annuntiatio facta est, sunt duæ ecclesiæ : una ubi erat domus, in qua Angelus ad Mariam venit, et annuntiationem fecit, in qua est altare Mariæ, in loco ubi orabat quando Angelus eam salutabat, et altare Gabrielis, ubi annuntiationem faciendo stetit; altera, ubi domus fuerat, in qua Dominus nutritus est, cum infans erat.

31 Conceptionis Dominicæ figuræ. — Fuit autem conceptio Dominica in rubo ardenti præfigurata. Rubus enim sustinuit ignem, et non perdidit viriditatem; Maria concepit filium, et non amisit virginitatem : Dominus habitavit in rubo ardente, et ipse habitavit in Mariæ gravidato ventre : descendit in rubum propter Judæorum liberationem, ut eos educeret de Ægypto; descendit in Mariam propter nostram redemptionem, ut nos eriperet de inferno. Cum autem Dominus incarnari voluit, Mariam solam præ omnibus mulieribus elegit. Et hoc fuit præfiguratum in vellere Gedeonis, quod solum cœlestem rorem capiebat, et tota terra circumjacens sicca remanebat; sic Maria sola divino rore replebatur, et in mundo nulla alia digna inveniebatur. Repletio velleris signum erat liberationis filiorum Israel ab hostibus suis; conceptio Mariæ signum erat nostræ redemptionis. Vellus Gedeonis est Virgo Maria : de quo vellere Jesus Christus fecit sibi tunicam; vellus suscepit rorem sine lanæ læsione; Maria concepit filium sine carnis corruptione. Gedeon expressit rorem, et concham ex eo replevit; Maria enixa est filium, qui totum mundum rore gratiæ replevit. Hæc autem conceptio facta est per annuntiationem Gabrielis, quod figuratum est in servo Abrahæ, et in Rebecca filia Batuelis. Abraham misit servum, ut de virgine filio suo in sponsam provideret, Rebecca autem nuntio potum præbebat, et ideo eam filio domini sui in sponsam eligebat. Sic Pater cœlestis misit Angelum suum, ut Filio suo quæreret virginem in matrem : qui virginem decentissimam, scilicet Mariam, invenit, quæ sibi potum, id est, nuntiationi suæ consensum dedit. Rebecca non solum nuntium, sed etiam camelos ejus potavit : Maria tam Angelis, quam hominibus fontem vitæ propinavit.

32 Discessus Gabrielis. — Gabriel itaque, peracto legationis suæ officio, reverenter se inclinans, et Dominæ suæ valefaciens, discessit ab ea et disparuit, gaudens utique et exultans, quia responsionem Deo acceptabilem relaturus erat. Jam enim venerat sponsus, et ideo recessit paranymphus, dimittens

Digitized by Google

sponsum in sanctissimo sponsæ cubiculo, matrimonio consummato. Discessit quidem ab ea Angelus, sed remansit cum ea rex Angelorum et Dei Filius; discessit ab ea quantum ad apparentiam, sed remanserunt cum ea multi propter reverentiam, quam et sibi propter dignitatem mentis, et suo Regi exhibebant. Recedens ergo, peracto nuntio, et ad patriam rediens, hocque narrans, fecit ibi novum festum et novum gaudium, et exultationem magnam nimis.

33 QUANTA SIT SOLEMNITAS INCARNATIONIS DOMINICÆ. — Considerare ergo debes quanta est hodierna solemnitas et jubilare in corde tuo, et agere dies lætitiæ. Inaudita est enim usque tunc a seculis; nec unquam fuerat solemnitas talis. Hodie namque est solemnitas Dei Patris, qui Filio suo in desponsationem humanæ naturæ nuptias fecit, quam hodie sibi Filius inseparabiliter univit. Hodie est solemnitas nuptiarum Filii Dei in utero, sed postea erit ex utero. Hodie est solemnitas Spiritus Sancti, propter hoc mirificum opus quod attribuitur ei, et quia hodie incepit ostendere benignitatem singularem humano generi. Hodie est solemnitas gloriosæ Dominæ nostræ, quæ a Patre in filiam, a Filio in matrem, a Spiritu Sancto in sponsam est recognita et assumpta. Hodie est solemnitas totius cœlestis curiæ, quia inchoatur ejus reparatio. Hodie multo magis est solemnitas humanæ naturæ, quia ejus salus incipit et redemptio, et totius mundi reconciliatio, et quia ipsa hodie est sublimata atque deificata : *nusquam enim* Dei Filius *Angelos apprehendit,* hoc est, non in unam sibi personam assumpsit; *sed semen Abrahæ.* Hodie novam obedientiam suscepit Filius a Patre, de nostra peragenda salute; hodie a summo cœlo egrediens, *exultavit ut gigas ad currendam viam* nostræ salutis, et se reclusit in claustro uteri virginalis; hodie factus est quasi unus ex nobis, et frater noster, et cœpit peregrinari nobiscum; hodie de cœlo lux vera descendit, ad fugandas nostras tenebras, et tollendas; hodie panis vivus qui dat vitam mundo, in utero virginali est confectus, sed in cruce quasi in clibano decoctus : hodie enim *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis,* unde vocatur Emmanuel, quod dicitur *nobiscum Deus,* id est, Deus et homo. Hodie impleta sunt præambula figurarum, documenta Scripturarum, ac desideria Prophetarum; propter quod etiam adventus Christi plenitudo temporis dicitur : clamabant enim desiderio inenarrabili, et hodiernum diem vehementissime expectabant. Hodie est principium et fundamentum omnium solemnitatum, et totius boni nostri initium. Nam usque nunc indignatus erat Dominus contra genus humanum, propter transgressionem primorum parentum; sed amodo videns Filium hominem factum, non ulterius irascetur in æternum. Vides quam admirabile opus et solemnissimum festum sit illud, totum delectabile, et totum jucundum; totum desiderabile et omni veneratione dignissimum; cum omni devotione suscipiendum, in jubilatione ac lætitia et exultatione ducendum. In his ergo meditare, in his delectare et jucundaberis, et forte ostendet tibi Dominus ampliora, si vigilaveris.

Digitized by Google

ORATIO

O Jesu Fili Dei vivi, qui ex voluntate Patris, cooperante Spiritu Sancto, de sinu ejusdem Patris, velut quidam fluvius de loco voluptatis egrediens, per humilia declinans convallium, humilitatem ancillæ tuæ respiciens, in uterum Virginis descendisti, ubi conceptus ineffabiliter carnem assumpsisti : descendat, Jesu misericors, gratia tua avide, per merita matris et Virginis, super me servum tuum indignissimum, per quam teipsum desiderem, et amore intus concipiam; et per eamdem gratiam operantem in me, fructus bonorum operum salutares proferam. Amen.

CAPUT VI

De Nativitate et Circumcisione Præcursoris Domini.

Lucæ caput 1.

1 MARIA AD VISITANDAM ELIZABETH VADIT. — Post hæc recogitans Maria de verbis Angeli, quæ de consobrina sua Elizabeth dixerat, eam visitare ad congratulandum et serviendum eidem volebat. Jesus enim, qui in utero illius erat, Joannem adhuc in utero matris positum, sanctificare festinabat. *Exurgens* ergo de loco in quo erat, et a quiete contemplationis, in qua prius sederat, et ab oratione, quæ omnibus operibus suis erat prævia, ivit, de licentia Joseph, a Nazareth, et *abiit* versus Austrum *in montana,* quia Judæa in montanis, id est, in altiori loco, et ad Austrum est, respectu Galilææ, a qua recesserat Maria. Et nihilominus domus Zachariæ, in loco montuoso, ubi montana Judææ sunt, erat sita : et via ad eam petrosa, et montuosa. Ivit vero *cum festinatione,* quia diu in publico nolebat apparere, ut ostenderet quod virgo non debet morari in publico, nec ibi contrahere colloquia cum aliquo. Et venit in Jerusalem *civitatem Juda;* quod hoc loco nomen est non tribus, sed regni, scilicet Judæ. Jerusalem enim in tribu Benjamin erat, per quam videtur transisse ad oppidum, in quo dicitur tunc habitasse Zacharias, et natus Joannes, quarto milliario ultra Jerusalem, fere contra Occidentem, sed aliquantulum ad Meridiem. Maria concepto Verbo æterno ivit, ad visitandum Elizabeth. Et secundum *Ambrosium* hoc fecit non quasi incredula de oraculo, scilicet per Angelum dicto, nec quasi incerta de nuntio, scilicet sibi misso, nec quasi dubitans de exemplo, scilicet de Elizabeth sibi dato; sed quasi læta pro voto, scilicet animi sui, religiosa pro officio, scilicet obsequendi, festina præ gaudio, scilicet inde concepto.

2 CUR PRIOR IPSAM SALUTAVERIT? — Conspice igitur quomodo vadit Regina cœli et terræ, non eques, sed

Digitized by Google

pedes, cum aliquibus de virginibus, quas secum domi habebat, per tam longam et asperam viam, ut illa erat. Sunt enim de Nazareth usque ad Jerusalem, triginta quatuor milliaria, et deinde ad oppidum Zachariæ quatuor vel circa, quorum duo faciunt unam leucam. Vadunt autem cum ea verecundia, humilitas, et paupertas, omniumque virtutum honestas. Est etiam secum ipse Dominus virtutum; magnam et honorabilem habet comitivam, sed non hujus seculi vanam et pomposam. Nec erat a conceptu filii gravata, ut communiter contingit aliis mulieribus; non enim fuit Dominus Jesus Matri suæ onerosus. O quam felix fuisset, qui in illo itinere Mariam obviam habuisset, et vocem salutationis ab ea recepisset! *Et intravit Maria in domum Zachariæ et Elizabeth* cognatæ suæ, domum religiosam visitat, suæque humilitatis et mansuetudinis signa manifestat; *et* prior *salutavit,* id est, salutem optavit *Elizabeth,* quasi congratulans ei, de dono quod eam accepisse dicerat. Prior ipsa Virgo profert salutationem, propter duo : primo, causa humilitatis, quia humilior; secundo, causa pietatis, quia superior. Prima ratio respicit morem illarum regionum, ubi inferiores solent salutare prius superiores, quasi reverentiæ exhibitione; sed secunda respicit morem illarum regionum, ubi salutatio profertur a majoribus, in signum quod omnis benedictio desursum est.

3 Sex hic moraliter a nobis imitanda. — Nota moraliter, quod sex dicuntur hic de beata Virgine, quæ et nos imitatione ejus, etiam debemus facere. Primo, quod *exsurrexit;* surgamus et nos a torpore acediæ, et a desideriis terrenis nos elongemus, in quibus morando dormimus. — Secundo, *abiit in montana :* ascendamus et nos in montana, tendendo in altiorem vitam, et appetendo cœlestia, et appropinquando ad ea. — Tertio, *festinavit :* festinemus et nos ad bona opera accelerando, et quidquid possumus, instanter operando. « Quia, ut dicit *Chrysostomus,* nihil ita est quod vitam nostram valeat evertere, ut operum actionem bonorum dissimulare, semperque differre; sæpe enim istud omnibus nos bonis fecit excidere. » Unde dixit quidam, quod bonum opus nunquam differendum est, ne forte aliquo casu superveniente impediatur; malum vero urgens semper differri debet, si forte aliquis casus superveniens impediat. — Quarto, venit *in civitatem Juda.* Ingrediamur et nos in civitatem Judæ, id est, *confessionis et laudis divinæ,* scilicet in ecclesiam, ad laudandum, et obsequendum ibi, et in civitatem contemplativam cœlestem Jerusalem, *ad confitendum nomini Domini :* Judas enim *confitens* interpretatur. — Quinto, *intravit in domum Zachariæ.* Intremus et nos in domum Zachariæ, non sequentes cogitationes vanas, sed magis memores mandatorum Domini ad faciendum ea : Zacharias enim *memorans Domini* interpretatur.—Sexto, *salutavit Elizabeth.* Salutemus et nos Elizabeth, creaturas fastidiendo, et in solo Deo saturitatem nostri *desiderii* statuendo, qui solus *replet in bonis desiderium* nostrum : Elizabeth enim, *Dei mei saturitas* interpretatur. Et insuper gratiam perceptam communicemus proximo, sicut Maria fecit Elizabeth et puero.

4 Joannes repletus Spiritu Sancto in utero matris exultat. — Quam cito autem Virgo *salutavit Elizabeth,* repletus est Joannes Spiritu Sancto in utero : prout fuerat promissum ab Angelo. Et sen-

Digitized by Google

tiens Domini præsentiam, præ gaudio in matris utero, exultando et saltando tripudiavit, ac quosdam gestus ad similitudinem exultantis repræsentavit, et quem lingua et voce non potuit, animo exultante et etiam motu salutavit. Movebatur in utero, quasi gestiens salutare et Domino suo assurgere, ac quasi egredi vellet ex utero, et ei occurrere. Et tunc primo, Præcursorem suum Jesus prophetam fecit, qui in utero exiliens, ejus adventum evangelizavit, et præcursionis suæ officium inchoavit, quasi etiam intra matris viscera jam clamaret : *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* Unde *Chrysostomus :* « Christus ideo fecit Mariam salutare Elizabeth, ut sermo procedens ex utero matris, ubi habitabat Dominus, et per aures Elizabeth ingressus, descenderet ad Joannem, et illic eum ungeret in prophetam. Nam statim ut vox salutationis convenit ad aures ejus, exultans puer prophetavit, non voce, sed motu. » Unde idem *Chrysostomus :* « Dic, infans, dic, prophetarum omnium maxime, qui digne satis *plus quam propheta* vocaberis, unde tibi hæc exultatio? Nondum natus es, et jam prophetas. Domini adventum agnoscis, quem quia voce salutare non potes, exultando agis quod potes. Quam lætus ei occurreres, si jam natus eum videres, cujus agnito adventu, exultando obviam ire conaris. » Deinde repleta est etiam mater Spiritu Sancto, per filium et meritis filii. Non prius repleta est mater, quam filius, sed filius repletus, replet et matrem. Ex plenitudine enim gratiæ, qua Christus se receperat in Maria effudit per salutationem Virginis, gratiam sanctificationis in Joannem, quæ ulterius redundabat in matrem. Unde exultans ac tota exhilarata, et Spiritu Sancto accensa, amplexatur virginem tenerrime, et præ gaudio exclamat magna voce. Filius intus latens docet quid mater exterius agere debeat; spiritus enim infantis, non valentis clamare, nec loqui voce propria, fecit clamare matrem voce magna. Clamavit autem voce magna, tum in signum magnæ affectionis, tum quia magna Dei dona cognovit, tum quia illum in utero tenebat, qui vox Verbi erat. Quasi ergo magna vi Elizabeth intus commota, non solum Virginem resalutavit, verum etiam voce magna clamavit, non tam clamosa, quam devota, quia non clamor, sed amor sonat in aure Dei. Unde ista magnitudo magis est intelligenda ratione devotionis interioris, quam soni exterioris. Devotio enim magnus clamor est, ita ut usque in cœlum audiatur. *Quid,* inquit Dominus Moysi tacenti, *clamas ad me?* qui tamen non clamabat ad Deum clamore oris, sed desiderio cordis. Unde *Augustinus :* « Clamor ad Dominum est intentio cordis, et flagrantia dilectionis, quia semper petitur quod optatur. »

5 Benedicta Maria, benedictusque fructus illius. — *Et dixit* Elizabeth: *Benedicta tu inter mulieres,* id est, super omnes mulieres, et inter benedictas, benedictione insignis. Nulla enim tantæ unquam gratiæ particeps fuit, aut esse poterit. *Benedicta* es, et ampliori benedictione cumulaberis; *et benedictus* sit *fructus ventris tui,* per quem benedictio venit aliis : qui, secundum quod homo, *benedictus* est benedictione gratiæ, quippe plenus dono omnium charismatum; *benedictus* etiam in benedictione gloriæ, secundum quod Deus ab æterno, et usque in æternum. Non quia tu benedicta, ideo benedictus fructus ventris tui; sed quia ille *prævenit te in benedictionibus dulcedinis,* ideo tu benedicta. Benedicta arbor; bene-

Digitized by Google

dictus et arboris fructus. Benedicta virga de radice Jesse; benedictus et flos qui de tali radice ascendit. Benedicta talis mater; benedictus et talis filius. Benedicta est Maria ab Angelo supra, quia triumphantis Ecclesiæ ruinam reparavit; sed hic ab Elizabeth, quia militantem Ecclesiam, quasi jam mortuam suscitavit. Ubi *Beda :* « Eadem voce ab Elizabeth, qua a Gabriele benedicitur : quatenus et Angelis et hominibus veneranda monstretur. » Et notandum quod quinque fructus colliguntur ex beata Virgine : primus est ventris, et hic est generatio, *per quam fructum vitæ communicavimus;* secundus est fructus mentis, et hic est compassio, quam habet ad afflictos, et super peccatores; tertius est oris, et hic est oratio ; quartus est operis, et hic est protectio ; quintus est nominis, et hic est devotio, quæ habetur ex benedicto nomine ejus, etiam a sceleratis, ita ut in omnibus periculis ab omnibus invocetur.

6 Maria ad diversos diverse venit. — *Et unde hoc mihi, ut veniat mater Domini mei ad me ?* Id est qua mea justitia, quibus meis factis vel meritis accidit hoc mihi, scilicet sterili et seni, et secundum reputationem hominum maledictæ, ut *mater Domini mei,* scilicet Virgo fœcunda et benedicta, veniret sic humiliter, devote, et reverenter, ad me servam et ancillam suam ? Quasi dicat : nullus. Neque enim sanctitas, neque religio, neque nobilitas aliqua hoc mihi præstitit, ut tanto honore, tantaque beatitudine fierem digna, sed sola Dei gratia. Ego potius debui ire ad te, sed tua tuique filii humilitas, te coegit venire ad me. Et notandum quod mater Domini venit ad peccatores per compassionem, in quantum est *amarum mare,* dans eis amaritudinem contritionis; venit ad oppressos per protectionem, in quantum *Domina,* liberans eos; venit ad mœstos per consolationem, in quantum *stella,* lætificans eos. Unde *Augustinus :* « Sancta Maria, succurre miseris, » ecce primum; « juva pusillanimes, » ecce secundum; « refove flebiles, » ecce tertium. Et vere *benedicta* es, *et benedictus fructus ventris tui,* et admiror de humilitate visitationis tuæ, propter magnificentiam virtutis, quæ apparet in te. Ecce enim in tuo adventu et salutatione, non solum ego, sed et infans in utero meo gratulatur, et quod voce non potest, gaudio fatetur. Sic Elizabeth miraculum et Incarnationem Verbi cognovit et Mariam esse matrem Domini, et Deo plenam intellexit. Intellexit quippe per Spiritum Sanctum, quo repleta erat; quia exultatio infantis illius, significaret venisse matrem ejus, cujus ipse præcursor erat futurus. Et ideo quæ ante erubescebat onus parentis, dum adhuc nesciret mysterium religionis, jam benedicit ; et quæ se occultabat, quia conceperat filium, jactat se, quia generabat prophetam.

7 Elizabeth secreta per Spiritum prophetiæ novit. — Elizabeth etiam quæ in occulto et secreta inspiratione cognoverat, his qui simul aderant, palam evangelizabat, dicens : *Et beata quæ credidisti,* scilicet Angelo, quando per assensum fidei concepisti, *quoniam perficientur* amplius in futuro *ea, quæ dicta sunt tibi a Domino,* scilicet per Angelum nuntiantem, et per Spiritum Sanctum mentem tuam illustrantem, et te immediate docentem. Aperte hic indicat, quod verba Angeli ad Mariam dicta per Spiritum agnoverat. *Beata,* inquit, *quæ credidisti;* sed et beati illi qui audiunt et credunt. Considera itaque quam magnæ virtutis est beatæ Mariæ Virginis salutatio, quæ confert gaudium, confert et Spiritum Sanctum, confert

Digitized by Google

revelationem secretorum divinorum, confert et prophetiæ actum. Et ideo semper est salutanda, propter resalutationis lucrum inde sperandum.

8 Canticum Mariæ. — Audita igitur responsione Elizabeth, qua eam matrem Domini sui appellando, ac beatam prædicando, et fidem fortem laudando, prophetavit; amplius Maria tacere non potuit dona quæ perceperat, et quæ virginali pudore, et ex humilitate acceptum oraculum silentio texerat, jam congruo tempore patefecit. Unde exultans prorupit in canticum lætitiæ, quod a Domino edidit, dicens : *Magnificat anima mea Dominum,* etc., totum ibidem complens jucunditatis et lætitiæ canticum. Consueverunt enim Hebræi in casu magno cantica componere et dicere Domino, quando Deus mirabilia fecit circa ipsos. Et plus omnibus potest hæc Virgo magnificare Dominum. Beata siquidem Virgo, tantum mysterium sibi esse manifestatum, et quanta per hoc esset, more humilium, non statim revelavit, sed quousque per Elizabeth reveletur, abscondit : quam quia cognovit mysterium per Spiritum Sanctum cognovisse, intelligens Dominum illud revelari velle tandem, et hoc ipsa revelat, Deumque magnificat, id est, magnum in operibus ejus laudat et prædicat. Non magnum facit, quia in se grandescere non potest, et nec detrimentum, nec augmentum recipit, quasi dicat Maria : O Elizabeth, tu me magnificas de bonis quæ vides in me, sed anima mea Domino et Creatori, videlicet Deo Patri, ex quo sunt omnia, attribuens, ipsum in hoc cantico *Magnificat*, et ejus magnificentiam prædicat, non tantum lingua laudat.

9 Exultatio spiritus Mariæ. — *Et exultavit spiritus meus in Deo salutari meo,* et Salvatore meo, scilicet in Filio, per quem sunt omnia, per quem salus mundo reparatur. In hoc autem salutari, virgo bene habet causam exultationis, plus quam omnes creaturæ; quia parentes in filiis solent exultare. Et licet ipse sit salutare omnium hominum, singulariter tamen fuit salutare Virginis præ cunctis hominibus, propter singulares Virginis prærogativas. Spiritus ipse est anima, interdum tamen accipitur pro animæ rationabilitate et excellentia. Anima namque vivimus, spiritu discernimus et intelligimus : unde comprehendit omnes vires sub anima et spiritu. Sub anima comprehenduntur vires inferiores, in comparatione ad corpus. Spiritus vero importat eamdem substantiam animæ secundum vires superiores, quibus rapitur supra se dulcedine contemplationis. Maria ergo anima et spiritu Deo devota, de omnibus beneficiis circa eam divinitus exhibitis, omnes vires suas, in gratiarum actione, et laude Dei impendit : quasi dicat, secundum *Ambrosium :* Tanto munere me Deus sublimavit, ut nullo linguæ officio explicare possim, sed totum animi interioris affectum in agendis gratiarum laudibus offero, totum quod vivo, quod sentio, quod discerno in ejus præceptis observandis impendo. Magnificat autem et ille Dominum, in cujus bonitate magnificatur et laudatur Dominus. Sic enim in discipulis magistri, sic in operibus suis artifices singuli laudantur et magnificantur. Magnificatur ergo Deus in nobis, dum anima nostra, quæ ad imaginem Dei facta est, per justitiam Christo se conformat, qui est imago Patris; dum imago Dei, quæ est in ipsa, magnificatur, id est, virtutum magnitudine, magna efficitur; dum secundum præcepta divina vivimus, dum bonis operibus lucemus. Et ideo ait Apostolus : *Glorificate et portate Deum in corpore vestro.*

Digitized by Google

Unde nota quod Deus magnificatur tripliciter in beneficiis suis : primo, ipsa beneficia Deo attribuendo; secundo, pro ipsis Deo gratias agendo; tertio, in ipsis nos exercendo.

10 Septies locutam esse Mariam legimus. — Notandum etiam quod beata Virgo in isto cantico dilatavit se in Dei laude, et gratiarum actione. Nusquam autem alibi legitur fuisse locuta, nisi valde parum, et pauca verba. In universo enim tantum septem vicibus legimus eam locutam, ut ex hoc ostenderet se gratia septiformi plenam : videlicet cum Angelo bis, primo : *Quomodo fiet istud?* secundo : *Ecce ancilla Domini;* cum Elizabeth bis, primo cum *salutavit Elizabeth,* secundo, cum ait : *Magnificat anima mea Dominum;* cum Filio bis, primo in Templo : *Fili, quid fecisti nobis sic?* secundo in nuptiis : *Vinum non habent;* et semel cum ministris, ibidem : *Quodcumque dixerit vobis, facite.* In omnibus his patet quod nunquam locuta est, nisi breviter, paucis verbis, excepto quod in cantico se dilatavit, ubi cum Filio locuta est. Et notandum quod hæc septem verba locuta est in quatuor temporum vicibus, et non sine evidenti utilitate qualibet vice. Quater igitur est locuta, et quatuor miracula sunt secuta', scilicet : in Angeli annuntiatione, et tunc concepit Deum; in Elizabeth visitatione, et tunc exultavit infans in utero; in nuptiis, et tunc convertit aquam in vinum; in templo, *et* tunc *erat subditus illis.* Notandum etiam quod inter prædictas locutiones, cum quatuor personis locuta est beata Virgo, scilicet : cum Angelo, cum Elizabeth vetula et cognata sua, cum Filio, et cum ministris. In quo ostenditur pulchrum documentum, quod puella juvenis, et præcipue monialis, rarissime debet loqui, nisi vel cum Angelo, id est, cumangelico sacerdote, quia Angelus Domini exercituum est sacerdos, et hoc in confessione; vel cum sancta Elizabeth, id est cum vetula, vel alia matura et sancta muliere, et hoc in rara consolatione; vel cum Filio Dei, et hoc in oratione vel lectione; vel cum ministris honestis, et hoc in necessariorum postulatione.

11 Gaudium Elizabeth et Mariæ. — Considera ergo, quomodo lætantur matres ambæ : laudant Deum de utraque conceptione, et in gratiarum actione consistentes, agunt dies lætitiæ. O qualis domus, ubi pariter commorantur et requiescunt tales matres, scilicet Maria et Elizabeth, talibus filiis, scilicet Jesu et Joanne fecundatæ! O si cum Domina tua in montana posses conscendere; si sterilis et Virginis matris suavem contueri complexum, et salvationis officium; puto quod canticum illud sacrum *Magnificat anima mea Dominum,* cum beatissima Virgine, suavi cum modulatione concineres, mirumque conceptum virgineum, una cum propheta parvulo exultans et jubilans, adorares! Unde *Anselmus* ad sororem suam : « Jam cum dulcissima Domina tua in montana conscende : steri lis et Virginis intuere complexum, et salutationis officium, in quo servulus Dominum, præco judicem, vox Verbum, inter anilia viscera conclusus, in Virginis utero clausum agnovit, et indicibili gaudio prophetavit. Beati ventres, in quibus totius mundi salus exoritur, pulsisque tristitiæ tenebris, sempiterna lætitia prophetatur! Accurre, quæso, accurre, tantis gaudiis admiscere; prosternere ad pedes utriusque, et in unius ventre sponsum tuum amplectere, amicum vero ejus, in alterius utero venerare : » hæc *Anselmus.* Attende hic, et imitare humilitatis exemplum : quod enim Maria ad Elizabeth, Christus ad Joannem, Domina

Digitized by Google

ad ancillam, Dominus ad servum venire, et Maria Elizabeth servire non dedignatur, quid aliud quam humilitatis exemplum ostenditur? De qua etiam specialiter, in cantico suo prædicto, Maria gloriatur, et plena omnium virtutum, solam humilitatem recognoscit, dicens: *Quia respexit humilitatem ancillæ suæ.* Ergo et tu de te humilia, cum Maria sentias; et quidquid boni habes Deo, non tibi, cum ea attribuas.

12 QUAMDIU MARIA MANSIT CUM ELIZABETH? — *Mansit autem Maria quasi mensibus tribus, cum illa* Elizabeth pro cujus consolatione et obsequio venerat, ministrans et serviens ei humiliter, reverenter, et devote, in omnibus quibus poterat, quasi oblita se matrem Dei esse, et totius mundi reginam, ut in omnibus impleret humilitatis mensuram. In ea igitur, contemplatio non deseruit actionem, nec actio diminuit contemplationem. Unde et Evangelium scriptum de ministerio Marthæ et contemplatione Mariæ legitur in ipsius beatæ Virginis assumptione: quæ et activa fuit, ut patet in hoc loco, et contemplativa, quia *conservabat omnia verba hæc, conferens in corde suo.* Tamdiu quippe mansit Maria cum Elizabeth, donec partus tempore completo, Præcursoris Domini sui, propter quam venerat, nativitatem videret: ut ei et matri obsecundaret, et ut in via et publico non videretur frequentius, et ut tanto tempore Elizabeth et Joannis cresceret in gratiis profectus. Nam si in primo adventu Mariæ, sed et etiam ipsius Domini, Spiritu Sancto sunt repleti, multum est illis superadditum de gratiis, in tanta mora mansionis.

13 NATIVITAS S. JOANNIS BAPTISTÆ. —Completo igiturpariendi tempore, *peperit Elizabeth filium* scilicet octavo kalendas julii, et feria sexta. Cui nato, ac etiam matri ejus, humilia obsequia beata Virgo exhibuit, et in domo etiam aliena, ministrare potius quam ministrari voluit. *Et audierunt vicini* qui erant cohabitantes, *et cognati* qui erant consanguinei vel affines Elizabeth, *quia magnificavit* et magnifice fecit, *Dominus misericordiam suam cum illa,* id est, magnam misericordiam ei fecit, scilicet opprobrium sterilitatis auferendo, et tantum et talem filium, sic nuntiatum mirabiliter et conceptum, supernaturaliter ei dando; *et congratulabantur ei* super tanto dono, secundum quod Angelus Zachariæ dixerat: *Multi in nativitate ejus gaudebunt.* Hoc autem gaudium sanctitatem in eo futuram significabat. Sic quilibet debet congratulari de bono alterius et gaudere: contra invidos, qui de malo gratulantur, et de bono tristantur.

14 CUR AB ECCLESIA HÆC NATIVITAS CELEBRATUR? — Et nota quod hac die sanctus Joannes Evangelista, de carcere hujus mundi migravit, et ad cœleste palatium, lætantibus Angelis, gloriosus intravit. Et quia propter ingens officium, non potuit hodie ejus festum celebrari, statuit hoc Ecclesia, in hebdomada natalis Domini, die tertia solemniter fieri; vel quia ea die fuit ipsi basilica dedicata; vel quia tunc infulatus est patriarcha ecclesiarum in Asia: solemnitas vero Baptistæ in suo die remansit, nimirum, quia hic dies ab Angelo gaudio nativitatis Præcursoris authenticatus fuit. Igitur, dilectissimi, hos æquinatos summos Dei amicos, inter choros Angelorum rutilantes, devotis hodie laudibus honorantes, et orationes ad thronum gratiæ mittamus, ut misericordiam consequamur, et gratiam in auxilio opportuno inveniamus. Sed cur nativitatem Joannis potius quam alicujus Sancti celebremus? Hæc causa est secundum

Digitized by Google

Augustinum, quia illorum post nativitatem et ætatis accessum, fides Domino adhæsit, sed nullius eorum nativitas Christo militavit. Joannis autem Dominum ipsa nativitas prophetavit, quem conceptus ex utero salutavit. Idcirco etiam Joannis celebratur nativitas, quia Joannes Dei gratia datus scilicet et natus est initio temporis gratiæ : quia etiam gratiam Novi Testamenti erat prædicaturus, qui etiam in utero est mundatus. Die quoque nativitatis Joannis quidam lucernas multas accendunt, in quo significatur ejus esse diem, de quo Dominus dixit : *Ille erat lucerna ardens et lucens.*

15 Circumcisio Præcursoris. — Octavo autem die a nativitate Præcursoris *venerunt circumcidere puerum* secundum præceptum legis. Et quia in circumcisione tunc imponebatur nomen puero, sicut modo imponitur in baptismo, ideo subditur : *Et vocabant eum nomine patris sui, Zachariam.* Mos enim erat antiquorum imponere nomina patrum primogenitis, et maxime unigenitis. Congrue autem imponebatur nomen in circumcisione, quia nullus, nisi abjiciat carnalia, quod significat circumcisio, dignus est ut nomen ejus scribatur in libro vitæ. *Et respondens mater ejus, dixit : nequaquam,* scilicet : non vocabitur Zacharias; *sed vocabitur Joannes.* Hoc sibi a Deo revelatum fuit, quia a patre muto non didicit. Pater etiam nutu et signo, de nomine imponendo interrogatus, per quod videtur quod non tantum erat mutus, sed etiam surdus, *postulavit* signo, non verbo, *pugillarem,* id est tabulam tantam quantum poterat pugillus capere. Unde secundum vulgare Romanorum, pugilla est tabula ad scribendum. Dicitur etiam aliquando pugillaris calamus, et stylus, et graphium quo scribimus. *Et scripsit, dicens : Joannes est nomen ejus.* Non dicit, erit, sed *est;* quasi dicat : jam est impositum nomen a Deo et ab Angelo : ego non impono, sed impositum indico.

16 Cur Joannis nomen sit ei proprium? — Et notandum quod hoc nomen *Joannes* fuit ei proprium : primo, propter plenitudinem gratiæ quam habuit; secundo, propter tempus gratiæ, quod inchoavit; tertio, propter excellentiam gratiæ, quam primus prædicavit, scilicet remissionem peccatorum, et gratiæ collationem. *Et mirati sunt universi* super convenientia et concordantia inter patrem et matrem de nomine pueri, seu de impositione nominis hujusmodi.

17 Mirabilia quæ tunc facta sunt. — Et tunc *apertum est os* Zachariæ, *et resoluta* est *lingua ejus;* quia quam vinxerat incredulitas, fides solvit. Per confessionem enim fidei in scripto, quam verbis facere non poterat, meruit liberari, sicut propter verbum dubitationis demeruerat ligari. Quo facto, gratia Novi Testamenti reserata, id est, manifestata ostenditur esse. *Et loquebatur benedicens Deum* pro beneficiis ostensis circa eum. Nec mirum si loquebatur, quia prior suus, scilicet Deus, dederat ei benedicite; et ideo benedixit Deum, secundum illud : *Benedicite, sacerdotes Domini, Domino. — Et factus est timor magnus super omnes vicinos eorum;* timor scilicet admirationis, de his quæ facta sunt in ortu Joannis, scilicet de partu senis et sterilis, de impositione nominis singularis, de miraculosa restitutione locutionis; vel timor punitionis, quia videntes virum religiosum propter hæsitationem sic punitum, timebant sibi omnes, scientes quod non esset tutum offendere Deum. *Et super omnia montana Judææ,* circumcirca *divulgabantur omnia verba hæc,* scilicet prædicta mi-

Digitized by Google

rabilia. *Et posuerunt omnes qui audierant in corde suo,* scilicet miracula quæ facta fuerant, considerantes, et eventum rei tacite præstolantes, *dicentes* scilicet intra se : *Quis* et qualis *putas puer iste erit?* Quasi dicerent : valde magnus et laudabilis erit. Nec mirum quod ita quærebant de puero : *Etenim manus Domini,* id est potestas divina, et virtus Dei operativa, *erat cum illo,* scilicet Joanne, in mirabilibus circa eum factis; ex quibus rationabiliter concludebatur magnitudo pueri futura coram Deo. *Et Zacharias impletus est Spiritu Sancto, et prophetavit,* id est canticum divinæ laudis fecit Domino, *dicens : Benedictus Dominus Deus Israel,* etc. per totum.

18 Loquela cum prophetiæ dono Zachariæ restituta. — Magna est largitas divinæ pietatis, et muneris ejus, si prompti et parati ad accipiendum simus. Nam ecce loquela, quæ sola ablata est diffidenti, cum spiritu prophetiæ est restituta credenti : et *ubi abundavit delictum, superabundavit et gratia;* et ita frequenter amplius reddit Dominus quam sustulerit, qui etiam quos sanavit in corpore, hos etiam in anima sanavit. Unde *Ambrosius :* « Vide quam bonus Deus, et facilis indulgere peccatis : non solum ablata restituit, sed etiam insperata concedit. Ille dudum mutus prophetat. Hæc enim gratia Dei maxima, quod eum qui negaverat, confitetur. Nemo ergo diffidat, nemo veterum conscius delictorum, præmia divina desperet. Novit Deus mutare sententiam, si tu noveris emendare delictum : » hæc *Ambrosius.*

19 Mariæ reversio. — *Maria* vero tandem valefaciens Elizabeth et Zachariæ, ac benedicens Joanni, *reversa est ad domum* habitationis suæ, in Nazareth; completo tamen prius ortu Præcursoris, prout opinio magis communis tenet. Per hoc autem quod peracto obsequio, post partum cognatæ suæ rediit in domum suam, ostendit quod inhonestum sit morari sine officio in domo aliena. Libet nunc intueri quantas tunc Zacharias, quantas et Elizabeth lacrymas fuderunt, quando Virgo Maria inde recessit, quando mundi gaudium et stella maris *in domum suam reversa est.* Joannes quoque in ejus discessu, non parum doluit, qui in illius adventu, tanto gaudio exultavit. In reversione autem Mariæ, paupertatem ejus ad memoriam revocare stude. Rediit ad domum, in qua nec panem, nec vinum, nec alia necessaria erat inventura. Stetit quasi tribus mensibus apud illos forte opulenter, nunc autem rediit ad paupertatem suam, ut propriis manibus laborando, victum procuret. Compatere ergo sibi, et in amorem paupertatis accendere.

20 Infantia Joannis præcursoris. — *Puer autem* Joannes *crescebat,* quantum ad augmentum corporis; *et confortabatur spiritu,* quantum ad augmentum gratiæ et virtutis : quia secundum crementum corporis crescebat per augmentum virtutis. Caro enim est infirma, et ideo spiritu prompto est confortanda. *Et erat* quantum ad perfectionem conversationis *in desertis* locis orationi et contemplationi aptis. Ibi enim habitavi a septimo anno ætatis suæ *usque in diem ostensionis suæ ad Israel,* id est, donec placuit Deo ipsum Israelitico populo demonstrare; scilicet quando *venit trans Jordanem, prædicans baptismum pœnitentiæ;* quod factum est *anno quintodecimo imperii Tiberii Cæsaris.* Tunc enim exiit de desertis, ad prædicandum populis. Considera in præmissis magnificentiam Joannis, et in multis aliis quæ de eo reperiuntur privilegiis.

Digitized by Google

ORATIO

Sancte Joannes Baptista, tu prius plenus Deo, quam natus ex utero; prius noscens Deum, quam notus in mundo : ad te, domine, quem gratia fecit tam amicum Dei, fugio anxius, quem iniquitas fecit tam reum Dei. Memento ergo, domine, ut sicut gratia Dei te sic sublimavit, sic misericordia tua erigat quem culpa sua sic humiliavit. Me enim iniquitas mea talem fecit, te autem talem, non tu, sed gratia Dei tecum. Obtine, quæso, mihi misero, ut sicut in primo adventu nostri Salvatoris magno gaudio exsultasti, sic et ego in secundo adventu ejus merear gaudere, et cum Sanctis in gloria exsultare. Amen.

CAPUT VII

De genealogia Salvatoris.

Matthæi cap. 1 et Lucæ cap. 3.

1 Genealogia Salvatoris. — Descripto igitur ortu Præcursoris, consequenter sequitur genealogia Salvatoris; quia hæc ejus ortum præcedit. De qua Matthæus sic dicit: *Liber generationis*, scilicet temporalis *Jesu Christi*, id est Salvatoris uncti, *filii David, filii Abraham*, hic scilicet est qui sequitur. Matthæi liber, dictus est liber generationis, quia scripsit Hebraice. Consuetudo autem Hebræorum est libros ab eorum principiis, seu ab eo de quo tractatur in principio, denominare. Et ideo a Christi genealogia, Evangelium suum denominat, seu intitulat, quia ab ea, ipsum incipit et inchoat. Præposuit autem in prologo istos duos, scilicet David et Abraham, potius quam alios. Et horum duorum filius specialiter dicitur Christus, quia unus inter Patriarchas, alter inter Reges, fuit principalis; et his duobus, solum in Veteri Testamento, facta est expressa promissio de Christo ex eis nascituro; et ut dignitas sacerdotalis ex Abraham, et regalis ex David, originali jure ostenderetur in Christo. Præposuit vero David Abrahæ, cum e converso esset quantum ad tempus, quia dignitas regni, major est quam prioritas temporis, et quia David profundus fuit peccator; ideo ut ex sola misericordia Christus natus ostendatur, peccator justo præponitur, et quia evidentius, et sæpius, et firmius promissio facta est David; et ne ordo genealogiæ turbaretur, quia finis clausulæ unius, est principium alterius : unde incipiens genealogiam, subjungit : *Abraham genuit Isaac*, etc.; usque ad Joseph descendendo. Quæ generationes narrantur, propter illam qua Maria genuit Jesum, *qui vo-*

Digitized by Google

catur Christus : de qua dicetur inferius. Et ideo dicit : *Liber generationis,* singulariter, quia quamvis multæ generationes per ordinem replicentur, unius tamen, id est Jesu Christi, generatio quæritur, propter quam ceteræ hic inducuntur : qui dicitur Jesus, quoad divinam, et Christus, quoad humanam naturam. Unde nomen Jesu, est nomen proprium; sed nomen Christi, est nomen commune : et nomen Jesu, est nomen gloriæ; sed nomen Christi, est nomen gratiæ.

2 Cur hanc descendendo Matthæus et Lucas ascendendo texuerit? — Considerandum autem, quod Matthæus descendendo texit generationem Christi, quia agit de humanitate qua Christus ad nos descendit, et assumptionem infirmitatis nostræ a Deo ostendit. Unde et ab Abraham incipit, ostendens modum qualiter Deus venit in mundum, carnem a patribus descendentem assumendo, et procedit usque ad Joseph virum Mariæ, de qua sola Virgine natus est Jesus materialiter, quia de Patre essentialiter. E contrario autem Lucas describit eam ascendendo, quia filios gratiæ per Christum ad regnum ascendere ostendit, et reductionem humanæ naturæ in Deum describit. Unde et a Baptismo, ubi filii gratiæ fiunt, incipit et usque ad Adam procedit; quia spiritualis generatio omnes qui volunt in Christo filii Dei fieri comprehendit. Ut autem dicit *Hilarius:* « Gradum quem Matthæus in ordine regiæ successionis ediderat, Lucas in sacerdotali origine computat; quem dum uterque dinumerat, cognationem in Domino utriusque tribus uterque significat; atque ita suis quæque partibus Domini nostri Jesu Christi, qui est æternus rex et sacerdos, et in carnali ortu utriusque generis gloriam probaverunt : » hæc *Hilarius.* Unde *Augustinus :* « Solus autem tunc ungebatur rex et sacerdos, et in his duabus personis præfigurabatur unus rex et sacerdos; utroque munere unus Christus regens et interpellans pro nobis, faciensque nos membra sua, ut in illo et nos Christi essemus. »

3 Cur Christus præ ceteris filius Abraham et David dicatur? — Incipiens itaque Matthæus ab Abraham, et per Judæ lineam veniens ad David, primum regem in tribu Juda, totam sibi succedentium genealogiam usque ad Joseph, ex ordine texit, ut Salvatorem nostrum ex semine Abrahæ, qui principalis fuit inter Patriarchas, et de progenie David, qui principalis fuit inter reges, et de tribu Juda, quæ inter tribus principalis fuit, secundum carnem descendisse ostendat. Nam et Abrahæ et David Christus Dominus fuerat promissus, et quod de tribu Juda originem duceret, fuerat prophetatum.

4 Genealogia Christi per tres quaterdenas generationum procedit. — Describitur autem hic generatio Christi, per tres quaterdenas generationum, quarum aliquæ fuerunt ante Legem, et aliquæ tempore Legis, et ultima, scilicet Christi generatio, tempore gratiæ, quod incepit ab ejus conceptione. Et per hoc significatur, quod aliqui istis tribus temporibus, salvati sunt, per fidem Christi. Item secundum *Chrysostomum,* completis ter quatuordecim generationibus, mutatus est in Judæis hominum status. Ab Abraham enim usque ad David, fuerunt sub judicibus; a David usque ad transmigrationem, sub regibus; a transmigratione usque ad Christum, sub pontificibus. Ostenditur per hoc, quod sicut completis ter quatuordecim generationibus, mutatus est hominum

Digitized by Google

status; sic a Christo hominum status mutatus est, ut ipse sit Judex, Rex, et Pontifex. Item per hoc significatur quod in Christo consummatur obedientia decalogi, et veritas Evangelii, in fide Trinitatis, in qua *dedit nobis potestatem filios Dei fieri;* et quod per istorum observationem, Christus, qui est *Sol justitiæ,* oritur in nobis, per spiritualem illuminationem. Item, tres quaterdenæ faciunt quadraginta duas generationes, per quas pervenimus ad Christum, qui promissus est nobis in præmium; sicut filii Israel, per quadraginta duas mansiones, venerunt ad terram sibi promissam.

5 SIC NOTANTUR TRIA TEMPORA. — Per has tres quaterdenas notantur tria tempora : ante Legem, sub Lege, et tempus gratiæ : prima quaterdena est ab Abraham usque ad David inclusive; secunda, a David usque ad transmigrationem Babylonis; tertia, a transmigratione Babylonis, usque ad Christum. Prima continet patriarchas; secunda, reges; tertia, duces. In prima ponuntur primo nati ante ingressum Ægypti, ibi : *Judas autem,* etc.; secundo, nati in Ægypto, ibi : *Phares autem,* etc.; tertio, nati post egressum, ibi : *Naasson autem,* etc.

6 MORALITER PRIMA GENERATIONUM QUATERDENA GENERATIONEM SPIRITUALEM CHRISTI, IN ANIMA PŒNITENTE SIGNIFICAT. — Prima quaterdena signat generationem Christi per gratiam in anima pœnitente; secunda, in anima proficiente; tertia, in anima perfecta. Generatio Christi spiritualis, in anima pœnitente ostenditur, secundum tres gradus pœnitentiæ. Primus enim, in inchoatione; secundus, in progressu; tertius, in consummatione. In inchoatione pœnitentiæ, implicantur tria, scilicet præcedentia, constituentia, et conservantia pœnitentiam. Præcedentia sunt duo, scilicet : fides bonitatis divinæ, quæ per Abraham; spes veniæ, quæ per Isaac. Constituentia sunt tria : contritio in qua est lucta, detestando peccatum prius amatum, quæ per Jacob; confessio, quæ per Judam; satisfactio, quæ per fratres ejus. Conservantia sunt tria : timor offensæ, quæ per Phares, qui dicitur *divisio;* amor gloriæ, quæ per Zaram, qui dicitur *oriens;* horror gehennæ, quæ per Esron, qui dicitur *sagitta.* — Sequitur spiritualis generatio Christi in anima, in progressu pœnitentiæ, quæ continet quatuor generationes, secundum quatuor expedientia progressus. Primum est, electio boni a malo, quæ per Aram, qui dicitur *electus;* secundum est voluntas perfecta, in bono exequendo, quæ per Aminadab, qui dicitur *spontaneus;* tertium est, prudentia discernendi, juvans a nocivo, quæ per Naasson, qui dicitur *serpentinus;* quartum est, sensus gaudii in complacendo, qui per Salmon, qui dicitur *sensibilis.* — Subsequitur tertia generatio Christi, in consummatione pœnitentiæ; ad quam concurrunt quatuor generationes, secundum quatuor ibi expedientia. Primum est robur contra tentationes culpæ, quod significatur per Booz, in quo *robur;* secundum est servitus ad operationes gratiæ, quæ significatur per Obed, qui dicitur *serviens;* tertium est, constantia contra persecutiones pœnæ, quod designat Jesse, id est, *insulæ Libani,* [insula enim quatitur undis; quartum est, fortitudo finalis perseverantiæ, quod significat David, id est *manu fortis.*

7 SECUNDA, IN ANIMA PROFICIENTE. — Deinde incipit secunda quaterdena, in qua significatur generatio Christi spiritualis, in anima proficiente; et hoc secundum quatuor gradus : quorum primus est, in voluntate bonorum; secundus, in

Digitized by Google

declinatione malorum; tertius, in operatione mandatorum; quartus, in impletione consiliorum. Ad primum gradum pertinent tria : quietudo cordis ad hominem ipsum, quam designat Salomon, id est, *pacificus;* latitudo charitatis ad proximum, quam designat Roboam, id est, *latitudo populi;* subjectio voluntatis ad Deum, quam designat Abia, id est, *pater Dominus,* in quo amoris et timoris subjectio intelligitur. — Ad secundum gradum, qui est profectus in declinatione malorum, pertinent similiter tria : vitatio scandali, quod signat Asa, id est, *tollens;* vitatio pravi judicii, quod signat Josaphat, id est, *judicans;* vitatio contemptus proximi, quod significat Joram, id est, *excelsus.* Per primum, signatur vitatio mali in effectu; per secundum, in cogitatu; per tertium, in affectu. — Ad tertium gradum, qui est profectus in operatione mandatorum, pertinent quatuor generationes, quia observanda sunt mandata, in statu adversitatis, et prosperitatis. Ad statum adversitatis pertinent duo : fortitudo in aggrediendo difficilia, quam signat Ozias, id est, *robustus Domini,* vel *fortitudo;* patientia, in sustinendo adversa, quam signat Joatham, id est, *perfectus,* quia *patientia opus perfectum habet.* Ad statum prosperitatis pertinent duo : continentia, a delectando in bono commutabili, quam signat Achaz, id est, *continens;* confortatio, in bono incommutabili, quod signat Ezechias, id est, *confortavit me Dominus.* — Ad quartum gradum, qui est profectus in adimpletione consiliorum concurrunt quatuor : primum est, oblivio terrenorum hujus mundi, quam signat Manasses, id est, *oblivio;* secundum est, susceptio jugi Domini, quasi spiritualis nutrimenti, quam signat Amon, id est, *nutritus;* unde ait alibi : *Venite ad me, omnes qui laboratis, et onerati estis, et ego reficiam vos;* tertium est, devotio, respectu præsentis meriti, quam signat Josias, id est, *incensum Domini;* quartum est præparatio respectu futuri præmii, quam signat Jechonias, id est, *præparatio.*

8 TERTIA, IN ANIMA PERFECTA. — Ultimo incipit tertia quaterdena, quæ signat generationem Christi per gratiam in anima perfecta, secundum quatuor gradus. Primus attenditur quantum ad perfectionem religiosorum; secundus, prælatorum; tertius, activorum; quartus, respondens communiter omnibus, scilicet perseverantium. *Post transmigrationem Babylonis,* id est, post transitum a statu imperfectionis, sequitur perfectio religiosorum, ad quam pertinent tria : obedientia prompta, quam signat Jechonias, id est *præparatio;* paupertas voluntaria, quæ nihil aliud quam Deum quærit, quam signat Salathiel, id est, *petitio mea Deus;* regularis disciplina, quam signat Zorobabel, id est, *magister confusionis,* quia disciplinat confusionem peccati. — Ad perfectionem prælatorum pertinent quatuor, scilicet : paterna sollicitudo ad subditos, qnod signat Abiud, id est, *pater meus iste;* doctrina excitans pigros, quod signat Eliacim, id est, *resuscitans;* scientia imperitis consulens, quod signat Azor, id est, *videns lumen;* sanctitas vitæ, alios informans, quod signat Sadoch, id est, *justus.* — Ad perfectionem activorum pertinent quatuor, scilicet : perfectio charitatis ad proximos, quod signat Achim, id est, *frater meus;* perfectio amoris ad Deum, quod signat Eliud, id est, *Deus meus;* perfectio fiduciæ in Deum in adversis, quod signat Eleazar, id est, *Deus meus adjutor;* perfectio humilitatis in prosperis, ut omnia reputentur dona Dei, quod signat Mathan, id est, *do-*

Digitized by Google

num. — Ad perfectionem vero communem perseverantium, pertinent tria, scilicet : supplantatio vitiorum, quod signat Jacob, id est, *supplantator;* continuus profectus virtutum, quem signat Joseph, id est, *accrescens;* constantia fidei immobilis, quod signatur in hoc quod dicitur, *vir Mariæ,* quæ interpretatur *stella maris;* quæ est polus qui non movetur. Hæc enim tria sunt necessaria perseverantiæ. Per hos autem prædictos omnes figuratur Christus; quia ei conveniunt res interpretationem nominum prædictorum.

9 Progenitorum Christi humilitas, quid designaverit? — Considera hic progenitores Domini, quia de exiguis et peccatoribus non dedignatus est nasci, et noluit in progenitoribus gloriari. Neque enim in his, neque, quod amplius est, in virtutibus et operibus gloriari debemus, ne horum mercedem in aliquo minuamus, vel etiam in toto perdamus. Unde *Chrysostomus :* « Hic refulget dignitas Christi, non quia magnos progenitores habeat ac potentes, sed quia exiguos ac viles. Sublimium enim illa maxima et admirabilis gloria est, humiliari sponte submissius. Sicut enim admirabilis judicatur, non quia mortuus tantum est, verum quia etiam crucifixus est et sepultus : sic etiam in generatione illius dici potest quod non solum quia suscepit carnem, et homo factus est, admiratione sit dignus; sed quia etiam tales progenitores habere dignatus est, nihil de nostris vilitatibus erubescens, per ipsa procul dubio docens ut nos quoque nunquam de vitiis erubescamus parentum, sed unum illud quæramus, semper nobilitari propriarum honore virtutum. Non est omnino, non est, nec de virtute, nec de vitio parentum, aut laudandus aliquis, aut culpandus; nemo inde vere, aut obscurus aut clarus est. Imo, ut considerantius aliquid dicamus, nescio quomodo magis ille resplendet, qui ex parentibus a virtute prorsus alienis existens, ipse tamen fuerit de virtute mirabilis. Nullus igitur in superbiam de gloria elevetur parentum, sed considerans progenitores Domini, omnem evacuet et comprimat mentis tumorem, et de solis virtutibus glorietur : quinimo ne de istis quidem; sic enim etiam Pharisæus Publicano deterior effectus est. Noli igitur ipse tuorum corrumpere fructus laborum, et noli sudores tuos in vanum effundere; noli cursum inanem dirigere, post mille circuitus, mercedem laboris evacuans. Novit enim Dominus tuus, et quidem multo te melius, tuarum merita virtutum; ne igitur in superbiam tumescamus, sed dicamus nosmetipsos inutiles, ut in partem utilium transeamus. Si enim laudandum te esse dixeris, reprobus efficieris, etiamsi fueras ante laudabilis; si vero inutilem te fateris, factus es utilis, etiamsi ante reprobus fueris : propter quod necessaria nobis est præteritarum oblivio virtutum. Stabilissimum enim ærarium virtutum est oblivio virtutum. Itaque si eas in memoria quasi venales assidue portemus, armamus hostem, irritamus inimicum, et dolosum invitamus ad furtum. Si vero nemo alter hæc scierit, nisi quem nulla occulta possunt latere, tuto in loco pretiosa consistent. Nequaquam igitur hujusmodi bona frequenter eventiles, ne quis forte ea diripiat : quod etiam Pharisæus passus est in lingua illa circumferens, unde ea et diabolus rapuit. Caveamus igitur de nobismetipsis dicere aliquid gloriose; hoc enim nos et hominibus odibiles, et Deo abominabiles facit. Et idcirco quanto majora fecerimus, tanto

Digitized by Google

de nobis minora dicamus; hoc enim modo maximam, et apud Deum, et coram hominibus gloriam consequimur; nec solum gloriam apud Deum, sed etiam mercedem retributionemque plenissimam. Quando enim aliqua sancta fecerimus, habemus procul dubio debitorem; quando vero nihil nos arbitramur operatos, amplius de tali meremur affectu, quam propter opera ipsa quæ facimus.

10 LAUS HUMILITATIS. — Itaque virtutum omnium merita bonum humilitatis exsuperat; quæ si non adsit, nec illæ poterunt esse laudabiles. Itaque si bona tua magna vis facere, noli illa putare magna, aliter magna esse non possunt. Sic enim Centurio: *Non sum dignus ut intres sub tectum meum;* et propterea dignus effectus est, supraque omnes tunc Judæos mirabilis. Sic etiam Paulus ait: *Non sum dignus Apostolus vocari,* et omnium primus effectus est. Sic et Joannes: *Non sum,* inquit, *dignus, ut solvam ejus corrigiam calceamenti,* et idcirco amicus factus est sponsi, et manum quam indignam dixit calceamentis, hanc Christus supra caput attraxit suum. Sic etiam Petrus ait: *Exi a me, Domine, quoniam homo peccator sum,* et propterea factus est fundamentum Ecclesiæ. Nihil enim ita est amicum Deo, ut si se aliquis minimum ac humilem reputet. Quæ virtus, non aliunde magis, aut oritur, aut nutritur, quam si nunquam animus a conjunctione, et sui discussione discedat. Qui enim humiliatur corde, atque conteritur, non efferetur in gloriam, non in invidiæ livorem; non iracundiæ furore vexabitur; non aliquam aliam suscipiet passionem. *Discite enim,* inquit, *a me, quia mitis sum et humilis corde; et invenietis requiem animabus vestris.* Ut ergo hic et ibi requie multa perfruamur, humilitatem matrem bonorum, nostris penitus inseramus animabus. Sic enim et istius vitæ pelagus, sive fluctus, transire poterimus, et ad tranquillissimum illum enavigare portum: » hæc *Chrysostomus.*

ORATIO

Domine Jesu Christe, spes et fiducia nostra, memor esto quæ pro redemptione nostra suscepisti. Memor esto quod Creator omnium, susceptione nostræ naturæ conscius fieri dignatus es figmenti nostri. Venisti, Domine, propter peccatores, ut omnium peccata deleres. Quid tibi retribui, quid pro hoc digne potest agi? Te laudo, tibi totis visceribus gratias ago, pro immensis beneficiis tuis quibus humano generi perdito subvenisti. Et precor te, piissime Domine, ut qui sic pro nobis flexus es, ut homo fieri dignareris, non in nobis patiaris perire, quod decrevisti miseratus assumere: et fac me tibi gratam et debitam servitutem exhibere. Amen.

Digitized by Google

CAPUT VIII

De eo quod Joseph voluit dimittere Mariam.

Matthæi cap. 1.

1 MARIA INVENITUR GRAVIDA. — Et quia in præmissa Christi genealogia, Matthæus ostendit veram ejus humanitatem, consequenter nunc ostendit ejus divinitatem, per modum conceptionis ejus mirabilem, dicens : *Christi autem generatio sic erat.* Quasi diceret : Non credatur quod Deus sit genitus, ex commixtione maris et feminæ, sicut præcedentes, sed potius modo mirabili, qui sequitur : *Cum enim esset desponsata Maria Joseph ;* et ipsa de Elizabeth ad domum suam in Nazareth rediisset, tandem Joseph a Judæa in Galilæam veniens, et desponsatam sibi in domum suam ducere volens; *antequam convenirent,* scilicet antequam nuptiarum solemnia celebrarent, non quod postea convenerint, sed ostendit proximum tempus nuptiarum solemniis; et est tropus loquendi huic similis, antequam pœniteret morte præventus est, non quod postea pœnituerit : vel, *antequam convenirent* communi habitatione, id est, antequam simul in una domo habitarent, nondum enim convenerant, nondum simul habitabant, ille in sua, et illa adhuc in sua domo manebat, quia licitum non erat apud Judæos, quod sponsus et sponsa absque nuptiarum celebratione, simul convenirent, vel habitarent; *inventa* et visa *est* Maria a Joseph *in utero habens* et gravida. Sed quid sequitur, non invenit, nec agnovit manifeste, scilicet hoc esse de Spiritus Sancti operatione.

2 JOSEPH OCCULTE VULT EAM DIMITTERE. — Perpendens hoc igitur et ignorans tanti secretum mysterii, dolebat et turbabatur, ac *nolens eam traducere* in publicum, id est, divulgare et diffamare, ne scilicet tanquam adultera, lapidaretur; vel *nolens eam traducere* in domum suam ad cohabitationem assiduam, quia propter mysterii virtutem, quam nesciebat, se indignum ad ejus consortium æstimabat, *voluit occulte eam dimittere* parentibus, a quibus eam acceperat. Legerat enim : *Egredietur virga de radice Jesse,* unde noverat Mariam duxisse originem. Legerat etiam : *Ecce virgo concipiet,* et hæc de ea credebat, præsertim, quia post conceptionem facies ejus ita resplenduit divinitate, ut propter coruscationem, vix eam irreverberatis oculis, et non cum timore, posset intueri. Ideoque voluit se ante tantam gratiam humiliare, indignum se reputans, tantæ Virginis cohabitatione. Unde *Hieronymus :* « Hoc testimonium Mariæ est, quod Joseph sciens illius castitatem, et admirans quod evenerat, celat silentio, cujus mysterium nesciebat. » Unde et *Chrysostomus :* « O inæstimabilis laus Mariæ ! Magis cre-

Digitized by Google

debat Joseph castitati ejus, quam utero : et plus gratiæ quam naturæ. Conceptionem videbat, et fornicationem suspicari non poterat. Possibilius enim credebat virginem sine viro posse concipere, quam Mariam posse peccare: » hæc *Chrysostomus.* Et nec Maria pertransivit absque tribulatione, perpendebat enim et videbat Joseph turbatum, et de hoc ipsa turbabatur non modicum. Humiliter tamen tacebat, et occultabat donum Dei, volens potius vilis et mala reputari, quam ipsum donum propalare, et de se aliquid loqui, quod ad jactantiam putaretur pertinere. Rogabat autem Dominum, ut ipse dignaretur remedium apponere, et hanc sibi et viro tribulationem auferre. Vides quam magna tribulatio et anxietas eis erat, et quomodo Dominus suos tribulationibus vexari et tentari, ad ipsorum coronam, permittit; sed tandem Dominus utrique providit.

3 Monetur ab Angelo, ut eam accipiat. — Joseph enim de dimissione Mariæ cogitante et deliberante, ubi habes argumentum, diu deliberandum esse in incertis et dubiis, ne peccetur temeritate levitatis; misit Dominus Angelum suum, scilicet Gabrielem, secundum *Augustinum.* Et hoc fecit triplici ratione, secundum *Chrysostomum :* primo, ne justus homo faceret rem injustam, justo proposito; secundo, propter honorem matris, scilicet ne dimissa notaretur turpi suspicione; tertio, ut intelligens Joseph causam conceptionis, reverentius se haberet cum Virgine; quarto, secundum *Glossam,* ne ulterius premeret dubietas, quem commendabat æquitas. *Cui,* scilicet Joseph, *apparuit Angelus in somnis,* non manifesta visione, quia ipse dubietate animi premebatur, velut somno infidelitatis; et dixit ei : *Joseph, fili David.* Per quod, secundum *Chrysostomum,* reducit eum in memoriam promissionis factæ David de ipso Christo. Quasi dicat, secundum *Glossam :* Recognosce promissionem factam David, de cujus stirpe tu es et Maria, et vide impletum in ea; *noli timere accipere,* et domi retinere *Mariam in conjugem tuam,* non ad carnalem copulam, sed ad cohabitationem cum ea, et ministrationem devotam, necnon affectu et copulatione animorum, quod est vere conjugium. Exemplo ergo Mariæ, liquet fideles conjugatos, servato pari consensu, in continentia posse permanere, conjugiumque posse vocari, non permixto corporis sexu, sed custodito mentis affectu. Unde et Joseph vir Mariæ dicitur, quia verum conjugium est, ubi amoris affectus servatur, et etiam in Maria fructus nuptiarum invenitur. Quasi diceret Angelus : Ne suspiceris quod hic intervenerit humana conceptio. *Quod enim in ea natum est,* id est conceptum, *de Spiritu Sancto est,* id est, virtute Spiritus Sancti est factum. In ea quippe nasci, est concipi : sed de ea nasci, est in lucem proferri. Et secundum hoc dicitur quod duplex est nativitas, scilicet in utero, et ex utero. Nascimur enim in utero, quum concipimur; sed ex utero, quum in lucem educimur. Hic ergo ponitur explicita revelatio, facta ipsi Joseph ab Angelo. Antea enim noverat implicite quiddam divinum esse in Virginis conceptu, ut supra dictum est; explicite tamen nescivit factum, et conceptionis modum, seu mysterium, et ideo hæc explicite sibi revelantur per Angelum.

4 Mysterii Incarnationis fit conscius. — *Pariet autem filium,* quando scilicet erit nativitas ex utero, quem ipsa sicut stella lucem, sicut virga florem, sicut terra

Digitized by Google

germen, paritura erat : *et vocabis nomen ejus Jesum,* id est *Salvatorem; ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum.* Quod non est modicum, quia nulla servitus miserior, quam servire peccatis, et hoc propter vilitatem ipsorum. Ubi ostendit Angelus, eum verum hominem in partu Virginis, et verum Deum, in salute populi a peccatis, quia nullus potest salvare a peccatis, nisi solus Deus. De hoc latius videre poteris supra, de conceptione Salvatoris.

5 Joseph voci Angeli obedit. — Joseph igitur, certificatus de conceptione et virginitate Mariæ, *exsurgens a somno* dubietatis, ad mandatum Angeli, accipiens sponsam in conjugem, id est, ad nomen conjugis et uxoris, cum Virgine virgo permansit, et ei obsequiose, tanquam dominæ, ministravit. Hinc habemus argumentum, quod quidquid a Deo monemur, statim facere debemus. Ergo si vovisti Deo aliquid, statim, si potes, persolve; si non potes, quam cito facultatem habebis, statim implere teneberis. Vota etiam quæ sine expressione certi temporis sunt facta, statim sunt adimplenda. Unde *Chrysostomus :* « Joseph per Angelum de sacramento mysterii cœlestis instruitur, monitis Angeli lætus obtemperat, gaudens divina jussa prosequitur. Suscipit sanctam Mariam, et votis exultantibus gloriatur; quia tantæ majestatis Virginem matrem conjugem dici, ab Angelo meretur audire : » hæc *Chrysostomus.* Per Joseph cogitantem dimittere Mariam, qui certificatus de mysterio per Angelum, accepit eam ut dominam, significatur homo dubitans in fide vel moribus, qui per prædicatorem, vel confessorem bonum, solidatur in istis, et subjicit se monitionibus ipsius.

6 Vox *donec* quomodo intelligenda? — *Et non cognovit,* id est non agnovit eam, *donec peperit filium suum primogenitum;* quia eo nato, dignitatem ejus maxime agnovit. Unde *Chrysostomus :* «Vere non cognovit eam ante, cujus fuerat dignitatis; sed postquam peperit, tunc cognovit eam; quia speciosior et dignior facta fuerat, quam totus mundus; quia quem totus mundus capere non poterat, in angusto cubiculo uteri sui sola suscepit. » Vel non cognoscebat eam opere conjugali, propter ea quæ didicerat, *donec* pro æterno sumendo, id est, nunquam, ut per parvi temporis significationem omne tempus significatum accipiatur. Est enim hæc dictio *donec*, quandoque significativa determinati temporis, quo transacto, fit aliquid. Sic dicitur : Iste non comedit, donec esset hora sexta, qua completa, comedit. Quandoque est affirmativa omnium temporum, et accipitur pro semper, ut ibi : *Sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum,* id est : semper sede a dextris meis. Quandoque est abnegativa omnium temporum, et accipitur pro nunquam, ut hic in proposito. Si enim eam non cognovit ante partum, multo magis non cognovit eam post partum, visis videlicet tot signis et miraculis in nativitate, et post nativitatem Domini, cognoscens Deum esse qui natus est. Aliqui exponunt hoc de cognitione faciei, dicentes quod ex præsentia Christi in utero virginis, tanta erat claritas in facie ejus, quod Joseph facie ad faciem eam videre non poterat, quam Spiritus Sanctus a conceptione penitus impleverat. Sicut dicitur de claritate faciei Moysis, ex consortio sermonis Domini, quia non poterant intendere in eum filii Israel. Et ideo Joseph non cognoscebat facie ad faciem, quam

Digitized by Google

desponsaverat, donec uterus evacuatus esset. Remanet igitur, et stat gaudenter, cum sua benedicta conjuge, et ultra quam dici possit, eam casto diligit amore, et curam ipsius gerit fideliter; et Domina cum eo moratur confidenter, et simul in sua paupertate vivunt lætanter. Unde tribulatione cessante, rediit magna consolatio. Sic et nobis contingeret, si in tribulationibus patientiam haberemus.

7 JESUS IN UTERO NOS PATIENTIAM ET HUMILITATEM DOCET.— Stat etiam Dominus Jesus, more aliorum, usque ad novem menses, in utero reclusus, ut homines qui in miseriis mundi vel inferni clausi erant, ad consortium novem ordinum Angelorum reduceret. Stat benigne, ac patienter sustinet, et tempus debitum expectat. Compatere sibi, quod ad tantam humilitatis profunditatem devenit. Multum debemus hanc virtutem affectare, nec deberemus ad elationem, vel nostri reputationem unquam intumescere, quando tantum se voluit Dominus majestatis inclinare. Et quia de hoc solo beneficio hujus tam prolixæ reclusionis nunquam ei digne satisfacere possumus, saltem corde hoc cognoscamus, et gratias eidem toto affectu agamus, quod nos ex aliis assumere dignatus est, ut vel hoc modicum rependamus eidem quod reclusi stemus ad suum servitium. Ipsius quippe beneficium est hoc, non nostrum meritum, et quidem beneficium multum acceptabile, ac venerabile, et permaximum. Non enim ad pœnam, sed ad cautelam sumus reclusi, et in arce religionis tutissima collocati, ad quam hujus mundi nequissimi venenosæ sagittæ, vel tumultuosi maris procellæ, nisi nostra temeritate, non possunt attingere. Conemur igitur toto posse, mente reclusa et abstracta, ab omnibus caducis, eidem Domino cordis puritate vacare; quia corporalis reclusio, nihil aut parum, sine mentali, videtur prodesse. Unde *Augustinus:* « Quid prodest solitudo corporis, si solitudo defuerit mentis? » Et *Gregorius:* « Quid prodest corpore conversari in claustro, et mente vagari in seculo? » Conemur etiam in omnibus Deo gratias agere, et ex corde eum benedicere, nam hoc in virtutibus nobilissimum est, et coram Deo splendidissimum, ut homo in coactione obedientiæ, in exilio, in paupertate, in contemptu, in infirmitate, in multiplici mentis et corporis tribulatione, velit, sciat, et possit Deum laudare et ex corde benedicere, ac ei cum gaudio gratias agere, desideria sursum erigere, et eum operibus collaudare. Unde et *Bernardus :* « Felix qui passiones corporis sui propter justitiam ordinat, ut quidquid patiatur, propter Dei Filium patiatur, quatenus et a corde tollatur murmuratio, et in ore versetur gratiarum actio, et vox laudis! » hæc *Bernardus.* Qui enim bene attenderet, quod *diligentibus Deum, omnia cooperantur in bonum,* ad magnam animi quietem perveniret, sicque in eo locum haberet, quod Sapiens ait : *Non contristabit justum, quidquid ei acciderit.* Quia secundum *Augustinum,* quidquid acciderit justo, voluntati divinæ deputandum est, non potestati inimici. Et similiter, ipse dicere posset cum Job : *Sicut Domino placuit, ita factum est; sit nomen Domini benedictum.*

8 TRIBULATIO BONORUM IPSIS PROPTER TREDECIM UTILIS. — Igitur in tribulationibus, seu flagellis et afflictionibus, non debes dubitare, quia Deus non permittit eas ad suos venire, nisi pro ipsorum utilitate. Primo quidem, ut homo a seculo se avertens, oblectamenta temporalia respuat, et ad Deum se convertens, æterna concu-

Digitized by Google

piscat. Unde *Augustinus :* « Non enim convertitur anima ad Deum, nisi cum ab hoc seculo avertitur; nec opportunius ab hoc seculo avertitur, nisi perniciosis ejus voluptatibus laboris et doloris aquæ misceantur. Si enim cessaret Dominus, et non misceret amaritudines felicitatibus seculi, oblivisceremur eum: » hæc *Augustinus.* Et ideo ait Psalmista : *Multiplicatæ sunt infirmitates eorum, postea acceleraverunt.* — Secundo, ut peccata sua melius agnoscat, et inde pœnitens et se corrigens, purgatus et mundatus fiat; nam, ut ait *Augustinus,* quod lima ferro, quod fornax auro, quod flagellum grano; hoc tribulatio viro justo. Unde fratres Joseph dicebant : *Merito hæc patimur, quia peccavimus in fratrem nostrum.* — Tertio, ut sublato adjutore, melius imperfectionem suam videat, et seipsum cognoscat. Unde Psalmista : *Ego dixi in abundantia mea: Non movebor in æternum;* sed ut melius me mihi ostenderes : *Avertisti faciem tuam a me, et factus sum conturbatus.* — Quarto, propter humilitatem conservandam, et virtutum custodiam, ne de meritis suis præsumat, et in superbiam se extollat. Unde Apostolus : *Ne magnitudo revelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ, Angelus Satanæ qui me colaphizet.* — Quinto, ut sciat quam malum sit dereliquisse Deum, et ab eo esse derelictum. Unde Jeremias : *Scito et vide, quia malum et amarum est reliquisse te Dominum Deum tuum, et non esse timorem ejus apud te.* — Sexto, ut Deus patientiam alicujus declaret, et per Sanctorum exempla alios ad patientiam instruat. Unde Job : *Hæc sit mihi consolatio, ut affligens me dolore non parcat; nec contradicam sermonibus sanctis.* — Septimo, ut alii magis timeant, et exemplum vivendi inde sumant. Unde Sapiens : *Pestilente flagellato, stultus sapientior erit.* — Octavo, ad Dei salvantis laudem, et ejus gloriam manifestandam, sicut infirmitates cæci nati, et Lazari fuerunt, ut in eis opera Dei manifestarentur, et ipse Deus glorificaretur in æternum. — Nono, ut amoris Christi insignia recogitet, et misericordiam Dei circa se recognoscat; unde in Machabæis : *Etenim multo tempore non sinere peccatoribus* pœnitentiam *ex sententia agere; sed statim ultiones adhibere, magni beneficii est indicium.* Unde secundum *Hieronymum,* magna miseria est ad præsens, misericordiam non consequi; et secundum *Augustinum,* magna ira Dei est quando peccantem non corripit; sed licentiam vagam in peccatum ruendi permittit. — Decimo, ut spem majorem ad Deum habeat, et fiduciam ampliorem inde accipiat. Unde *Augustinus :* « Cum timore debes esse, quando tibi bene est. Nonne melius est tentari et probari, quam non tentatum reprobari? » Unde et *Bernardus :* « Tunc magis irascitur Deus, cum non irascitur. Non enim cum nescio, sed cum sentio te iratum, tunc maxime confido propitium; etenim *cum iratus fueris, misericordiæ recordaberis.* » — Undecimo, ut quum paratus sit Deus ad succurrendum, homo sciat, si tamen ad eum toto corde recurrat. Unde Psalmista : *Ad Dominum cum tribularer clamavi, et exaudivit me.* — Duodecimo, ut homo probetur, si Deum amet, et si virtutes in se habeat. Unde *Gregorius :* « Pœna interrogat, sit quietus quis Deum veraciter amat. » Et iterum: « Nemo in pace vires suas cognoscit; si enim bella desunt, virtutum experimenta non proderunt. » — Tredecimo, ut homo inde probatior fiat, et per patientiam coronam majorem

Digitized by Google

et meritum amplius accipiat, ut patet de Job et martyribus. Unde Jacobus : *Beatus vir qui suffert tentationem, quoniam cum probatus fuerit accipiet coronam vitæ, quam repromisit Deus diligentibus se.* Item secundum *Chrysostomum,* ut signum creditorum sibi thesaurorum, id est, donorum collatorum accipiat. Neque enim superveniret ei diabolus, nisi eum majori honore affectum videret. Sicut insurrexit adversus Adam, quia multa illum dignitate vidit conspicuum, et contra sanctum Job, quia videbat illum adeo miris laudibus coronatum.

9 TRIBULATIO MALORUM AD IPSORUM PUNITIONEM. — Insuper quidam, mali scilicet, flagellis et tribulationibus atteruntur, non ad peccati purgationem et veniam, sed ad punitionem et vindictam, et ad æternæ damnationis inchoationem et augmentum, quod reproborum est proprium; sicut Antiochus et Herodes, ac quidam alii sunt passi. Et multi adhuc hodie videntur pati, quibus congruit illud prophetæ : *Duplici contritione contere eos.* Talibus enim præsentes molestiæ sunt quoddam præambulum, et initium pœnarum gehennæ; quia afflictionum suarum miseriæ ostendunt, quod perpetua in gehenna passuri sunt.

10 PATIENTER ERGO TOLERANDA EST TRIBULATIO. — Circa suos vero Dominus omnia misericorditer ordinat, et ad utilitatem eorum cuncta dispensat. Omnia ergo, vel juste, vel misericordider facit, vel fieri permittit Dominus, et ideo in omnibus semper est laudandus. Unde *Augustinus :* « Vera fidelium humilitas, est in nullo superbire, in nullo murmurare, nec ingratum esse, nec querulum; sed in omnibus Dei judiciis, gratias Deo agere, Deumque laudare, cujus omnia opera, aut justa sunt, aut benigna : » hæc *Augustinus.* His itaque consideratis, sic cor tuum stabilire et ordinare studeas, ut in contingentibus adversis, et quibuscumque displicentiis humiliter, ac patienter, et lætanter te habeas, et in via spiritus ita te exerceas, ut ejus repletus fervore, etiam hæc pro amore Domini Jesu appetas, qui in se et in suis, hanc vitam excelsam tenuit et monstravit, et exemplum ambulandi per eam omnibus reliquit. Patitur enim et sustinet ut electi et filii regni affligantur hic in interiori homine et exteriori. Nam secundum Apostolum, *qui extra disciplinam sunt, non filii; sed adulteri sunt.* Et secundum *Augustinum,* qui exemptus est a passione flagellorum, exemptus est a numero filiorum. Unde et idem *Augustinus :* « Nemo sibi promittat, quod Evangelium non promittit. Necesse est ut usque in finem sic fiat, sicut Scripturæ dixerunt. Non nobis promittunt Scripturæ nostræ in hoc seculo, nisi tribulationes, pressuras, angustias, augmenta dolorum, abundantiam tentationum. Ad ista præcipue nos paremus, ne imparati deficiamus. Sed aliquando peccatores in hac vita, aut non, aut minus flagellantur, quia jam desperata est correctio eorum. At vero illis quibus paratur vita sempiterna, necesse est ut hic flagellentur : Quia *flagellat omnem filium quem recipit,* id est, quem recepturus est in hæreditatem æternam. Addit *omnem,* etiam Unicum qui sine omni peccato est. Qui ergo flagellat Unicum sine peccato, relinquet adoptatum, qui est cum peccato? Unicus sine peccato, non tamen sine flagello, exemplum nobis proposuit in passionibus suis. Non ergo conturbari debemus, cum aliquis sanctus gravia et indigna perpetitur; obliti non sumus quæ pertulit Justus justorum, Sanctus-

Digitized by Google

que sanctorum; omnia enim terrena bona contempsit, ut ea contemnenda monstraret, et omnia terrena mala sustinuit, quæ sustinenda præcipiebat; ut nec in illis quæreretur felicitas, nec in istis timeretur infelicitas : » hæc *Augustinus*. Expedit igitur nobis tribulari hic et affligi; et ideo non debemus in his frangi vel impatientes esse; sed potius hæc affectare et diligere, quia sæpe a malo nos retrahunt, et ad bonum inducunt. Contraria vero pro adversariis habere debemus et fugere, quia contraria prædictis in nobis efficiunt.

ORATIO

Domine Jesu Christe, qui es inexpugnabilis murus omnium in te sperantium, esto in tribulatione meum refugium; vide tribulationes et angustias meas; et mei miserere, et per omnes miserationes tuas mihi succurre. Vide infirmitatem meam, et paterna miseratione me protege, ut tua suffultus providentia, nunquam tua destituar consolatione et misericordia. Memento, Domine, creaturæ tuæ, et insidiantes mihi hostes a me repelle; ut tua misericordia munitus bonitatis tuæ dulcedinem in me cognoscam, et dignam pœnitentiam pro peccatis meis exsolvam. Amen.

CAPUT IX

De Nativitate Salvatoris.

Lucæ cap. 2.

1 Edictum Cæsaris Augusti. — *In diebus illis,* scilicet Maria adhuc prægnante, *exiit edictum a Cæsare Augusto, ut describeretur,* id est in scripto redigeretur, *universus orbis,* scilicet qui libetin civitate sua, sub censu videlicet persolvendo, ut ait *Gregorius :* « Nascituro Domino, orbis describitur; quia ille veniebat in carne, qui electos suos ascriberet in æternitate. » Utinam, Domine Jesu, de electis tuis me miserum facias, ut me in æternitate adscribas! Huic Regi nostro, debemus censum fidei et justitiæ profiteri, corde, ore, et opere. Huic debemus denarium, id est, animam lumine vultus ejus insignitam, vel decalogum Legis, in quo vultum Regis nostri, id est, voluntatem ejus, invenimus. Sicut enim nullus a denario excipiebatur, sic nullus ab observantia mandatorum excipitur. Ubi notandum quod primus imperator Romanorum, fuit Julius Cæsar, qui secundum *Isidorum,* ideo Cæsar appellatus est, quia cæso mortuæ matris utero eductus, prolatusque fuit; vel quia Cæsariæ natus est; vel quia fortiter hostes cædebat. Unde ab eo, imperatores ceteri, sunt Cæsares appellati. Julio

Digitized by Google

mortuo, successit ei Octavianus Augustus, nepos Julii, imperator secundus, qui ideo appellatur Augustus, quia maxime rempublicam, et Romanum auxit imperium; unde et ab eo imperatores ceteri dicti sunt Augusti. Hic retento cognomine prædecessoris, scilicet Cæsare, una cum cognomine suo, scilicet Augusto, vocatus est Cæsar Augustus; a quo mensis, qui prius vocabatur sextilis, dictus est Augustus; vel quia in eo natus est, vel quia tunc de victoria rediit. A tempore istius, primo potestas cœpit imperii, quæ Græce dicitur monarchia, et regnavit annis quinquaginta septem et semis. Hic duodecim annis, circa tempus nativitatis Christi, in pace regnavit. Et tali tempore Christus, cui pax ista famulabatur, nasci voluit; quia pacem magnopere quæsivit, et pacis charitatisque amatores, et etiam sectatores semper invisere dignatus est. Quia enim nasciturus erat Rex pacificus, et Princeps pacis, congruum fuit, ut ipse ante ortum suum, pacem, quasi prænuntiam, præmitteret: quam etiam pacem, ipse postea vivens, in mundo docuit, et exiens de mundo discipulis reliquit. Ex quo etiam moraliter datur intelligi, quod Verbum æternum non nascitur, nisi in corde pacato; unde Psalmus: *Factus est in pace locus ejus.*

2 Universi orbis descriptio. — Pacatis ergo omnibus regionibus per orbem universum, cum quietum silentium universalis pacis, sub Cæsaris Augusti imperio perturbata prius secula servasset, memoratus Augustus, rempublicam legibus pacificis adæquare, et nutrire desiderans, protulit edictum *ut describeretur universus orbis.* Volens enim scire numerum regionum in orbe, quæ ditioni suberant Romanæ, numerum etiam civitatum in qualibet regione, numerum quoque capitum, scilicet personarum in qualibet civitate, ut sciret quæ et quanta deberent jure tributa dare, et sic tributis indebitis non gravarentur, et sciretur per quem modum singulæ terræ, sub Romano imperio melius regerentur, præceperat ut de suburbanis oppidis, ac vicis et pagis, ubicumque habitarent, ad suam homines civitatem confluerent, ubi territorium habebant, vel originem traxerant; et quisque denarium, scilicet nummum argenteum, pretii decem nummorum usualium, unde et denarius dicebatur, præsidi provinciæ tradens, se subditum Romano imperio recognosceret, et ad solvendum tributa se obligaret. Nam et nummus præferebat Cæsaris imaginem et nominis ejus subscriptionem. Dicebatur autem *professio*, quia quilibet quando reddebat præsidi denarium, ponebat illum super caput suum, et proprio ore fatebatur se Romano imperio esse subjectum. Dicebatur etiam *descriptio*, quia numerus eorum, qui censi capite, id est censi vel recensiti per singula capita, et numerati ferebantur, recto determinabantur numero, et in scriptis redigebantur. Et sic tripliciter profitebantur, scilicet facto, quia censum capitis Imperatori solvebant; verbo, quia se esse subjectos Romano imperio ore fatebantur; et scripto, quia eorum nomina scribebantur. *Hæc descriptio prima facta est a Cyrino præside Syriæ* qui missus fuerat a Cæsare Augusto in Syriam, tanquam præses et judex, ad ipsam regendam. Judæa quippe non habuit præsidem proprium, sed ipsa continebatur sub Syria, cujus pars est Judæa. Prima autem potest dici quantum ad Cyrinum, quia enim Syria est provincia, in cujus medio est Judæa, quasi umbilicus terræ habitabilis,

Digitized by Google

dicitur prævisum esse, ut in ea ipse inchoaret, et deinde per circumstantes regiones alii præsides prosequerentur. Vel prima universalis, in qua universus orbis describitur, quia aliæ particulares præcessisse intelliguntur. Vel prima capitum in civitate, fiebat a præside; secunda, civitatum in regione, a legato Cæsaris; tertia, regionum in orbe, coram Cæsare. Hic primum Judæa facta est Romanis tributaria, seu stipendiaria. Hæc descriptio quotannis, id est singulis annis, postea facta videtur, quia in Evangelio legitur : *Magister vester non solvit didrachma.*

3 Iter Mariæ et Joseph Bethlehem Judæ venientium. — *Et ibant omnes ut profiterentur singuli in suam civitatem,* unde duxerant originem. Appropinquante autem termino novem mensium, *ascendit,* secundum loci situm, *et Joseph a Nazareth Galilææ,* ubi manebat, *cum Maria desponsata sibi uxore prægnante, in Bethleem Judæ, civitate David,* quia ibi natus est, et in regem unctus fuit, de cujus domo, id est, progenie et familia erat Joseph et etiam Maria, ubi habitabat eorum genus et familia, ut et ipsi sicut ceteri, eamdem facerent professionem. Ubi vide, Dominum propter te, etiam capite censui adscribi in terris, ut et nomen tuum adscribatur in cœlis. In quo dedit exemplum humilitatis perfectæ, a qua Salvator incepit a nativitate, et eam continuavit usque ad mortem, in *qua humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad crucem.* Unde *Beda* : « Cujus non prætereunter tanta tamque benigna est humilitas intuenda, quia non solum incarnari pro nobis; sed et eo tempore dignatus sit incarnari, quo mox natus censui Cæsaris adscriberetur, atque ob nostri liberationem, ipse servitio subderetur. »

4 Hujus itineris fatigatio. — Considera etiam quod licet beata Virgo Maria jam concepisset Regem cœli et terræ, ipsa tamen una cum sponso suo Joseph, imperiali edicto voluit obedire, ut posset cum Filio dicere : *Sic decet nos implere omnem justitiam;* ac per hoc daret nobis exemplum obtemperandi omni potestati superiori. Laborat ergo iterum Domina hoc longo itinere. Nam a Nazareth usque in Jerusalem sunt triginta quinque milliaria, et deinde in declivio montis Jerusalem, versus meridiem, est Bethlehem sita, quæ et Ephrata est dicta, distans a Jerusalem, per quinque milliaria, vel circa. Ex hoc loco colligitur quod beata Virgo, licet gravida esset, et jam vicina partui, non tamen ex hoc gravabatur in corpore, quin iret de provincia in provinciam : quia, ut dicit *Augustinus,* cum esset Virgo gravida, salubri levitate plaudebat. Lumen enim quod in se habebat, pondus habere non poterat. Referendo singula singulis, Joseph volens solvere censum imperatori terreno, ascendit de provincia in provinciam, scilicet de Galilæa in Judæam, et de civitate in civitatem, scilicet de Nazareth in Bethlehem.

5 Mystica interpretatio Joseph, Nazareth et Bethlehem. — Moraliter, Joseph, qui interpretatur *augmentum,* id est, quilibet nostrum, volens spiritualiter augeri, si solvere vult censum devotionis æterno Regi, debet ire passibus virtutum, et ascendere de Galilæa, id est, de mundo et volubilitate mundanæ conversationis, ad Judæam confessionis et laudis divinæ. Nam Galilæa interpretatur *transmigratio,* vel *rota,* seu *volubilis;* Judæa vero, *confessio.* Et sic eundo, ascendit de Nazareth

Digitized by Google

in Bethlehem, id est, a florida virtutum actione, ad pastum contemplationis internæ, in qua vera refectio animarum invenitur. Nazareth enim *flos*, et Bethlehem *domus panis*, id est, *domus refectionis* interpretatur. Ascendit autem Joseph cum Maria, quia semper debemus nobiscum habere pœnitentiam, sicut Joseph usque ad mortem habuit Mariam, quæ interpretatur *mare amarum*.

6 HOSPITIUM NON INVENIENS, MARIA PRÆSEPIUM INTRAT. — Cumque in Bethlehem essent, quia pauperes erant, hospitium invenire non potuerunt propter conventum et frequentiam multorum, qui ob eamdem causam concurrerant. Compatere hic Dominæ, et conspice delicatam juvenculam annorum quindecim, ex longo itinere fatigatam, et cum verecundia inter homines versantem, quærentem ubi requiesceret, et non invenientem. Omnes eam et socium licentiant et abdicunt; et sic in communi transitu, in diversorium se receperunt, quod intra civitatem, in fine, juxta unam portarum sub rupe concava erat, non habens desuper tectum, ut hodie cernitur, nisi rupem de monte dependentem. Secundum *Bedam*, diversorium est spatium inter duos vicos, ex utroque latere habens murum, et ex utraque parte portam, ut sit inde exitus in utrumque vicum, desuper coopertum propter aeris intemperiem, ut in festivis diebus possint ibi homines convenire ad colloquendum et solatiandum. Et figurat Ecclesiam inter paradisum et mundum existentem, in quam divertamus ab erroribus mundi hujus. Ibi etiam homines ad illam civitatem propter negotium aliquod venientes, animalia propter aeris intemperiem, locare consueverant: unde et diversorium dicebatur, quia illuc homines divertebant. Forte ibi Joseph, faber lignarius, præsepe fecerat bovi et asino, quos secum duxerat; asinum quidem, ut Virgo prægnans, super eum veheretur; bovem forte, ut ipsum venderet, ac censum pro se et pro Virgine solveret, et de residuo viverent. Vel forte aliquis alius bovem adduxerat, ut illum ibi venderet, qui tunc cum asino in eodem præsepio comedebat; vel forte, ambo hæc animalia per alios fuerunt adducta. Unde *Chrysostomus*: « Quicumque pauper est, accipiat consolationem; Joseph et Maria, mater Domini non habebant servulum, non ancillam; de Galilæa, de Nazareth soli veniunt; non habebant jumentum. Ipsi sunt Domini et famuli. Rem novam! Ingrediuntur in diversorium, non ingrediuntur civitatem. Paupertas enim timida inter divites non audebat accedere. »

7 CHRISTUS QUOMODO PRIMOGENITUS ET UNIGENITUS? — Ubi cum venisset hora partus, scilicet in media nocte diei Dominicæ, *dum nox in suo cursu medium iter haberet*, nam ea die, qua dixit: *Fiat lux, et facta est lux*, Dominus *visitavit nos Oriens ex alto*, scilicet *peperit* Virgo *Filium suum primogenitum;* primogenitum tamen non dicit hic ordinem respectu sequentis, sed privationem respectu prioris, quia nullum habuit ante illum. Unde secundum *Bedam*, primogenitus dicitur, non post quem alius, sed ante quem nullus. Et secundum eumdem, omnis unigenitus est primogenitus; et omnis primogenitus, ut sic, est unigenitus. Et quia Filius Dei temporaliter nasci voluit ex matre secundum carnem, ut ipse multos fratres acquireret per regenerationem spiritus, hinc est quod ut sic melius est dictus primogenitus, quam unigenitus. Et hoc est quod dicit idem *Beda*, quia Christus est

Digitized by Google

unigenitus in substantia divinitatis; sed primogenitus in susceptione humanitatis. In nocte natus fuit, quia occultus venit, ut et eos qui in nocte erroris erant, ad lucem veritatis reduceret. Filium quoque natum, mater statim ut Deum adoravit, *involvitque* per semetipsam *pannis,* id est, vilibus et veteribus indumentis; unde pannosi dicuntur pauperes, qui pannis induuntur veteribus insimul consutis. *Et reclinavit* ac posuit *eum,* non in reclinatorio aureo, sed *in præsepio,* in medio duorum animalium prædictorum, scilicet inter bovem et asinum, *quia non erat eis locus* alius *in diversorio.* Ecce magna Christi paupertas et inopia, quia non solum non habuit domum propriam suæ nativitatis; sed nec in communi diversorio poterat habere locum convenientem et congruum, et oportuit eum præ penuria loci in præsepio reponi. Unde verificatum est illud : *Vulpes foveas habent, et volucres cœli nidos, Filius autem hominis non habet ubi caput suum reclinet.* Et intellige quod diversorium illud et stabulum erat ita animalibus et aliis repletum, ut non haberet locum, nisi inter bruta animalia arctissimum; unde poterat dicere illud Psalmistæ : *Ut jumentum factus sum apud te, et ego semper tecum.* Primo, quievit in Virginis alveolo; secundo, in vili præsepio; tertio, in crucis patibulo; quarto, in sepulcro, etiam alieno. Ecce quanta inopia et qualia reclinatoria!

8 JAM IN PRÆSEPIO PERFECTIONIS STATUM EXEMPLO DOCET DOMINUS. — Adverte ex præmissis, quod jam incipiebat statum perfectionis exemplo docere; qui consistit in humilitate, austeritate, et paupertate, ut vere posset dicere illud Psalmistæ : *Pauper sum ego, et in laboribus a juventute mea.* Hic ergo damnantur hujus mundi honores ac pompæ, et vanitates, itemque deliciæ ac mollities, et carnis delectationes; insuper divitiæ et abundantiæ, ac superfluitates. Unde *Anselmus :* « O amanda et admiranda dignatio! Deus immensæ gloriæ, vermis contemptibilis fieri non despexisti; Dominus omnium, conservus apparere voluisti. Parum tibi visum est parem nobis esse, et frater noster esse dignatus es. Et tu, Domine universorum, qui nullam habes indigentiam, inter ipsa nativitatis tuæ initia, non horruisti abjectissimæ paupertatis degustare incommoda. Ut enim ait Scriptura, tibi non nasceris, *non erit locus in diversorio,* nec cunabula, quæ teneritudinem tuam acciperent, habuisti; sed in vili præsepio sordentis stabuli, tu qui terram palmo concludis, involutus panniculis, reclinatus es; et hoc ipsum a brutis animalibus, mater tua mutuo accepit. Consolamini, consolamini, qui in sordibus paupertatis enutrimini, quia vobiscum est Deus in paupertate. Non cubat in deliciis splendidi cubilis; *nec invenitur in terra suaviter viventium.* Quid igitur gloriaris, o dives, res lutea in volutabro lecti picti et delicati, cum Rex regum suo recubitu, stramenta pauperum honestare maluerit? Quid dura strata detestaris, cum tener Infantulus, in cujus manu sunt omnia regna, tuis sericis, plumeis lectis, duras jumentorum stipulas præelegerit? » Unde et *Bernardus :* « Non consolatur Christi infantia garrulos; non consolantur Christi lacrymæ cachinnantes; non consolantur panni ejus ambulantes in stolis; non consolantur stabulum et præsepe amantes primas cathedras in synagogis. Vigilantibus pastoribus annuntiatur gaudium lucis, et eis dicitur esse natum Salvatorem, pauperibus atque laborantibus, non vobis divitibus, qui vestram habetis

Digitized by Google

consolationem, non divinam. » Et iterum : « Nascitur Dei Filius, in cujus arbitrio erat quodcumque vellet eligere tempus; elegit quod molestius est, præsertim parvulo, et pauperis matris filio, quæ vix pannos haberet ad involvendum, præsepe ad reclinandum. Et cum tanta esset necessitas, nullam audio fieri pellium mentionem : Christus utique qui non fallitur, elegit quod carni molestius est. Id ergo melius, id utilius, id potius eligendum, et quisquis aliud doceat, vel suadeat, ab eo tanquam a seductore cavendum. Et tamen, fratres, ipse est promissus olim per Isaiam : *Parvulus sciens reprobare malum, et eligere bonum.* Malum ergo voluptas corporis est; bonum vero, afflictio est. Siquidem et hanc elegit, et illam reprobavit Puer sapiens, Verbum infans, caro scilicet infirma, Infantulus tener, caro omnis laboris impotens, omnis operis impatiens. Itaque jam, carnalis homo, fuge voluptatem; quia posita est mors secus delectationis introitum. Age pœnitentiam, quia per illam appropinquat regnum. Hoc stabulum illud prædicat; hoc præsepe clamat; hoc membra illa infantilia manifeste annuntiant; hoc lacrymæ et vagitus evangelizant. O duritia cordis mei! Utinam, Domine, sicut *Verbum caro factum est,* ita carneum fiat et cor meum! Siquidem et hoc pollicitus es per prophetam : *Auferam,* inquiens, *a vobis cor lapideum, et dabo vobis cor carneum :* » hæc *Bernardus.*

9 COMMENDAT CHRISTUS PAUPERTATEM PENURIA, HUMILITATEM STABULI VILITATE, MORTIFICATIONEM CORPORIS AFFLICTIONIBUS. — Vidisti ortum sanctissimi Principis; vidisti simul et partum Reginæ cœlestis, et in utroque arctissimam paupertatem attendere potuisti. Hæc virtus est illa evangelica margarita, pro qua emenda et comparanda, omnia sunt vendenda et danda. Hæc est totius spiritualis ædificii primarium fundamentum. Hæc est spiritualis via salutis, tanquam humilitatis fundamentum, et perfectionis radix, cujus est fructus multiplex, sed occultus. — Potuisti etiam attendere in utroque profundissimam humilitatem. Non enim sunt stabulum dedignati, non præsepe, non fenum, non cetera vilia, ad dandum nobis exemplum perfectæ humilitatis. Sine hac virtute, salus non est; quia nulla operatio nostra cum superbia, Deo placere potest. Nempe ut virtutes sæpe dentur, vel acceptæ serventur, aut servatæ consummentur, humilitas meretur, et absque ista, illæ nec esse virtutes videntur. — Potuisti etiam attendere in utroque, et maxime in puero Jesu, non parvam corporis afflictionem. Inter ceteras autem, hæc una fuit, quod quando mater sua in præsepio eum locavit, et pulvinar vel alius hujusmodi non haberet, ad caput ejus quemdam lapidem, non sine grandi cordis amaritudine posuit, interposito forte feno, quod ab animalibus mutuo accepit. Et, ut dicitur, adhuc ille lapis, ibidem ad memoriam reservatus, videtur. Paupertatem igitur et humilitatem, afflictionemque corporis studeas et tu pro posse amplecti, et in his Christum pro modulo tuo imitari. Unde *Bernardus :* « Tribus exemplis viam nobis ostendit, qua eum sequi debemus : exemplo paupertatis, quia in hoc mundo divitias habere noluit, quod exemplum levem facit, et expeditum ut currat; exemplo humilitatis, quia mundi gloriam sprevit, quod modicum facit ut lateat; exemplo patientiæ, quia mala sustinuit, quod fortem et robustum facit ut sustineat : » hæc *Bernardus.* Secundum *Anselmum,* Redemptor noster, cæcatis luminibus, collirium suæ In-

Digitized by Google

carnationis apposuit, ut qui Deum in secreto majestatis fulgentem videre non poteramus, Deum in homine apparentem aspiceremus, aspiciendo cognosceremus, cognoscendo diligeremus, diligendo summo studio, ad ejus gloriam pervenire satageremus. Incarnatus est, ut nos ad spiritualia revocaret : mutabilitatis nostræ particeps factus est, ut nos suæ incommutabilitatis participes faceret. Inclinavit se ad humilia nostra, ut nos ad excelsa sua sublimaret. Et secundum *Chrysostomum*, Filius Dei naturalis, etiam David filius esse dignatus est, ut nos filios Dei faceret. Servum suum habere patrem dignatus est, ut nobis patrem faceret Deum. Non enim frustra, nec vane ad tantam humilitatem ipse descendit, sed ut nos ex humili sublimaret. Natus est secundum carnem, ut nos secundum spiritum renasceremur.

10 Locus conceptionis et partus Christi congruus ostenditur. — Adverte etiam quod, quia partus sequitur conceptionem, sicut fructus floritionem, congruum fuit quod Christus, qui conceptus fuit in flore, scilicet Nazareth, quod interpretatur *flos*, nasceretur in fructu, scilicet in Bethlehem, quod interpretatur *domus panis*, vel *refectionis*, quod pertinet ad fructum. Quotidie quoque Dominus in Nazareth concipitur, et in Bethlehem nascitur, cum aliquis flore verbi suscepto, se domum æterni panis efficit. Ideo etiam congruum fuit ut in Bethlehem, quæ *domus panis* interpretatur, Christus nasceretur, quia ipse est *panis vivus, qui de cœlo descendit*, qui electorum mentes interna satietate reficit. Natus quoque in Bethlehem, quæ inter omnes civitates Judæ exigua erat, noluit quemquam de terrenæ civitatis sublimitate gloriari. Qui non in parentum domo, sed in via nascitur, ut se peregrinum esse, et regnum suum de hoc mundo non esse ostenderet, qui etiam dicit : *Ego sum via*, qua scilicèt ad patriam veniamus. In diversorium se recepit, ut nos non palatia, sed diversoria in hoc mundo quærere doceret. Stabulum ad nascendum elegit, ut curiositatem ædificiorum et gloriam mundi damnaret. Parvulus factus est, ut nos magnos ac viros perfectos efficeret, et ne ultra magnificare se homo super terram apponeret. Infirmus factus est, ut nos ad bona opera fortes et potentes faceret. Pauper factus est, ut sua inopia nos ditaret, et ne de terrenis divitiis quisquam se extolleret. Pannis vilibus involutus est, ut nos laqueis mortis absolveret, et stola prima immortalitatis indueret. Manus et pedes ejus constringuntur, ut manus nostræ ad bene operandum laxentur, et pedes nostri in viam pacis dirigantur. In diversorio loco eget, ut nobis in domo Patris sui mansiones multas præpararet. Et sic in præsepio angusto positus est, ut lectos delicatos, et ampla ædificia reprobaret, et ut nos per cœlestis regni gaudia dilataret, et nos locum cordis nostri sibi proprium dilataremus, juxta illud : *Fili, præbe cor tuum mihi.* In præsepio etiam reclinatus est, ut nos, quasi sancta animalia, carnis suæ frumento reficeret, et ut cibus esset jumentorum; homo enim factus est jumentum per peccatum, secundum illud : *Homo cum in honore esset non intellexit, comparatus est jumentis insipientibus, et similis factus est illis;* ideo Dominus factus est fenum, quod est cibus jumentorum, quia *Verbum caro factum est*, et *omnis caro fenum.* Bos quippe, qui designat populum Judæorum, et asinus, qui designat populum Gentium, Dominum in medio habentes, et miraculose cognoscentes, flexis genibus, incessanter eum

Digitized by Google

adorabant, et tanquam laudando voces dabant. Unde *Ambrosius:* « Infantis audis vagitus, non audis bovis Dominum agnoscentis mugitus. *Agnovit enim bos possessorem suum, et asinus præsepe Domini sui.* » Unde et *Gregorius Nazianzenus:* « Venerare præsepe illud, per quod cum esses pene jam mutum animal, pasceris nunc Verbo et ratione Dei. Agnosce ut bos possessorem tuum, et sicut asinus præsepe Domini tui; sis de numero mundorum animalium, et eorum qui ruminare norunt, et verbum Dei ad memoriam revocare, quique etiam divinis sacrificiis, atque altaribus apta sunt; seu certe ex immundis es animalibus, et neque cibis nec sacrificiis denotatus es. » Per Mariam Ecclesia designari potest, et per Joseph sponsum ejus, episcopus. Propter quod annulum habet sicut sponsus, et sicut Maria fecunda fuit, non tamen a Joseph sponso, sed a Spiritu Sancto, sic et Ecclesia fecunditatem gratiæ habet a Deo. Hi ascendunt tendendo in Bethlehem civitatem suam, scilicet cœlestem, et profitentur omni imperatori exhibere servitutem. Ecclesia vero in qualibet bona persona parit filium quando bonum prius conceptum perducit ad effectum; et pannis involvit, quando ab humanis laudibus hoc abscondit; et in præsepio reclinatur, quando ex bono opere non elevatur, sed magis se humiliat. Nascentem etiam Dominum Angeli circumdederunt, et natum statim adoraverunt.

11 Gabriel ad pastores cœlitus mittitur. — *Et pastores erant in regione eadem vigilantes et custodientes vigilias noctis super gregem suum,* prope per milliare, scilicet juxta turrim quamdam inter Bethlehem et Jerusalem, ubi Jacob rediens de Mesopotamia, moratus est cum grege suo, ubi mortua et sepulta est Rachel, et turris gregis dicitur; ubi etiam in Ecclesia tria pastorum illorum monstrantur monumenta. *Et ecce Angelus Domini,* circa quartam vigiliam noctis venit ad eos. Dividitur enim nox in quatuor vigilias; *et stetit juxta illos,* in veste candida et facie rutilanti et jucunda. Et creditur fuisse Gabriel, qui Virgini conceptum Verbi nuntiaverat. Unde ipse amplius ceteris gaudens de impletione hujus quod dixerat, ante omnes se gerebat, ut Christi nativitatem prædicaret; *et claritas Dei circumfulsit illos,* undique exterius in corpore et etiam interius in mente, in signum quod ortus erat Sol justitiæ, et in tenebris lumen rectis corde, et appropinquabat claritas gloriæ. Ideo ergo lumen Angelus attulit, quia eum nuntiare venerat, qui est lux vera, qui omnem hominem illuminat.

12 Eos alloquitur. — Magis autem apparuit Angelus pastoribus, quam aliis generis humani. Primo, quia pauperes, propter quos Christus veniebat, secundum illud Psalmistæ: *Propter miseriam inopum, et gemitum pauperum,* etc. Secundo, quia simplices, juxta illud Proverbiorum: *Et cum simplicibus sermocinatio ejus.* Tertio, quia vigiles, secundum illud Proverbiorum: *Qui mane vigilant ad me invenient me.* Quarto, propter mysterium, ut significetur quod doctrina debet a pastoribus et prælatis venire ad subditos. *Et timuerunt timore magno,* propter insolitam Angeli visionem, et subitam claritatem. Sed Angelus eos consolatur dicens: *Nolite timere.* Cujus causa subditur cum dicitur: *Ecce enim evangelizo,* id est, bonum nuntio *vobis,* scilicet *gaudium magnum, quod erit omni populo,* id est, Ecclesiæ de cunctis populis, scilicet Judæorum et Gentilium colligen-

Digitized by Google

dæ; quia *natus est vobis,* id est, ad utilitatem vestram, scilicet hominum; *hodie,* id est, in ista die naturali, noctem præcedentem supputando ad diem sequentem. Unde ex tunc nox incepit præcedere diem, et potius dicit *hodie,* quam hac nocte, quia gaudium venerat nuntiare et nox illa sicut dies illuminata fuit ex divina claritate *natus est,* inquam, *Salvator,* id est, *salutis amator* et dispensator, *qui est Christus* quoad humanitatem, *Dominus* quoad divinitatem, *in civitate David,* id est, Bethlehem, unde David traxerat originem. Χριστὸς Græce, idem est quod *unctus* Latine: in veteri autem Lege ungebantur tantum reges et pontifices; Christus vero rex est et pontifex, et ideo bene dicitur *Christus,* id est *unctus,* non unctione humana, sed divina, quia in humanitate pro nobis assumpta, unctus fuit a Deo Patre, imo a tota Trinitate, plenitudine gratiæ. Secundum *Bedam,* Angelus aliter Mariam, aliter Joseph, aliter pastores instruit: scilicet et concipiendum, et conceptum, et natum Dominum testando; ut et homines sufficienter imbuat, et suum Deo servitium incessanter impendat. *Et hoc vobis* sit in *signum,* more Judæorum, qui *signa petunt,* ut ait Apostolus; *invenietis,* scilicet tanquam absconditum, non se ostendentem *infantem* non fantem, et tamen Verbum Dei existentem; *pannis,* non sericis *involutum,* ecce ejus paupertas, et habitus vilitas; *et positum in præsepio,* non in reclinatorio aureo, ecce mira humilitas, ut Dominus dominorum reclinaret se usque ad præsepe animalium brutorum. Et notandum quod pastores erant simplices, pauperes, et humiles, seu contemptibiles; ideo ne timerent accedere, datum est eis signum infantiæ, paupertatis et humilitatis in Christo. Hæc sunt signa adventus primi, sed alia erunt signa adventus secundi.

13 MORALITER A QUIBUS ET QUO MODO CHRISTUS INVENIATUR. — Moraliter in hoc instruimur, qualiter et a quibus Christus inveniatur. Quia non nisi a puris et simplicibus, quod respondet ejus infantiæ; et a pauperibus, quod respondet pannorum involutioni; et ab humilibus et contemptibilibus, quod respondet ejus in præsepe reclinationi. Quæ tria comprehenduntur in tribus votis religiosorum, scilicet: castitate, quantum ad primum; paupertate, quantum ad secundum; et obedientia, quantum ad tertium. Et bene nato summo Pastore Angelus pastoribus apparuit, et vigilantibus, insinuans quales debeant esse pastores Ecclesiæ, scilicet humiles et vigilantes. Mystice ergo, secundum *Bedam,* isti pastores gregum signant doctores et rectores fidelium animarum, qui vigilant super vitam subditorum, ne delinquant; et custodiunt vigilias noctis super gregem suum, ne infernalium luporum morsibus pereant. Nox enim pericula tentationum indicat, à quibus se suosque subjectos omnes, qui perfecte vigilant, custodire non cessant. Et juxta illos stat Angelus ad eorum custodiam, et claritas Dei circumfulget illos ad suam et subditorum directionem. Et, secundum eumdem *Bedam,* nec solum episcopi, presbyteri, diaconi, vel etiam rectores monasteriorum pastores intelligendi sunt; sed etiam omnes fideles, qui vel parvulæ domus suæ custodiam gerunt pastores recte vocantur, in quantum eidem suæ domui sollicita vigilantia præsunt, et quicumque saltem uni vel duobus fratribus quotidiano præest regimine, debet ejusdem pastoris officium implere; quia jubetur, in quantum sufficit, hos verbi dapibus pascere.

Digitized by Google

Imo vero unusquisque qui etiam privatus creditur vivere, pastoris officium gerit, et spiritualem pascens gregem, vigilias noctis supra illum custodit, si bonorum actuum et mundarum cogitationum sibi multitudinem aggregans, hoc justo moderamine gubernare, et cœlestibus Scripturarum pascuis nutrire, pervigilique solertia contra immundorum spirituum insidias servare contendit.

14 Militiæ cœlestis concentus. — Cumque pastores de visis et auditis mirarentur, ne unius Angeli et testis auctoritas parva videretur, pro signo et concordia testimonii, *subito facta est cum Angelo*, qui tanquam principalis inter alios nuntiaverat nativitatem Christi, *multitudo militiæ cœlestis*, id est, Angelorum, qui nomine militiæ designantur, quia pro salute hominum cum dæmonibus præliantur. Vel, quia natus est Rex cœlestis, ideo multitudinem Angelorum nomine militiæ designat; quia vero dux ad prælium natus est, ideo eam secundum aliam litteram exercitum appellat; *laudantium Deum*, consona voce, de Christi nativitate, eo quod per ipsam sciebant homines ad salutem deduci, et ruinam Angelorum reparari; *et* in honorem Dei una benedictione *dicentium : Gloria in altissimis Deo*, id est, in cœlis; quia licet ejus gloria ubique reluceat, maxime tamen in cœlo empyreo, ubi est Angelorum et Sanctorum habitatio, et quasi dicat, in terris a multis despicitur, sed in cœlis ab omnibus glorificatur. *Et in terra pax hominibus*, non quibuscumque; sed *bonæ voluntatis*, scilicet eis qui bona voluntate Christum natum suscipiunt, non persequuntur; *non* enim *est pax impiis*, sed *pax multa diligentibus legem* Domini. Nam, secundum *Leonem* Papam, Christiano vera pax est, a Dei voluntate non dividi, et in his solis quæ Dei sunt delectari. Ad Deum quippe pacem habere, est velle quod jubet, et nolle quod prohibet; pax ergo nuntiatur hominibus bonæ voluntatis, id est, hominibus bonis. Per bonitatem enim voluntatis dicitur homo simpliciter bonus, magis quam per bonitatem aliarum potentiarum animæ; quia voluntas movet alias potentias ad actus suos, et ideo bonitas ejus vel malitia in omnes alias redundat potentias, sicut influentia causæ moventis in motis ab ipsa; malis autem hominibus non est pax, quia *non est pax impiis*. Ex hoc etiam verbo Angeli patet, quod illa pax quæ principaliter per prophetas prædicta fuit futura in adventu Christi, erat pax interior bonæ voluntatis; quia secundum quod dicitur in Proverbiis : *Non contristabit justum, quidquid ei acciderit;* pax autem temporalis, quæ fuit in adventu Christi, pacatis omnibus gentibus sub imperio Romano, fuit figura hujus pacis principaliter intentæ. Et bene dicitur *gloria Deo, et pax hominibus;* quia per Christum est Pater glorificatus, et pax facta inter Deum et hominem, ac inter Angelum et hominem, et inter Judæum et Gentilem. *Laudamus te*, etc., quæ sequuntur in hoc cantico, creditur Hilarius addidisse; et Anastasius Papa secundus instituit ipsum cantari in missa diebus Dominicis et festivis, quia est canticum gaudii et exsultationis.

15 Gaudium Dominici natalis. — De gaudio hujus diei dicit *Cassiodorus* super illud Psalmi : *Hæc est dies quam fecit Dominus.* « Licet, inquit, Deus cunctos dies creaverit, singulariter tamen hunc diem fecisse dicitur, qui Christi Domini nativitate sacratus est, in quo me-

Digitized by Google

rito exsultare convenit et lætari, quoniam in eo diabolus perdidit, et salutem mundus accepit. » Et notandum, quod multitudo cœlestis Angelo nuntianti sociata est, ut multitudo adveniens dictum Angeli confirmaret. Unde secundum *Bedam,* uno evangelizante Angelo, multitudo in consonam laudem prorumpit Creatoris, et officium suum Deo impendens, et nos exemplo suo instruens, ut quoties sacram eruditionem ex fratris ore audimus, vel ipsi quæ pietatis sunt, intra nos ad mentem reducamus, et statim Deo laudes corde, ore, et opere reddamus; et aperte demonstrans quod per hanc nativitatem homines ad pacem unius fidei, spei, et dilectionis, atque ad gloriam divinæ laudationis essent convertendi. Deinde ascendentes Angeli in cœlum cum jubilo et canticis, nuntiaverunt hæc similiter concivibus suis. Tota igitur superna curia exhilarata, magnoque festo facto, ac laudibus et gratiarum actionibus Deo Patri exhibitis, venerunt omnes per ordines suos videre faciem Domini Dei sui, et adorantes eum, et matrem ipsius, cum omni reverentia laudis eidem personabant et cantica; quis enim illorum, talibus auditis novis, remansisset in cœlo, quin visitasset Dominum suum sic humiliter constitutum in terra? In nullo eorum cadere potuisset hæc tanta superbia. Unde Apostolus : *Et cum introduceret Primogenitum in orbem terrarum,* dixit : *Et adorent eum omnes Angeli Dei.* Unde *Augustinus :* « In stabulo nascitur, et a matre Maria vili fascia cingitur, et in præsepio reclinatur. Non erat ei cedrina domus, nec lectus eburneus in quo pareret Creatorem, et omnium poneret Redemptorem. Idcirco velut exul et peregrina in aliena domo mundi Dominum peperit, et tanquam femina pauper, non sericis, sed pannis vilibus involvit, et in præsepio collocavit. Quem ut peperit, statim ut Deum adoravit. O stabulum felix, præsepe beatum, in quo, nascitur Christus, et reclinatur omnium Deus! Ibi fuerunt obstetrices angelicæ Potestates, et solatium Angelorum; ibi erant millia millium exsultantium; ibi vagiebat Christus in stabulo, et fiebat lætitia magna in cœlo. Plorabat in præsepio Christus, et tamen de ipso exsultat multitudo cœlestis exercitus, resonans Deo gloriam in altissimis, et in terra pacem annuntians hominibus bonæ voluntatis, quia bonitas cœli nata erat in terris. Descenderat pax vera de cœlo, et inde Angeli gratulantes decantabant gloriam in altissimis Deo. Exsultant Angeli, contremiscit Maria, Mater Dei effecta. Gaudent Angeli de Christo tripudiando secure; ante quem stat Mater, cum magno tremore et timore exsultat et cum exsultatione timida perseverat : » hæc *Augustinus.*

16 PASTORES FESTINANTER AD PRÆSEPE VENIUNT. — Post hæc *pastores loquebantur ad invicem* dicentes : *Transeamus usque Bethlehem,* de qua nobis dictum est, *et videamus* ibi oculis nostris *hoc verbum,* id est, istam rem dignam verbo vel recordatione, *quod Dominus* fecit, quia alius facere non potuit, et *ostendit,* id est revelavit, *nobis.* Quasi dicerent : Videamus puerum natum per verbum Angeli nobis signatum; verbum enim vel sermo in sacra Scriptura, sæpe pro re digna verbo accipitur, ut in Isaia : *Non fuit verbum, in domo sua,* id est, res grandis *quod non ostenderet eis.* Vel videamus hoc Verbum, quod erat in principio apud Patrem, quomodo caro factum est; quia cum caro Domini nostri videtur, Verbum videtur quod Filius est; *quod factum est,* quod tota Trinitas in-

Digitized by Google

carnari constituit, et sic factum hominem scilicet mortalem, *ostendit nobis,* quia in deitate videri non poterat. *Et venerunt festinantes,* principaliter ex vehementi gaudio et desiderio videndi infantem natum, et secundario ut citius redirent ad gregem suum sine custodia dimissum, in quo notatur eorum devotio et sollicitudo quærendi; nemo enim cum desidia quærens, Christum invenire meretur. Ad quem secundum *Bedam,* festinanter ire, est, non pedum gressus accelerare, sed in fide semper ac virtute proficere. *Et invenerunt Mariam et Joseph, et Infantem positum in præsepio.* Ex abundantia quippe pacis, qua tunc homines gaudebant, et propter hospitum supervenientium frequentiam portæ non claudebantur, ideo pastores nocte intrare et ad Puerum venire poterant. Invenitur Christus cum Maria Virgine, et Joseph viro justo, et *in præsepio,* per quod docemur, quod qui vult invenire Christum, debet habere munditiam cordis respectu sui, quod per Mariam Virginem; justitiam respectu proximi, quod per Joseph justum; et humilitatem ac reverentiam respectu Dei, quod per humile præsepium innuitur. Invenitur autem Christus mediante Maria et Joseph, id est, contemplatione et actione, in cujus figuram Jacob, qui et Israel, id est, *videns Deum* dictus est, utramque uxorem, scilicet Rachel et Liam habuit. *Videntes autem* oculis corporalibus et exterius puerum secundum carnem, *cognoverunt* cogitatione intellectuali, et per fidem interius *de Verbo,* id est, Filio Dei dictum esse, *quod dictum erat illis de puero hoc,* et sic per cognitionem humanitatis, venerunt ad cognitionem deitatis; quia, ut prædictum est, non solum exterius, sed etiam interius fuerunt illuminati de cognitione Verbi incarnati. Et adorantes Puerum, referebant quæ ab Angelis audierant. *Et omnes qui audierunt mirati sunt,* et de Incarnationis mysterio, et de pastorum attestatione.

17 MORALITER ET ANAGOGICE CHRISTUM IN PATRIA INVENIRE VOLENTIBUS NECESSARIA. — Moraliter ex præmissis nota, quod volentibus spiritualiter invenire Christum, tria sunt necessaria, scilicet : colloqui per meditationem Scripturarum, transire per contemplationem creaturarum, festinare per degustationem gratiarum. Vel volentes invenire Christum, debemus colloqui per peccatorum confessionem, transire per carnalium et temporalium abjectionem, festinare per ferventis desiderii accelerationem; et hoc usque in Bethlehem, id est, *domum panis,* per divinorum degustationem. Et tunc inveniemus Christum in præsepio cordis nostri, per deliciosam suæ præsentiæ exhibitionem, cujus *deliciæ* sunt *esse cum filiis hominum.* Anagogice autem per Bethlehem, quæ interpretatur *domus panis,* patria cœlestis designatur; quia ibi est ille beatus panis, de quo infra dicitur : *Beatus qui manducabit panem in regno Dei.* Ad hanc Bethlehem, triplici transitu pervenitur : primus est, de vitiis ad virtutes; secundus, de virtute in virtutem; tertius est, ex hoc mundo ad Patrem, sive de morte ad vitam. Igitur secundum consilium *Bedæ,* transeamus etiam nos exemplo horum pastorum usque in Bethlehem civitatem David cogitando, ac recolamus amando, et Incarnationem Christi dignis honoribus celebrando. Transeamus etiam, abjectis carnalibus concupiscentiis, toto desiderio mentis usque in Bethlehem supernam, id est, domum panis vivi, non manu fa-

Digitized by Google

ctam, sed æternam in cœlis, et recolamus amando; quia Verbum caro factum, illuc carne ascendit, ibique sedet, in dextera Patris; illuc eum tota virtutum instantia sequamur, et sollicita cordis ac corporis castigatione procuremus, ut quem illi in præsepio videre vagientem, nos in Patris solio mereamur videre regnantem. Non est tanta beatitudo cum desidia ac torpore quærenda, sed alacriter sunt Christi sequenda vestigia. Et sicut illi videntes cognoverunt, sic et nos quæ dicta sunt de Salvatore nostro plena dilectione festinemus amplecti, ut hæc in futuro perfectæ cognitionis visu comprehendere valeamus.

18 MARIA TUNC OPTIMA DISCIPULA FUIT, UT POSTEA EVANGELISTARUM MAGISTRA FIERET. — *Maria autem* prudentissima *conservabat* in scrinio pectoris sui, *omnia verba,* scilicet de annuntiatione Angelica, de exsultatione Joannis in utero, de ortu Salvatoris, de cantico Angelorum, ac de apparitione et fide pastorum, *conferens ea in corde suo,* cum scriptis prophetarum. Ecce ergo optima discipula, quæ audita conservabat memoriæ commendando omnia, nihil oblivioni dando, et conferens observata frequenter repetendo, unde fuit arca continens divinorum eloquiorum arcana. *Conservabat* ergo *omnia* et memoriæ commendabat, ut postea ipsa docente et narrante scriberentur, et in universo mundo prædicarentur. Ab ipsa enim Apostoli plurima de gestis Domini didicerunt, maxime ea quæ gessit antequam eos vocaret, et ad ipsam omnes quasi ad magistram recurrebant. Et quia sanctas Scripturas legerat, et prophetas sciebat, conferebat quæ secum sunt acta de Domino, cum his quæ noverat a prophetis scripta de eo, attendens prudenter quomodo prophetiæ implebantur in puero nato. *Conferens* ergo *ea* quæ in puero fieri videbat, cum illis quæ de eo in oraculis prophetarum legerat, tanto verius eum Deum esse credebat, quanto ea quæ de illo legerat in eo compleri cernebat. Et ista collatio erat ei delectabilis valde, et utilis Ecclesiæ; quia secundum *Hieronymum,* ipsa post ascensionem Filii sui remansit ad tempus in terris cum Apostolis, ut eos plenius instrueret, quia omnia familiarius viderat et tractaverat, propter quod melius exprimere poterat. « Ut enim, dicit idem *Hieronymus,* quod melius novimus, melius proferimus. » Maria ergo virginalis pudicitiæ jura custodiens, et non minus pudica ore, quam corpore, secreta Christi quæ noverat nulli divulgare volebat, sed tacito corde scrutans congruum tempus quo Deus hæc divulgari vellet, et quomodo vellet, reverenter expectabat, conferens ea quæ viderat circa se acta, et quæ in Scripturis legerat agenda. Legerat enim in Isaia : *Ecce virgo concipiet et pariet filium;* et videbat se virginem, et concepisse et peperisse. Legerat : *Cognovit bos possessorem suum, et asinus præsepe Domini sui;* et videbat Dei et suum Filium inter hæc animalia vagientem in præsepio. Legerat : *Egredietur virga de radice Jesse,* etc.; et videbat se de stirpe David ortam et natam. Legerat : *Nazareus vocabitur* puer iste; et videbat se in Nazareth de Spiritu Sancto concepisse. Legerat : *Et tu, Bethlehem terra Juda,* etc.; et videbat se in Bethlehem peperisse. Comparat ergo verba prophetarum, et quæ legerat, factis et quæ in his audiebat et videbat; et in omnibus una Mater sapientiæ cernit concordiam, et habet certa fidei argumenta. O quantum gaudere poterat, cum se

Digitized by Google

Matrem Dei cognosceret! « Quia, ut ait *Anselmus,* solum de sancta Maria Virgine prædicare, quod Dei Mater est, excedit omnem altitudinem quæ post Deum dici vel cogitari potest. »

19 PASTORUM REVERSIO AD GREGEM. — *Pastores* autem *abierunt cum gaudio* ingenti, *et reversi sunt,* ad curam et custodiam gregis sui, *glorificantes* corde *et laudantes* ore *Deum,* tanquam auctorem et opificem; *in omnibus,* id est, de omnibus *quæ audierant,* scilicet ab Angelis, *et viderant* in Bethlehem propriis oculis, *sicut dictum est,* ab Angelo *ad illos,* id est, in hoc gloriam Deo laudesque referebant, quod non aliud venientes invenerant, quam sicut ad illos dictum erat. Ipsi enim de tam eximio beneficio toti mundo generaliter collato, et eis specialiter ostenso grati existentes, devotionem suam in laudem Dei eructabant, et Deum glorificabant. In hoc etiam reputantur devoti, quia post contemplationem Salvatoris revertuntur ad exercitium actionis. In quo datur forma pastoribus Ecclesiæ, qui aliis dormientibus debent vigilare, et ire aliquando in Bethlehem contemplationis, et ad studium sacræ Scripturæ, ut ibi pane cœlesti reficiantur, et refecti pane doctrinæ ad pascendum gregem revertantur. Unde in Ezechiele : *Animalia ibant et revertebantur.*

20 MEDITATIO PRÆDICTÆ HISTORIÆ. — Vade nunc et tu ad videndum Verbum pro te carnem factum, et genibus flexis, adora Dominum Deum tuum et ejus Matrem, ac reverenter saluta Joseph sanctum senem. Deinde osculare pedes pueri Jesu, jacentis in præsepio, et roga Dominam, ut eum tibi porrigat vel accipere permittat. Accipe ergo eum ad te, et inter brachia tua retine. Intuearis faciem ejus diligenter ac reverenter deosculare, et delecteris in eo ex corde. Confidenter hæc facere potes, quia pro salute eorum venit ad peccatores, et cum eis humiliter conversatus est, et tandem se eis in cibum dimisit; unde benignus Dominus patienter permittet pro tuo velle se tangi, nec imputabit præsumptioni, sed amori. Semper tamen cum reverentia et timore hoc facias, quia ipse Sanctus Sanctorum est. Post ea redde ipsum Matri suæ, et conspice studiose quam diligenter et sapienter eum lactat et gubernat, ac cetera obsequia ei facit. Sta et tu ad serviendum ei paratus, et adjuva eam si potes. In his delectari, jucundari, et sedulo meditari memento, et quantum potes sta familiaris Dominæ et puero Jesu, et intuearis faciem ejus sæpe, *in quem desiderant Angeli conspicere* semper; tamen, ut dixi, cum reverentia et timore, ne patiaris repulsam de præsumptione; reputare enim te debes indignum, in conversatione talium et tantorum. Unde *Anselmus* : « Hinc Matrem cum omni devotione in Bethlehem prosequere, et in hospitium divertens cum illa assiste, et obsequere parienti, locatoque in præsepio Parvulo erumpe in vocem exsultationis, et clamans cum Isaia : *Parvulus natus est nobis et filius datus est nobis,* et amplectere illud divinum et dulce præsepium. Mitiget verecundiam amor, timorem depellat affectus, ut sacratissimis Pueri pedibus labia figas, et oscula gemines; deinde pastorum excubias mente pertracta, Angelorum currentem exercitum admirare, cœlesti melodiæ tuas interpone preces, simul corde et ore decantans : *Gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* » Unde et *Augustinus* : « Angelorum vocem, per quam Dominus Jesus Christus, natus Virginis partu, pa-

Digitized by Google

storibus nuntiatus est, cum Evangelium legeretur, audivimus : *Gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Festa vox et gratulatoria, non uni feminæ, cujus uterus ediderat prolem, sed humano generi, cui Virgo peperit Salvatorem. » Dicamus ergo et nos, et quanta possumus cum exsultatione dicamus, dicamus, inquam, et nos fideli corde, devota voce : *Gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis ;* et hæc verba divina, has Dei laudes, hoc Evangelicum gaudium quanta valemus consideratione perspectum, fide, et spe, et charitate meditemur. Unde *Gregorius Nazianzenus* : « Cum pastoribus Puerum venerare, cum Angelis hymnum dicito, cum Archangelis chorum ducito. Exsulta, et si non potes ut Joannes ex utero, certe velut David in collocatione arcæ testamenti tripudia, venerare nativitatem, per quam terrenæ nativitatis vinculis liberatus es : » hæc *Gregorius.* Venias, et nihilominus quotidie ut videas Jesum in præsepio spirituali, scilicet in altari, ut carnis suæ frumento mereari cum animalibus sanctis refici.

21 Triplex Christi nativitas. — Et sciendum quod triplex est Christi nativitas, scilicet : divina, humana, et gratuita. Prima est, ex Patre æternaliter ; secunda, ex matre temporaliter ; tertia, in mente spiritualiter. Et istæ tres nativitates sumuntur secundum tres Christi substantias, quæ sunt deitas, caro, et spiritus. Nam ex Patre nascitur Deus, ex matre caro, in mente nascitur per gratiam Spiritus Sancti. Ex Patre nascitur semper ; ex mater semel ; in mente sæpe. Secundum nativitatem divinam, Christus habet Patrem sine matre ; secundum humanam, Matrem sine patre ; secundum gratuitam, habet patrem et matrem, secundum illud : *Quicumque fecerit voluntatem Patris mei qui in cœlis est, ipse meus frater et soror et mater est.* Has vero Christi nativitates repræsentat Ecclesia, in die Nativitatis ejus. Primam nativitatem repræsentat in missa quæ cantatur in nocte ; quia divina nativitas est nobis occulta. Secundam repræsentat in missa quæ cantatur in aurora : quia nativitas humana fuit partim occulta, scilicet quantum ad modum ; et partim manifesta, scilicet quantum ad effectum. Tertiam repræsentat in missa quæ cantatur in die ; quia gratuita nativitas manifesta est in anima, in qua Christus concipitur per affectum, nascitur per effectum, nutritur per profectum.

22 Bethlehem commendatio. — Honora tunc et venerare civitatem Bethlehem pusillam et minimam, per quam tibi regressus patefactus est ad paradisum, et ad patriam. Hæc civitas spatio modica, primo dicta est Ephrata, sed postea facta est ibi fames magna ; qua transeunte, facta est, ibidem magna abundantia, et tunc vocata est Bethlehem, id est, *domus panis*, propter eventum abundantiæ supervenientis. Hæc civitas *non est minima in principibus Juda,* id est, dignitatis excellentia, quippe quia conscia mysteriorum ante Christi adventum. Ibi enim unctus fuit David ; ibi sacrificium solemnizatum ; ibi connubium Ruth et Booz celebratum, in quo præfigurabatur humanitatis et divinitatis connubium, verum sacrificium et immutabile regnum. Item conscia gaudiorum in adventu Christi. O quis digne penset gaudium Angelorum laudantium, pastorum videntium, regum adorantium, populorum credentium ! Item conscia martyriorum post adventum Christi, quando Herodes fecit infantes

Digitized by Google

occidi; sed maxime beata in germine, quia inde exiit germen nobile, scilicet dux et dominator, germen utile regens populum Israel. De cujus civitatis laude, sic dicit *Bernardus* : « O Bethlehem parva, sed magnificata a Domino! Magnificavit te qui factus est in te, parvus ex magno. Quæ civitas si audiat, non invideat pretiosum stabulum illud, et illius præsepii gloriam. Ubique *gloriosa dicta sunt de te, civitasDei,* ubique canitur : quia *homo natus est in ea, et ipse fundavit eam Altissimus!* » hæc *Bernardus*. Bethlehem sita est in monte longo, sed arcto, ab Oriente se extendens in Occidentem, in cujus fine orientali sub rupe quadam, quæ erat in quodam diversorio, illuxit nobis *Sol justitiæ, Christus Deus noster;* et contra Occidentem, ad quatuor vel quinque pedes erat præsepe jumentorum, in quo dulcis Puer ille fuerat reclinatus. In hac civitate est sancta et venerabilis ac miræ pulchritudinis, et devotionis Ecclesia cathedralis consecrata in honorem Beatæ Virginis Mariæ, quam ædificari fecit Beata Helena, mater Constantini Imperatoris, in qua est scripta; et in illa pulcherrimum altare marmoreum, in loco ubi Virgo Maria peperit, et Christus nasci voluit. Est etiam in ipsa Ecclesia capella pulcherrima et devota, in qua erat illud præsepium venerabile et divinum. In eadem Ecclesia est sepulcrum Innocentium, et sepulcrum Beati Hieronymi. Ibi Beata Paula et Eustochia requiescunt. Ibique est cisterna, in quam Stella dux Magorum dicitur cecidisse. Hanc sanctam et Deo dilectam civitatem, Beatus Hieronymus præelegit, ut ibidem Domino deserviret. Beata etiam Paula et Eustochia filia ejus, cum multis aliis virginibus in monasterio sanctimonialium Dei servitio, et divinæ contemplationi devotissime vacantes, regnum mundi et omnem ejus ornatum propter amorem Domini nostri Jesu Christi, et loci devotionem contempserunt.

23 Civitates a Christo specialiter electæ. — Multi quoque ex his qui desiderio Terræ Sanctæ de terra et de cognatione sua, et de domibus patrum suorum exierunt, licet turba et tumultus hominum plerumque religioni sint impedimentum, maluerunt tamen inter turbas populorum corporaliter habitare, quam sanctarum civitatum, quas Christus specialiter elegit, scilicet Jerusalem, Bethlehem et Nazareth, quæ tanquam cellæ aromaticæ Salvatoris conversatione redolent, habitatione privari. In Nazareth enim de Spiritu Sancto, in Maria Virgine fuit Dominus conceptus; in Bethlehem natus; in Jerusalem pro salute nostra crucifixus, mortuus, et sepultus. In Bethlehem ergo secundus Adam est natus, de qua ad septem milliaria vel circa contra Austrum est Ebron civitas, ubi in agro Damasceno fuit primus Adam de rubra terra formatus, de quo agro ad jactum arcus est spelunca duplex, ubi ipse Adam cum conjuge sua est conditus et sepultus; tresque magni Patriarchæ, scilicet Abraham, Isaac, et Jacob, cum conjugibus suis.

24 Figuræ nativitatis Christi. — Christus itaque natus est, ut captivum hominem liberaret. Et hoc præfiguratum fuit in pincerna Pharaonis, cui in carcere videbatur, quod coram se vitis de terra crescebat, habens tres propagines seu ramos, quæ cœpit florere et uvas producere, quas in calicem Pharaonis exprimens, potum Pharaoni offerebat; qui secundum somnii interpretationem post tres dies liberatus est. Sic cum genus humanum miserabilem sustineret captivitatem, vitis, id est Christus, de terra

Digitized by Google

sola, scilicet Maria excrescebat, qui tres propagines, scilicet carnem, animam, deitatem habebat; vel tres propagines sunt tres personæ sanctæ Trinitatis. Tertia vero die, postquam vinum sanguinis sui in cruce est expressum, et Regi cœlesti oblatum, tunc genus humanum de captivitate est egressum. Hoc vinum Regem cœlestem ita inebriavit, quod omnem offensam humano generi relaxavit. Hoc vinum nobis sub sacramento reliquit, ut quotidie Regi cœlesti pro mundi offensa offeratur, quia quotidie a mundo offenditur. Unde cum Christus nasceretur, vineæ Engaddi floruerunt, et Christum veram vitem venisse ostenderunt.—Modus autem nativitatis Christi, figuratus est in virga Aaron, quæ floruit et fructum amygdalinum protulit. Sicut enim virga illa mirabiliter contra naturam germinavit, sic Maria supra ordinem naturæ mirabiliter Filium generavit. Virga Aaron protulit fructum sine plantatione; Maria genuit Filium sine virili commixtione. In testa amygdalina dulcis nucleus latebat, in testa carnis Christi dulcissima deitas abscondita fuit. In virga Aaron invenimus frondium viriditatem, florum suavitatem, et fructuum ubertatem; sic Maria habuit viriditatem virginitatis, suavitatem pietatis, et ubertatem perpetuæ satietatis.

25 Ipsis Paganis annuntiata fuit. — Non solum autem Christus Judæis, sed et Paganis ortum suum præmonstravit, quia *omnes homines salvos fieri* voluit. Unde Octavianus, qui tunc toti mundo dominabatur, et ideo a Romanis tanquam Deus reputabatur, Sybillam prophetissam consulebat, si in mundo aliquis eo major futurus erat. Eodem autem die quando Christus in Judæa nascebatur, Sybilla Romæ circulum aureum juxta solem contemplabatur, in quo circulo virgo pulcherrima residebat, quæ puerum speciosissimum in gremio gerebat. Quod illa Cæsari Octaviano monstravit, et Regem potentiorem ipso natum esse intimavit.

26 Solemnitatis natalis Christi magnitudo. — Meditari ergo debes cum gaudio, quanta sit hodierna solemnitas. Hodie namque natus est Christus, et sic vere est dies natalis Regis æterni, et Filii Dei vivi. Hodie *Puer natus est nobis, et Filius datus est nobis.* Hodie *Sol justitiæ,* qui in nubibus erat, clare fulsit. Hodie sponsus Ecclesiæ, electorum caput, de thalamo suo processit. Hodie *speciosus forma præ filiis hominum* desideratam faciem ejus ostendit. Hodie illuxit nobis dies redemptionis nostræ, reparationis antiquæ, felicitatis æternæ. Hodie pax est nuntiata nobis hominibus, ut canitur in hymno Angelico, qui hodie est factus. *Hodie,* ut cantat Ecclesia, *per totum mundum melliflui facti sunt cœli.* Hodie *apparuit benignitas et humanitas Salvatoris nostri Dei;* quia, ut dicit *Bernardus,* « Potentia apparebat in rerum creatione, sapientia vero in earum gubernatione, sed benignitas misericordiæ maxime nunc apparuit in humanitate. » Hodie adoratus est Deus in similitudine carnis peccati. Hodie et nos cum Christo sumus congeniti, quia generatio Christi origo est populi Christiani. Hodie illa duo miracula contigerunt, quæ omnem superant intellectum, et sola fides apprehendere potest, scilicet quod Deus nascitur, et Virgo parit. Hodie aliorum miraculorum claruit multitudo. Denique omnia quæ de Incarnatione dicta sunt, quasi hic clarius elucescunt; ibi inchoata, hic manifestata, videas nunc illa, ac istis conjunge et applica. Merito ergo est ista dies gaudii et exsultationis, ac lætitiæ magnæ nimis.

Digitized by Google

ORATIO

Jesu dulcis, qui de ancilla humili, humilis natus, te humiliter natum humilitatis pannis involvi, et in præsepio reclinari voluisti, da mihi, clementissime Domine, per tuam inenarrabilem nativitatem renasci in me novæ vitæ sanctitatem, et sic sub habitu et pannis me religionis humiliari, ut inter arcta regularis disciplinæ studia, velut in quodam præsepio reclinatus, ad culmen veræ humilitatis valeam attingere. Et qui nostræ humanitatis et mortalitatis fieri dignatus es particeps, da mihi tuæ divinitatis et æternitatis esse participem. Amen.

CAPUT X

De Circumcisione Domini.

Lucæ cap. 2.

1 CIRCUMCISIO AB ABRAHAM INCEPTA. — *Postquam autem consummati,* et impleti *sunt dies octo,* scilicet a nativitate Domini, utramque extremitatem computando, *ut circumcideretur puer,* secundum Legis præceptum; quia hoc erat tempus circumcisioni deputatum, *vocatum* et declaratum est *nomen ejus,* esse *Jesus,* id est *Salvator;* quia in circumcisione solebat nomen imponi, *quod* scilicet nomen jam ante impositum est a Deo, *vocatum,* id est, prænuntiatum, *est ab Angelo priusquam in utero,* scilicet Virginis *conciperetur,* de Spiritu Sancto. Ritus circumcisionis a beato Patriarcha Abraham exordium sumpsit, quando et ipse nominis amplificationem accepit. Nam cum signaculo circumcisionis, augmentum et immutationem promeruit nominis, ut qui prius dicebatur Abram, id est, *pater excelsus,* deinceps ob meritum fidei diceretur Abraham, id est, *pater multarum gentium.* Nec solum ipse, sed etiam venerabilis uxor ejus augmentum cum nominis mutatione promeruit, ut quæ prius dicebatur Sarai, id est, *princeps mea et domus suæ* tantum, deinceps diceretur Sara, id est, *princeps omnium* recte credentium feminarum. Ex hoc ergo in consuetudinem venit, quod ad hujus rei imitationem nomina imponerentur pueris in die circumcisionis eorum, et sic puero Jesu est factum. Ab humilitate ergo, quæ est radix, et custos virtutum, Jesus sumens initium, circumcisionis accepit signaculum, ut pro te sanguinis pretium non tardans effundere, se tuum verissimum Salvatorem ostendat, patribus tam verbo quam signo repromissum, eique assimilatum, per omnia, præ-

Digitized by Google

ter ignorantiam et peccatum.

2 PRIMUM MYSTERIUM DIEI CIRCUMCISIONIS : IMPOSITIO NOMINIS JESU, CUJUS INTERPRETATIO, DIGNITATES ET VIRTUS. — Duo magna hodie sunt facta. Primum, quia nomen scilicet Jesus est manifestatum, quod ab æterno erat sibi impositum, et ab Angelo, *priusquam in utero conciperetur*, vocatum. Angelus enim Gabriel, missus ad Mariam, ait : *Ecce concipies in utero, et paries filium, et vocabis,* scilicet in circumcisione, *nomen ejus Jesum,* scilicet a Deo Patre sibi impositum. Unde in Isaia : *Et vocabitur tibi nomen novum, quod os Domini nominavit.* Secundum *Origenem,* vocabulum Jesu dulce et gloriosum, omni adoratu cultuque dignissimum, *nomen quod est super omne nomen,* non decuit primum ab hominibus appellari, neque ab eis offerri in mundum, sed ab excellentiori quadam majorique natura. Hoc ergo nomen ei innatum est; ut enim Salvator sit, a propria natura habet. Et quamvis hoc nomen aliis ante fuerit impositum, tamen fuit novum in Christo, in quantum fuit impositum ab hac proprietate, quia est Salvator omnium, quæ in aliis non fuit, licet salutem in aliquo facto particulari fecerint. *Jesus* enim Hebraice, *Salvator* interpretatur Latine. Dicitur autem Salvator : primo, a potentia salvandi, et sic convenit ei hoc nomen ab æterno; secundo, ab habitu salvandi, et sic fuit impositum ab Angelo, et convenit ei a conceptionis suæ principio; tertio, ab actu salvandi, et sic fuit vocatum nomen in circumcisione, et convenit ratione passionis suæ. Igitur secundum *Chrysostomum* hoc nomen Dei quo Jesus ex utero Virginis nuncupatur, non novum est ei, sed antiquum; quia Jesus, id est *Salvator,* vocatus est secundum carnem, qui erat Salvator secundum divinitatem. Unde considera dignitates hujus nominis : primo, quod hoc nomen fuit ab æterno præordinatum et consecratum; secundo, fuit divino ore nominatum; tertio, Patriarchis et Patribus antiquis desideratum; quarto, a Prophetis prophetatum; quinto, ab antiquo scilicet Jesu Nave, qui et Josue dicitur, præfiguratum; sexto, ab Angelo Virgini et Joseph prænuntiatum; septimo, a B. Virgine prædicatum; octavo, a Joseph hodie impositum; nono, ab Angelis divulgatum; decimo, ab Apostolis magnificatum; undecimo, a Martyribus testificatum; duodecimo, a Confessoribus collaudatum; tredecimo, a sanctis Virginibus tanquam oleum effusum prægustatum; decimo-quarto, a fidelibus veneratum. Est autem secundum *Augustinum,* differentia inter nomen Jesus et nomen Christus : quia nomen Jesus est nomen proprium; sed nomen Christus est nomen commune et sacramenti. Item, nomen Christus est nomen gratiæ; sed nomen Jesus est nomen gloriæ. Sicut enim hic per gratiam baptismalem a Christo dicuntur Christiani, sic in cœlesti gloria ab ipso Jesu dicemur Jesuitæ, id est, a Salvatore salvati. Et quanta est differentia inter gratiam et gloriam, tanta differentia potest dici inter nomen Jesus et Christus. Moraliter secundum *Bedam,* sicut Christus in sua circumcisione corporali accepit hoc nomen Jesus, ita electi in sua circumcisione spirituali participant isto nomine; ut sicut ipsi a Christo dicti sunt Christiani, ita a Salvatore vocentur salvati. Quod etiam nomen eis non solum priusquam in utero Ecclesiæ, per fidem conciperentur, sed ante secula a Deo vocatum est. Hoc est ergo *nomen quod est super omne nomen.* — *Nec enim aliud nomen est sub cœ-*

Digitized by Google

lo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri. Nomen quod secundum *Bernardum,* est mel in ore, in aure melos, in corde jubilus; nomen quod instar olei lucet prædicatum, pascit recogitatum, lenit et ungit invocatum. Et secundum *Petrum Ravennatem* : « Hoc est nomen quod dedit cæcis visum, et surdis auditum, claudis gressum, sermonem mutis, vitam mortuis, totamque diaboli potestatem de obsessis corporibus virtus hujus nominis effugavit. » De hoc nomine dicit *Anselmus* : « Jesus est nomen dulce, nomen delectabile, nomen confortans peccatorem, et nomen beatæ spei; ergo, Jesu, esto mihi Jesus. » Nomen Jesu est virtuosum, juxta illud Apostoli : *Abluti estis, sanctificati estis, justificati estis in nomine Domini nostri Jesu Christi.* Habet enim nomen Jesu virtutem ablutivam, quoad peccati maculam; virtutem sanctificativam, quoad culpam; et virtutem justificativam, quoad reatum. Cum igitur tria sunt in peccato, scilicet macula, culpa et reatus, patet quod quoad omnia ista peccatum remittitur per nomen Jesu. Unde dicit Joannes : *Remittuntur vobis peccata, propter nomen ejus.* In hoc nomine *omne genu flectitur, cœlestium, terrestrium et infernorum.* Hoc nomen Domini *quicumque invocaverit, salvus erit.* De hoc quoque nomine ipse Dominus ait : *Quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.* Hoc igitur nomine in omnibus orationibus uti debemus, ac petitiones in nomine Christi formare, et propter hoc orationes Ecclesiæ in fine formantur in Jesu Christi nomine, dicendo : *Per Christum Dominum nostrum,* vel aliquid simile. In hoc nomine ille non petit, qui contra Dei dispositionem, et contra suam vel aliorum salutem petit; imo vero qui taliter petit, contra hoc nomen eum petere dubium non est. Vere ergo et proprie dictus est Jesus, quia nonnisi in hoc solo nomine salutem obtinere possumus. Unde de se ipso dicit : *Ego sum α et ω, principium et finis.* Quia sicut per Verbum æternaliter dictum omnia producuntur, sic per Verbum carni unitum reparantur, promoventur et finiuntur.

3 Secundum mysterium hujus diei : prima sanguinis Christi effusio. — Secundum, quod hodie factum est, quia cœpit hodie Dominus Jesus suum sacratissimum sanguinem pro nobis fundere, cum ipsius caro cultello incideretur lapideo. Tempestive cœpit pati pro nobis, et qui peccatum non fecit, pœnam hodie portare incepit pro peccatis nostris. Non solum enim in virili, sed etiam in infantili ætate sanguinem suum pro nobis voluit fundere. Ploravit autem puer Jesus hodie, propter dolorem quem in carne sensit; nam veram carnem et passibilem, sicut ceteri homines habuit. Sed eo plorante, credisne quod mater potuerit lacrymas continere? Ploravit ergo, et ipsa. Compatere et tu sibi, et plora etiam cum eo, quia hodie ipse fortiter ploravit. Nam in solemnitatibus istis multum gaudere debemus, propter salutem nostram quam quæsivit; sed multum compati et dolere, propter suas angustias, quas pro nobis sustinuit. Multum etiam ex hoc admirari debemus ad tolerandum pœnas pro peccatis propriis, cum cernimus ipsum tantas tolerasse pro alienis. Unde ait *Bernardus* : « Quis non erubescat refugere multo minores pœnas pro peccatis suis, cum noverit Christum tanta pertulisse, non pro suis, sed alienis? » Et sciendum quod sex

Digitized by Google

vicibus fudit sanguinem suum pro nobis : primo, in circumcisione, et hoc fuit nostræ redemptionis initium ; secundo, in oratione, et hoc fuit nostræ redemptionis desiderium ; tertio, in flagellatione, et quarto in coronatione, et hoc fuit nostræ redemptionis meritum : quia *livore ejus sanati sumus ;* quinto, in crucifixione, et hoc fuit nostræ redemptionis pretium, tunc enim quæ non rapuit exsolvebat; sexto, in lateris apertione, et hoc fuit nostræ redemptionis sacramentum, per quod figuravit, nos per aquam Baptismatis debere mundari, qui quidem Baptismus habiturus erat efficaciam a sanguine Christi. — Per primum docemur nos spiritualiter circumcidere, et peccata abjicere; per secundum, mentis angustiam pro salute nostra sustinere; per tertium, carnem nostram domare ; per quartum, animam nostram virtutibus ornare ; per quintum, membra nostra mandatis Dei ligare; per sextum, vulneratum cor in charitate Dei habere. Vides ergo quoties Christus suum fudit sanguinem, propter nostram redemptionem : ubi tamen sunt nostræ lacrymæ, ubi gemitus, ubi fletus, ubi gratiarum actiones pro tam copiosa sanguinis effusione? *Venite, adoremus et procidamus ante eum, ploremus coram Domino, qui fecit nos,* et tam copiose redemit; ut enim ait *Bernardus :* « Suffecisset ad redemptionem orbis una pretiosissimi sanguinis gutta, sed data est copia, ut in beneficii recordationem virtus diligentis claresceret, *copiosa* enim *apud eum redemptio.* »

4 Cur circumcisio instituta fuerat? — Ut autem dictum est, ritus et religio circumcisionis ab Abraham sumpsit exordium; quia primus unius Dei confessus est fidem, et in signum hujus primo accepit circumcisionem, quæ fuit signum distinguens fideles ab infidelibus. Credens enim Abraham, adhuc in præputio positus, filium se habiturum, quem Deus ei promisit, hujus rei signum circumcisionem accepit, ut quod credens justificatus sit cerneretur. Fuit ergo data et instituta circumcisio : primo, propter meritum fidei Abrahæ, ut sicut fide distabat a nationibus ceteris, sic distaret etiam signo circumcisionis.—Secundo, ut populus qui ex eadem progenie nasciturus erat, per circumcisionis signum peculiaris Deo agnosceretur, et ab aliis nationibus discerneretur, ac semen ejus, qui credens Deo hoc ipsum acceperat, esse sciretur. — Tertio, ut si qui ex eodem populo in prælio corruissent, hoc signo circumcisionis inter Gentes cogniti, quia de stirpe sancta descenderant, sepulturæ traderentur. Et ideo in eremo non circumcidebantur, ubi soli sine Gentibus conversabantur. — Quarto, in remedium peccati originalis, et ad repressionem concupiscentiæ carnalis. Data est etiam circumcisio in præparationem susceptionis fidei, quia circumcisio est quædam professio Mosaicæ legis servandæ, sicut et Baptismus est professio legis Evangelicæ, et per professionem illam disponebantur ad istam. Circumcisio igitur præteriti temporis mandatum fuit, et signum promissi Christi, quam usque ad Christum oportuit auctoritatem habere, ut tamdiu curreret, donec nasceretur promissus Abrahæ; quo nato, et promissione impleta, oportuit circumcisionem et signum promissionis cessare. Unde fiebat cultris petrinis, quia *petra erat Christus.*

5 Decem rationes propter quas Christus circumcidi voluit. — Voluit autem Christus circumcidi ex causis pluribus, tanquam si esset Legi subjectus. Primo, ut osten-

Digitized by Google

deret se esse de genere Abrahæ, qui circumcisionis mandatum accepit, et cui de Christo repromissio facta est. — Secundo, ut patribus assimilatus, Judæis satisfaceret, ac scandalum et omnem excusationem in se non credendi, et eum non recipiendi ipsis auferret. — Tertio, ut Legem veterem, et circumcisionem quam Deus instituerat, approbaret; ac eam sanctam, justam et bonam fuisse monstraret. — Quarto, ut obedientiæ et humilitatis virtutem, nobis suo commendaret exemplo, præceptum Legis, cui tamen subjectus non erat, observando. — Quinto, ut Legem quam dedit aliis, etiam ipse impleret, et qui in similitudine carnis peccati, non autem in carne peccati venerat, remedium quo caro peccati mundari consueverat, non respueret. — Sexto, ut Legis onus in se sustinens, alios a Legis onere, quod portare nequiverant, liberaret, quia *factus est sub Lege, ut eos qui sub Lege erant redimeret.* — Septimo, ut pro nobis sanguinem suum non solum in ætate virili, sed etiam in infantia funderet, et tempestive pati inciperet. — Octavo, ut in se veritatem carnis humanæ ostenderet, et hæreticos qui dixerunt eum non verum corpus, sed phantasticum habuisse, confunderet. — Nono, ut castitatem, quæ a circumcisione actus illius membri est, commendaret, et concupiscentiam carnalem reprobaret. — Decimo, ut in ipso carnalis circumcisionis finem, et spiritualis exordium haberet, et nos fore spiritualiter circumcidendos demonstraret, ut enim Apostolus ait: *Finis Legis Christus ad justitiam omni credenti.*

6 Baptismus circumcisionem evacuavit. — Hodierno itaque die cessat circumcisio, et habemus pro ea Baptismum, qui est majoris gratiæ et minoris pœnæ; nam gratia Baptismi superveniens carnis circumcisionem evacuavit, quemadmodum, fructu adveniente, flores decidunt, et marcescunt. Unde *Gregorius:* « Quod apud nos valet aqua Baptismatis, hoc egit apud veteres, vel pro parvulis sola fides, vel pro majoribus virtus sacrificii, vel pro his qui ex stirpe Abrahæ prodierunt mysterium circumcisionis. » Et secundum *Bedam*, idem auxilium curationis in Lege circumcisio, contra originalis peccati vulnus præstitit, quod nunc Baptismus tempore gratiæ confert, nisi quod introitus in regnum nondum patebat circumcisis, ut modo baptizatis. At vero non solum Baptismus hoc facit, sed etiam passionis adjunctio, quæ si circumcisioni adjuncta esset, et similiter ibi fieret. Ideo autem in carne præputii fiebat circumcisio, quia in parte illa magis concupiscentia dominatur, per quam originale peccatum propagatur. Ubi ergo via peccati est, ibi apte signabatur peccati remedium.

7 Moraliter, quid sit circumcisio? — Significatur autem per circumcisionem carnis, circumcisio mentis, qua mundatur anima a vitiis; et ideo debemus circumcisionem spiritualem in omnibus intus et extra habere, et ex omni parte spiritualiter vitiis circumcisi esse. Circumcisus enim Christus est, ut omnia peccatorum vitiorumque superflua hominem abscindere a se debere, doceret. Unde inquit *Bernardus:* « Duplex est circumcisio, quæ a nobis fieri debet, scilicet interior et exterior. Exterior in tribus consistit, scilicet: in habitu, ne sit notabilis; in actu, ne sit reprehensibilis; et in sermone, ne sit contemptibilis. Interior similiter in tribus consistit, scilicet: in cogitatione, ut sit sancta; in affectione, ut sit pura; in intentione, ut sit

Digitized by Google

recta : » hæc *Bernardus*. Debemus igitur esse circumcisi corde, a cogitationibus noxiis et immundis, a judiciis falsis et temerariis, ab intentionibus et voluntatibus iniquis, ut coram Deo pertimescamus versare in corde quod coram hominibus erubesceremus dicere vel facere ; quia quæ dicta vel facta hominibus, hæc sunt cogitationes Deo. Debemus quoque esse circumcisi lingua a verbis turpibus, detractoriis, mendosis, otiosis et superfluis; quia de omni verbo otioso etiam ignoranter prolato, sicut et de cogitatione minutissima, reddenda est ratio in die judicii. Debemus etiam esse circumcisi, omnibus sensibus et membris corporis nostri, a prohibitis et illicitis, a voluptuosis et superfluis omnibus abstinendo, et non solum a peccato, sed ab omni occasione peccati nos subtrahendo; quia nisi quis occasionem peccati vitaverit, vix peccatum declinabit.

8 Cur die octava fiebat? — Tali circumcisione omnia vitia et peccata tolluntur et excluduntur, unde et octavo die circumcisio merito fiebat, in qua et ultima resurrectio fiet, quando omnibus membris circumcisis, id est, vitiis et peccatis abscisis totus ex integro innovatus, omnique superfluitate mundatus homo ad immortalitatem resurget. Octava dies ipsa est quæ et prima. In hac enim mundus cœpit, Christus resurrexit; in hac et universalis resurrectio erit. Sex etenim sunt hujus seculi ætates, in quibus pro Deo laboribus insistere, et pro adipiscenda sempiterna requie ad tempus operari necesse est; septima ætas non in hac, sed in alia vita quiescentium usque ad tempus resurrectionis omnium; octava autem ætas ipsa est dies resurrectionis sine ullo temporis fine beata. Tunc autem non solum circumcisi, sed omnibus ab eis peccatis abscisis, mundi et immaculati æternum nomen Sancti suscipient et hereditatem. Qui ergo mala et vana cogitare, vel loqui aut facere non appetit, iste interius et exterius perfecte circumcisus est. Parum autem prodest circumcisum esse, ex parte una et non ex alia, ut enim ait *Pius* Papa : « Nihil prodest homini jejunare et orare, et alia religionis bona agere, nisi mens ab iniquitate, et ab obtrectationibus lingua prohibeatur. Nihil quidem prodest, scilicet quantum ad vitam æternam; prodest enim quantum ad temporalia. » Unde et *Beda* : « Nemo sane cum circumcisionem prædicari audierit, unius solum membri continentiam autumet imperari, quasi vel a fornicatione tantum abstinentem, vel licito matrimonio temperanter utentem, vel virginitate gloriosum existere absque aliarum virtutum adjunctione sufficiat, et non omnium potius quos corde, vel corpore gestamus sensuum castigationem præcipi. Ille itaque vera circumcisione mundatus est, qui obturat aures suas, ne audiat sanguinem, et claudit oculos suos ne videat malum ; qui custodit vias suas ne delinquat in lingua sua, et attendit sibi ne gravetur cor ejus in crapula et ebrietate; qui lavat inter innocentes manus suas, et ab omni via mala prohibet pedes suos, qui super omnia castigat corpus suum et servituti subjicit; omnique custodia servat suum cor, quoniam ex ipso vita procedit. Sed et ipsa bona actio sua quæ in abscondito est circumcisione non minus indiget, ut cum jejuno, oro, eleemosynam facio, gloriam intrinsecus quæram. Quapropter et Apostolus absconditam corde circumcisionem sedulo commendat, cui *laus non ex hominibus, sed ex Deo est* : » hæc *Beda*. Debemus ergo omne peccatum intus et

Digitized by Google

extra vitare, et ex omni parte spiritualiter circumcisi esse. Toties etiam homo circumciditur, quoties post peccatum ad pœnitentiam revertitur.

9 MORALITER OCTO ILLUMINATIONES CIRCUMCISIONEM MENTIS PRÆCEDENTES. — Hanc autem circumcisionem præcedere oportet octo spirituales illuminationes divinarum gratiarum, quæ per octo dies intelliguntur, et sic octavo die circumcisio in anima celebratur, videlicet: peccatoris ad Deum conversio, peccati recognitio, contritio, confessio, satisfactio, peccati detestatio, in futurum cautio, et ex tunc octavo sequitur impii justificatio, qua gratia infunditur, et peccatum expellitur; et in ipsa die octava, scilicet in justificatione impii celebratur circumcisio in anima pœnitentis. Quæ quidem circumcisio non est aliud quam amputatio vitiorum, quæ habet fieri in cultello pœnitentiæ. Sicut enim in circumcisione corporali fit amputatio superfluæ carnis, sic in circumcisione spirituali fit amputatio vitiorum et peccatorum, quæ sola sunt homini superflua; omnia enim alia creata in homine, sunt valde bona. Et nisi ista circumcisio fiat in anima, ipsa est filia perditionis, secundum illud Genesis: *Masculus, cujus præputii caro circumcisa non fuerit, delebitur de populo suo.* Item isti octo dies sunt octo illuminationes Spiritus septiformis in septem virtutibus principalibus, cum perseverantia finali, quæ est octava. Et quia nisi per Christum peccata non tolluntur, ipse est enim *Agnus Dei qui tollit peccata mundi;* ideo, ut dictum est, circumcisio cultris fiebat petrinis, quia *petra erat Christus.* Hæc illa Judæorum circumcisio significat, et sine hac significatione inutilis est. Et ideo Christus circumcisus est, ut circumcisionis significationem nobis commendaret. Sicut enim nobis est natus, nobis baptizatus et passus, ita et nobis, non sibi, est circumcisus. Spiritualem ergo circumcisionem significatam per corporalem habere studeamus, ut illam spiritualem, quæ in octava resurrectionis in nobis futura est, ab omni corruptione culpæ et pœnæ consequi mereamur. Tres itaque constat esse circumcisiones: una est sacramentum, scilicet circumcisio quæ est in corpore; duæ vero sunt res illius sacramenti, videlicet circumcisio a peccato, quæ quotidie est in anima; ac circumcisio a peccato et ab omni pœna peccati, quæ in resurrectione erit in anima et in corpore.

ORATIO

O Jesu clemens, qui de Virgine natus sub Lege circumcidi voluisti, circumcide, Jesu misericors, cogitationes, verba et opera servi tui, ut nihil tuæ voluntati contrarium cogitando, loquendo, operando, peragam; et in sensu Dei sit mihi cogitatus, et omnis narratio mea in præceptis Altissimi, et in operibus mandatorum tuorum dirigantur omnes actus mei. Ecce, Domine, coram te sunt: cor meum, lingua mea, sensus et membra; conantur quidem, sed per se non possunt. Fac tu quod ipsi non possunt, et perfice in bonis desiderium mei peccatoris, qui consuevisti desiderium suum dare justis. Amen.

Digitized by Google

CAPUT XI

De Epiphania Domini facta tribus Magis.

Matthæi cap. 2.

1 Manifestatio Christi ad Magos. —Tertiadecima vero die, puer Jesus manifestavit se Gentibus, id est, Magis qui erant gentiles. Prophetatum quippe, seu vaticinatum fuerat per Balaam prophetam Gentilium, quod oriretur stella ex Jacob et consurgeret homo de Israel; ubi ostenditur quod ortus novæ stellæ apparentis erat signum Christi nascentis. Isti ergo videntes novam stellam, cognoverunt per inspirationem divinam quod illa erat quæ per Balaam prædicta fuerat; et ideo statim moverunt se de locis suis, ut ad venerandum Puerum natum venirent. Isti a Balaam genus duxerant, et non minus fidei quam generis successores et hæredes erant, unde non a magica arte, sed a magnitudine scientiæ vocati sunt Magi, quasi in sapientia magni; et erant in scientia astrorum periti : quos enim Hebræi scribas, Græci philosophos, Latini sapientes, hos Persæ Magos appellant. Et ideo erant Magi, non malefici; sed sapientes primitiæ fidei nostræ : qui ideo etiam reges dicti sunt, quia illo tempore philosophi et sapientes regnare consueverunt. Unde de antiquorum temporum felicitate *Seneca* sic dicit : « Summa felicitas erat gentium, in quibus non poterat potentior esse nisi melior. Illo ergo seculo quod aureum perhibetur, officium erat imperare non regnum : parum erat regi sine arte et difficultate sibi invenire aliquod receptaculum. » Unde de quodam philosopho tunc regente statim subjungit : « Diogenes Cynicus cum vidisset puerum cava manu aquam bibentem, fregit protinus exemptum e perula calicem hac objurgatione sui : Quandiu homo stultus supervacuas sarcinas habui! Qui se complicuit in dolio, et in eo cubitavit : » hæc *Seneca*. O quantum distat inter rectores hujus temporis et illius! quia nunc omnia illis contraria : divitias, honores et delicias quærunt; et ideo in futuro forte pejus Gentibus habebunt.

2 Cur Magi ab Oriente venerunt? — *Et ecce venerunt Magi ab Oriente,* id est, a partibus quæ respectu Jerusalem et Judææ sunt versus Orientem, ut, secundum *Chrysostomum,* unde dies nascitur, inde procederet fidei initium, quia fides lumen est animarum. Et secundum *Bernardum*, merito ab Oriente veniunt, qui Solem justitiæ novum nobis ortum annuntiant, lætisque rumoribus totum mundum illuminant. Venerunt autem specialiter de finibus Persarum, Medorum, et Chaldæorum, ubi fluvius est Saba, a quo et Sabæa regio illa dicitur; juxta quam est Arabia, ubi Magi reges fuisse memorantur. Sunt autem Arabiæ duæ, una contermina et vicina Judææ et respectu Jerusalem ab Oriente, de qua videntur

Digitized by Google

Magi venisse; alia contermina Indiæ, distans a Jerusalem quasi unius anni itinere, et de hac infra tredecim dies non poterant venire. Unde *Remigius* : « Sciendum est quod aliqui solent dicere, quod Puer qui tunc natus est in tam brevi spatio temporis de ultimis finibus terræ eos ad se perducere potuit; vel si fuerunt successores Balaam, regio istorum non longe distat a terra promissionis, idcirco in tam brevi spatio temporis Jerusalem venire potuerunt : » hæc *Remigius*. Factum est autem ut visa stella quid[a] quid per eam significabatur Sancti Spiritus illustratione mox intelligeretur. Christum igitur Deum et hominem in stella quærebant, quem divina inspiratione per stellam significari intelligebant.

3 Stella a Magis visa quatuordecim modis ab aliis differt. — Ista autem stella differebat ab aliis multipliciter. Primo, in substantia : quia aliarum stellarum materia est materiæ cœlestis et quintæ essentiæ; hæc autem de substantia corruptibili fuit. — Secundo, quoad ejus principium effectivum : quia aliæ stellæ a Deo per Verbum creatæ sunt, nulla cooperante natura; sed ista ministerio Angeli a Verbo facta est. — Tertio, in duratione : quia aliæ a principio mundi sunt conditæ, et in æternum manebunt; ista Christo nato creata est, postea esse desinit. — Quarto, in situ : quia aliæ sunt in cœlo; ista autem non fuit sita in firmamento, sed in aere non longe a terra. — Quinto, in magnitudine : quia secundum *Ptolomæum*, quælibet stellarum firmamenti visibilis nobis, major est tota terra; forte ista non fuit ultra quantitatem duorum vel trium cubitorum. — Sexto, in motu : quia aliæ moventur circulariter ab Oriente in Occidentem; hæc autem ferebatur motu recto, ab Ortu in Meridiem. — Septimo, in statu : aliæ moventur motu continuo, et nunquam stant; ista autem cum Magis euntibus ibat, et cum stantibus et quiescentibus quiescebat. — Octavo, in vicissitudine apparitionis et occultationis : cum enim intraverunt Jerusalem, occultavit se; deinde ubi Herodem reliquerunt, seipsam monstravit. — Nono, in tempore : quia aliæ lucent solum de nocte; hæc vero in meridie, sole lucente, apparebat, quam lux diurna non impediebat, quia secundum *Chrysostomum*, ipsos etiam solis radios proprio fulgore superabat. — Decimo, in significatione : quia aliæ signant temporum et annorum distinctionem; ista vero significabat Creatoris nativitatem. — Undecimo, in effectu : quia aliæ habent efficaciam certam ad transmutationem istorum inferiorum; ista autem nullum habuit effectum, nisi quod notavit natum Salvatorem. — Duodecimo, in ministerio : cetera enim astra creavit Deus in ministerium cunctis Gentibus; hæc autem stella in ministerium solius Christi est edita. — Tertiodecimo, in singularitate apparitionis : quia quælibet stella apparet omnibus qui sunt in hemispherio ejus; sed ista visa est tantum tribus Magis. — Quartodecimo, in motore : quia aliæ stellæ non habent motores proprios; ista autem habuit motorem proprium, scilicet Angelum, qui nativitatem Christi pastoribus nuntiavit.

4 Tria magna in die Epiphaniæ facta. — Multa et magna hac die facta sunt per Dominum Jesum, et maxime circa ipsam Ecclesiam. Primum est, quia ipsa hodie in persona Magorum ab eo in sponsam est recepta, quia est ex Gentibus maxime congregata. Nam die natalis sui in persona pastorum Judæis apparuit, de quibus nonnisi pauci Verbum Dei receperunt; hodie vero

Digitized by Google

apparuit Gentibus quæ Ecclesiam impleverunt, quia in stellæ fulgore Dei gratia, et in tribus Magis vocatio Gentium præcessit; ipsi enim Magi primitiæ Gentium fuerunt, et Gentes in Christum crediturus signaverunt; unde festum hodiernum proprie est festum Ecclesiæ, et fidelium Christianorum. — Secundum est, quia Ecclesia hodie sancta est ab eo desponsata, et eidem per Baptismum vere conjuncta, quem tali die anno suo XXX recipere dignatus est. Et ideo lætanter cantatur : *Hodie cœlesti Sponso juncta est Ecclesia, quoniam in Jordane lavit Christus ejus crimina.* Nam in Baptismo desponsatur anima Christo, qui virtutem sumpsit a Baptismo suo; et ideo animarum baptizatarum congregatio vocatur Ecclesia. — Tertium est, quia tali die, scilicet anno revoluto post Baptismum, fecit ad nuptias primum miraculum, quod etiam ad Ecclesiam, et spirituales nuptias adaptari potest, prout infra suo loco apparebit. His ergo, ut cantat Ecclesia, *tribus miraculis ornatum sanctum diem colimus.* Unde, ut dicit *Maximus* episcopus : « In antiquioribus libris dies illa dicitur pluraliter dies Epiphaniarum, id est, plurium illustrationum Christi; Epiphanes enim *illustrationem* sonat. Has tamen tres manifestationes propriis quidem nominibus distinguunt : *Epiphaniam* vocantes eam, quæ per stellam est, quasi desursum facta; *Theophaniam* eam, quæ in Baptismo quasi a Deo, id est, a Patre factam; *Bethphaniam* eam, quæ in nuptiis quasi in domo factam : Beth enim *domum* sonat. Recteque tria hæc in uno die acta nobis mysteria prædicantur, qui Trinitatis ineffabilis arcanum uno Dei sub nomine confitemur : » hæc *Maximus.* Insuper, secundum *Origenem,* et jam hac die pavit quatuor millia hominum de septem panibus, et paucis pisciculis. Vides itaque quam venerabilis est dies ista quam Dominus elegit, ad tot mirifica et magnifica facienda. Considerans ergo Ecclesia tot magna beneficia hodie sibi a Sponso exhibita, grata existere volens exsultat, jucundatur, et jubilat, ac diem hanc magnifice solemnizat. Dicamus itaque nunc de primo, quia de aliis dicendum erit infra ordine suo.

5 De itinere Magorum. — *Cum ergo,* secundum prophetiam Michææ, *natus esset Jesus in Bethlehem Judæ,* quæ est in tribu Juda, quod dicitur ad distinctionem alterius Bethlehem, quæ est in Galilæa, in tribu Zabulon, *in diebus Herodis regis,* scilicet anno regni sui XXX, per quod ostenditur tempus præfinitum Christi nascentis; prophetaverat enim patriarcha Jacob illo tempore Christum fore nasciturum, quando deficeret sceptrum, sive rex et dux de populo Judæorum : et hoc impletum est in Herode Ascalonita, qui fuit Idumæus, et primus regnavit alienigena. *Ecce Magi,* et gentiles universam Ecclesiam futuram ex Gentibus repræsentantes, a partibus orientalibus, *venerunt Jerosolymam,* civitatem regiam, ibidem de Christo nato inquirentes et dicentes : *Ubi est qui natus est rex Judæorum?* Ecce ergo titulus a Magis hic nuntiatus, a Judæis reprobatus ibi : *Noli scribere rex Judæorum,* a Scriptura confirmatus ibi : *Quod scripsi scripsi.* — *Vidimus enim in Oriente stellam ejus,* scilicet propriam, quia hanc creavit ad sui ostensionem; *et venimus,* personaliter, *adorare,* humiliter, *eum,* singulariter. Veniunt pastores ut certificentur, ut supra; veniunt reges ut venerentur, ut hic; veniunt senes ut gratulentur, ut infra. Primum pertinet ad prælatos; secundum ad activos; tertium ad contemplativos. Primi vident et

Digitized by Google

prædicant; secundi venerantur et adorant; tertii amplexantur et tenent. Secundum quosdam, Magis Judæam intrantibus, stella disparuit, ut amittentes itineris ducem, necesse haberent recurrere ad civitatem regiam, scilicet Jerusalem, et ibidem inquirere de rege nato. Secundum vero alios, cum Magi Jerusalem ad quærendum de Puero ingressi fuissent, stellæ ducatum amiserunt, quoniam auxilium humanum requirentes juste perdere divinum meruerunt, quia recte divino deseruntur auxilio, qui humanum præponunt divino. Et potest stella ista illuminatio gratiæ intelligi, quia dum boni a malis consilium quærunt, veram illuminationem amittunt.

6 DISPARITIO STELLÆ PROPTER QUATUOR RATIONES. — Sed sive ante ingressum in Jerusalem, sive post ingressum disparuit. Factum est hoc a Deo pluribus de causis. Prima, propter ipsos Magos, ut qui prius fuerant commoniti cœlesti signo, confirmarentur etiam dicto prophetico ex doctorum ibi residentium responso. — Secunda, propter Christum, ut ejus nativitas in civitate regia publicaretur, et prophetia de loco nativitatis Christi impleta monstraretur. — Tertia, ut studio Magorum, damnaretur pigritia Judæorum, qui Gentibus sollicite Christum quærentibus, ipsi in nullo moti sunt ad quærendum. — Quarta, ut Judæi Christum non recipientes, inexcusabiles de adventus ejus notitia remanerent, cum Magi Judæis tempus, et Judæi Magis locum nativitatis ostenderent. Per hoc etiam figurabatur quod fides Christi erat a Gentibus devote recipienda, et a Judæis pro majori parte in infidelitate remanentibus refutanda. Isti Magi fixi fuerunt in timore Christi et fide firmati, quia non obstante quod scirent juxta edictum imperiale, capitali sententia puniendum esse quicumque regem alium quam subjectum Romano imperio nominaret, Christum tamen intrepidi sunt confessi. Unde *Chrysostomus* : « Sed numquid nesciebant, quod in Jerusalem regnabat Herodes? Numquid non intelligebant, quod quicumque, rege vivente, alterum regem pronuntiat aut adorat, punitur in sanguine? Sed dum considerabant regem futurum, non timebant præsentem; adhuc non viderant Christum, et jam parati erant mori pro Christo. O beati Magi qui ante conspectum crudelissimi regis priusquam Christum viderent, Christi facti sunt confessores! » hæc *Chrysostomus*.

7 HERODIS TIMOR, ET TURBATIO JERUSALEM. — *Audiens autem Herodes rex,* talia de Puero nato, *turbatus est,* timens ne regnaturus esset pro eo, se tanquam alienigena destituto. Ubi *Augustinus* : « Quid erit tribunal judicantis, quando superbos reges cuna terrebat infantis? Timeant nunc reges ad Patris dexteram jam sedentem, quem rex impius timuit adhuc matris ubera lambentem. » Et non solum turbatus est ipse, sed *et omnis Jerosolyma cum illo,* novitate miraculi percussa, et favere volens Herodi, quem timebat, quia sibi subjecta. Sæpe enim populus plus eis injuste favet quos crudeles sustinet : unde rex injustus omnes ministros habet impios et adulatores. » Secundum ergo *Chrysostomum,* turbatur *omnis Jerosolyma cum illo,* vel causa adulationis, vel timoris. Turbantur etiam ille et isti, quia de adventu justi non possunt gaudere iniqui. Vel accipiendo hic partem pro toto, *omnis Jerosolyma* intelligitur illa pars, quæ sibi favebat; sic communiter dicitur quando majores civitatis aliquid faciunt, quod tota civitas illud facit; sic in proposito, qui erant ibidem

Digitized by Google

majores, et in regalibus officiis assistentes, illi cum rege turbati sunt. *Et congregans omnes principes sacerdotum et scribas populi,* sapientes Judæorum, *sciscitabatur ab eis ubi Christus nasceretur.* Quia enim volebat Christum perdere, ideo studuit de loco nativitatis Christi diligenter inquirere ab illis qui Scripturas Prophetarum prædictas de Christo noverant, et genealogias descendentes a David sciebant. *At illi dixerunt ei,* quod *in Bethlehem Judæ,* id est, quæ sita est in terra Juda, prout scribitur in Michæa. Secundum *Augustinum,* Judæi in hoc facto, quo docent alios locum nativitatis, et tamen ipsi non vadunt, similes sunt fabricatoribus arcæ Noe, qui aliis ubi evaderent præstiterunt, et ipsi diluvio perierunt. Similes etiam sunt lapidibus milliarium, qui aliis viam indicant, nec ipsi per eam ambulant. De quibus etiam dicit ibidem *Augustinus,* quod ostenso aliis vitæ fonte ipsi sunt mortui siccitate. Per scribas autem et sacerdotes qui locum nativitatis Christi ex prophetia declaraverunt, et tamen ipsum Christum non adoraverunt, sed magis persecuti sunt, signantur doctores bonæ doctrinæ, sed malæ vitæ, qui quem prædicant sana doctrina, persequuntur mala vita.

8 Simulatio Herodis. — *Tunc Herodes, clam* et occulte *vocatis* ad se *Magis, didicit ab eis tempus stellæ quæ apparuit eis.* Cognito enim loco nativitatis Christi ex Judæorum responsis, voluit scire tempus nativitatis ab ipsis Magis, ut si ad ipsum redirent, ex temporis et loci cognitione posset Christum interficere : et cum esset alienigena, non confidebat de Judæis, et ideo voluit consilium suum latere eos. *Et mittens illos in Bethlehem dixit,* dolose, et eos volens decipere : *Ite et interrogate diligenter de Puero,* nato, *et cum inveneritis renuntiate mihi, ut et ego veniens adorem eum ;* spondet falsum obsequium ut facilius eos decipiat, et ad redeundum per ipsum inducat. Falsa quippe fuit Herodis promissio, quia, secundum *Chrysostomum,* devotionem promittebat, sed gladium acuebat et malitiam cordis sui humilitatis colore depingebat. Talis est consuetudo omnium malignorum, quando aliquem in occulto gravius lædere volunt, humilitatem illi et amicitiam fingunt. Et secundum *Rabanum,* finxit Herodes, tam vultu quam verbis se adorare eum velle, quem invida cogitatione tractabat occidere, et hoc, ut vel ad ipsum Magi alacrius redirent, et ne Judæi, quorum rex erat futurus, ab eo ipsum absconderent : cujus personam omnes hypocritæ tenent, qui dum ficte Deum quærunt, invenire illum nunquam merentur. Et sicut Herodes sub specie religionis voluit occidere Christum, sic hypocritæ, quantum in eis est, occidunt eum, secundum illud Apostoli : *Rursum crucifigentes in semetipsis Filium Dei.* Nam, secundum *Gregorium,* simulata sanctitas est duplex iniquitas; et secundum *Chrysostomum,* Herodi similes esse probantur, qui sacra communione mysterii indigne abutuntur. Adorare quippe se fingunt, et eum, quantum in ipsis est, interimunt, juxta illud Apostoli : *Qui enim manducat et bibit indigne, reus erit corporis et sanguinis Domini.*

9 Stellæ reapparitio. — *Cum autem* Magi *audissent regem,* Herodem, nihil mali suspicantes, *abierunt* recedentes, scilicet de Jerusalem, ut irent versus Bethlehem, edocti de hoc per prophetiam. *Et* cum Jerusalem egressi fuissent, *ecce stella quam viderant in Oriente,* quæ disparuerat, iterum eis apparuit, quia auxilium deserentes

Digitized by Google

humanum, meruerunt recuperare divinum. In ipso autem loco, quo eis reapparuit stella, facta est in memoriam hujus Ecclesia. Deinde, *antecedebat eos,* et viam ostendebat, *usquedum veniens staret supra,* locum et vicina domui, *ubi erat Puer.* Stabat quasi supra caput Pueri, ut quasi innueret et diceret : Hic est qui natus est Rex quem testabar, ut quem loquendo monstrare non poterat, testando monstraret. Et sic, stella duce, cum magno gaudio ad tugurium, in quo Dominus Jesus natus est, pervenerunt. Ambiguum est quod istorum fuerit, scilicet an Magi in Oriente positi viderint stellam super Judæam existentem immobilem, vel viderint stellam in Oriente existere, quæ eos perduxit in Judæam. Potuit enim nasci in Oriente, et eos præcedendo in Jerusalem perducere, ut sentit *Chrysostomus,* et tenetur communius. *Fulgentius* tamen videtur velle, quod eam primo viderint immobilem super Judæam, quæ dedit eis signum veniendi in Judæam; qui Jerusalem tanquam caput Judææ adierunt, et ipsis egressis, tunc motu notabili eos præcessit, quæ, peracto officio suo, in præjacentem materiam reversa est.

10 Magi domum intrant. — *Et intrantes,* Magis scilice, *domum,* diversorium, *invenerunt Puerum cum Maria, Matre ejus,* forte tunc sedente et tenente super genua Puerum; et valde gavisi sunt, quia a desiderio suo fraudati non sunt, nec inaniter laboraverunt. Unde *Chrysostomus :* « Propterea gratulati sunt, quoniam quod quæsitum est desideratumque repererant, quoniam effecti fuerant nuntii veritatis, et quia non frustrata longæ viæ confecerant spatia, tam ardenti quippe erga Christum cupiditate flagrabant. » Felix Maria : nam Jesus sine Maria non nascitur, quia ipsa ministra Incarnationis; sine Maria non invenitur, quia ipsa famula educationis; sine Maria non crucifigitur, quia ipsa socia passionis. Joseph autem, secundum *Chrysostomum,* idcirco tacetur, quia nullum ibi de officiis ad nutricium pertinentibus commemoratur. Vel, secundum *Hilarium,* et *Rabanum,* divina dispensatione actum est, ut illa hora absens esset, ne pater ejus crederetur, vel aliqua suspicionis occasio daretur Gentibus, quod Deus non esset, qui primitias suas, statim nato Salvatore, ad eum adorandum miserunt.

11 Quam meritoria fuit Magorum adoratio. — Ingressi itaque, *et procidentes* tam mente quam corpore, genua flectunt puero Jesu humiliter, et adorant in carne Deum verum, adoratione scilicet latriæ, reverenter. Honorant ut regem, et adorant ut Deum; vident enim hominem et agnoscunt Deum : procidunt in signum humilitatis, sine qua nullus vere adorat, quia omnis adorator omnem fastum, et confidentiam sui deponere debet, ut quam corpore dejectionem præfert in oculis Dei, animo gerat, contritique cordis et humiliati victimam offerens Deo se curandum committat. Quanta tunc exsultatio tibi fuit, o Virgo beatissima, quis cogitare valeat, quando eum quem nuper genueras, tum quasi Deum adorare videbas? O quam magna fuit horum Magorum fides! Quid enim erat credere? Quod ille Puerulus sic viliter indutus cum pauperecula Matre, et in loco sic abjecto, sine societate, sine familia, sine omni ornatu, inventus esset rex et verus Deus; et tamen utrumque crediderunt. Parvulum enim non adorassent et honorassent, si parvulum tantummodo credidis-

Digitized by Google

sent. Tales duces, et talia primitiva nos habere oportebat. Ex quo patet quod cognoverunt Christi divinitatem per divinam revelationem. Cum enim viderent Puerum pannis vilibus involutum gremio pauperis Matris positum, nullum regiæ divinitatis habentem signum, non est verisimile quod talem reverentiam ei exhibuissent, nisi in quo aliquid supra hominem cognovissent. Unde *Bernardus :* « Adorant Magi, et offerunt munera adhuc lactanti Matris ubera. Sed ubi est, o Magi, ubi est purpura regis hujus? Numquid viles panni isti quibus involutus? Si rex est, diadema ubi est? Sed vos eum vere videtis in *diademate quo coronavit eum Mater sua,* in sacco nostræ mortalitatis, de quo consurgens, ait : *Conscidisti saccum meum, et circumdedisti me lætitia.* » Et iterum : « Sed unde vobis hoc, o alienigenæ, ut a vobis adoretur Christus? Neque enim in Israel tantam fidem invenimus. Sic vos non offendit vilis habitatio stabuli, non pauperes cunæ præsepii. Non vos pauperis Matris præsentia, non lactantis scandalizat infantia. Quid facitis, Magi, quid facitis? Lactantem Puerum adoratis in tugurio vili, in vilibus pannis! Ergone Deus est iste? *Deus* certe *in templo sancto suo, Deus in cœlo sedes ejus,* et vos eum quæritis in vili stabulo, in Matris gremio! Quid facitis, quod et aurum offertis? Ergo rex est ipse? Et ubi aula regia, ubi thronus, ubi curiæ regalis frequentia? Numquid aula est stabulum, thronus præsepium, curiæ frequentia Joseph et Maria? Quomodo ita insipientes facti sunt viri sapientes, ut adorent Parvulum despicabilem, tam sua ætate quam paupertate suorum? Insipientes facti sunt, ut fierent sapientes, et prædocuit eos Spiritus quod postea prædicavit Apostolus : *Qui vult esse sapiens, fiat stultus ut sapiens sit.* Nonne timendum erat, ne scandalizarentur viri isti, et illusos se crederent, cum tanta indigna viderent? A regia civitate ubi regem quærendum conjectabantur, ad Bethlehem villam parvulam diriguntur; ingrediuntur in stabulum; inveniunt involutum pannis Infantulum. Non illis sordet stabulum, non offenduntur pannis, non scandalizantur lactantis infantia; procidunt ante eum, venerantur ut regem, adorant ut Deum. Sed profecto qui illos adduxit, ipse et instruxit; et qui per stellam foris admonuit, ipse in occulto cordis intus edocuit : » hæc *Bernardus.* Et *Augustinus :* « Non sub pollice sella regalis, non de membris purpura, non in capite diadema fulgebat, non pompa famulantium, non terror exercitus, non gloriosior fama præliorum hos ad eum viros ex remotis cum tanto voto supplices attraxerat. Jacebat in præsepio Puer ortu recens, exiguus corpore, contemptibilis paupertate. Sed magnum aliquid latebat in Puero, quod illi homines, non terra portante, sed cœlo narrante, didicerant. » Unde et *Chrysostomus :* « *Et intrantes domum invenerunt Puerum cum Maria, Matre ejus,* Matre, inquam ejus, non diademate coronata, non auro refulgente, aut in lecto aureo recumbente, sed vix tunicam unam habente, non ad ornamentum corporis, sed ad tegumentum nuditatis, qualem habere poterat carpentarii uxor peregre constituta. Si ergo regem terrenum quærentes venissent, magis fuissent confusi quam gavisi, quia tanti itineris laborem sine causa suscepissent. Nunc autem

Digitized by Google

quia cœlestem regem quærebant, etsi nihil regale videbant in eo, tamen, solius stellæ testimonio contenti, gaudebant oculi eorum contemptibilem Puerum aspicere, quia spiritus in corde eorum terribilem eum monstrabat. » Unde et *Leo* Papa : « Nec immerito cum tres ad adorandum Puerum novi sideris claritas deduxisset, non eum imperantem dæmonibus, non mortuos suscitantem, non cæcis visum, aut claudis gressum, aut mutis eloquium reformantem, vel in aliqua divinarum virtutum actione viderunt, sed Puerum silentem, quietum, sub Matris sollicitudine constitutum. In quo nullum quidem apparet de potestate signum, sed magnum præbetur de humilitate miraculum. Tota enim vita Salvatoris, quæ et diabolum superavit et mundum, humilitate est concepta, humilitate est confecta. Dispositos dies sub persecutione finivit. Nec Puero tolerantia passionis, nec passuro defuit mansuetudo puerilis : unde tota Christianæ sapientiæ disciplina, non in abundantia verbi, non in astutia disputandi, neque in appetitu laudis et gloriæ, sed in vera et voluntaria humilitate consistit, quam Dominus Jesus ab utero Matris, usque ad supplicium crucis pro omni fortitudine, et elegit et docuit : » hæc *Leo* Papa. Ut ergo possis et tu diabolum et mundum vincere, coneris, pro viribus, humilitatis ac patientiæ virtutes exemplo Christi servare, quia his munitus poteris faciliter adversarios et inimicos tam visibiles, quam invisibiles, superare.

12 QUÆ MUNERA OFFERUNT. — Et Magi, invento Puero, aperuerunt thesauros suos, in quo moraliter informamur, ut thesauros nostros in via non pandamus, donec præteritis hostibus soli Deo ex occultis cordium offeramus. Et *obtulerunt* singuli puero Jesu, *aurum, thus et myrrham.* Traditio fuit antiquorum, ut nullus ad Deum, vel ad regem, veniret vacuus, et sine muneribus. Arabes autem auro et diversis generibus aromatum abundant, et talia munera offerre consueverunt, et ideo Magi ista obtulerunt. Et licet morem suæ gentis in donis offerendis sequerentur, hoc tamen divina inspiratione est factum, ut aliquid mysterii muneribus demonstrarent, et fidem suam mysticis rebus profiterentur : tum scilicet Trinitatis fidem et mysterium revelantes, et in Christo Trinitatem adorantes; tum eum Regem et Dominum Deum, sed mortalem significantes; et Christi regiam potestatem, ac divinam majestatem et humanam mortalitatem venerantes. Hæc enim tria Magi de Christo cognoverunt, ut supra dixerunt : *Ubi est qui natus est,* ecce humanitas, *rex Judæorum,* ecce regia potestas, *venimus adorare eum,* ecce divinitas. Significatur enim in Christo regia potestas per aurum, quod regi solvitur in tributum, nam aurum propter sui nobilitatem munus est regale, et ideo ostendit Puerum regem esse, et se illud decere. Signatur vero divina majestas per thus, quod Deo offertur in sacrificium, et ideo ostendit Puerum esse Deum, quod etiam erat oblatio sacerdotalis, et Puer ille erat sacerdos, cui nullus unquam fuit æqualis. Signatur quoque humana mortalitas per myrrham, qua condiri solent corpora mortuorum, et Christus, rex et sacerdos, voluit mori pro salute omnium. Unde *Augustinus :* « Aurum ergo solvitur quasi regi magno, thus immolatur ut Deo, myrrha præbetur tanquam pro salute omnium morituro. Unusquisque autem eorum prædicta tria

Digitized by Google

obtulit, quia, ut dictum est, mysterio congruit. Nullus enim vere Christianus dicitur, qui non Christum et Deum, et regem, et passum confiteatur, quod illis tribus muneribus significatur. » Unde et *Remigius* : « Isti Magi non singuli singula obtulerunt, sed singuli tria, et singuli eum suis muneribus regem Deum et hominem prædicaverunt : » hæc *Remigius*. Hos omnis vere Christianus imitatur, qui Christum verum Deum esse, regem et passum confitetur. Offeramus ergo ei aurum, ut eum omnium regem esse, et ubique regnare credamus; thus, ut Deum verum et creatorem omnium esse confiteamur; myrrham, ut sic illum Deum esse credamus, quem hominem, et mortalem propter nos factum esse non dubitemus. Omnia enim hæc sancta fides veraciter Christo offerre non desinit, dum unum eumdemque Deum verum, verumque hominem credit, et vere pro nobis mortuum veraciter recognoscit. Habemus itaque, secundum *Hilarium*, in his non modicam sacramentorum cognitionem, in homine mortis, in Deo resurrectionis, in rege judicii. Et ego, Domine Jesu, in extremo vestigio servorum tuorum, adoro te sedentem in gloria Dei Patris, ubique regnantem, et offero tibi splendorem fidei, qua te credo Regem omnium seculorum, Deum de Deo, et hominem de Virgine, mortuum pro peccatis nostris. Secundum *Bernardum*, obtulerunt auri pretium ob paupertatem, scilicet ad pauperis Matris et Filii sustentationem; thuris ad ornamentum, ob sordidam stabuli mansionem, et contra loci fœtorem; myrrhæ unguentum ob Infantuli, ut assolet, corporis teneritudinem, et debilium membrorum Pueri consolidationem.

13 MORALITER, TRIA MUNERA IN NOBIS DEO GRATA IPSIQUE OFFERENDA. — Quia ergo obtulimus Christo sua, offeramus ei et nostra. Quia enim regem, et Deum, et hominem eum esse credimus, suum est : nostra vero sunt quæ nobis a Deo donata sunt. Sunt enim in nobis tria munera Deo placentia, et hæc offeramus. Primum est, anima nostra, quæ notatur per aurum; quia sicut auro nihil nobilius est, vel pretiosius aut pulchrius, sic nihil nobilius vel pretiosius aut pulchrius, quam anima coram Deo reputatur. Secundum est, corpus nostrum, quod per myrrham designatur; myrrha enim est amara, et corpus est amaricandum per castigationes et passiones. Tertium est, conversatio sancta et honesta in utroque, scilicet in corpore et anima, et hoc designatur in thure; thus autem non redolet nisi in igne cremetur, sic conversatio nostra non reddit odorem Deo, nisi cremetur igne tribulationis. Debemus etiam offerre Christo aurum dilectionis, eo quod pro nostra salute subiit pœnam passionis; ac thus devotæ laudis, per gratiarum actionem; myrrham compassionis, per mortis ejus recordationem. Habet etiam Ecclesia moraliter aurum, in perfecta sapientia, et doctrina, ac recta fide; thus, in devota oratione vel bona cogitatione, ac sancta ac bene Deo redolente conversatione; myrrham in pœnitentiæ amaritudine et carnis mortificatione, ac bona operatione. Aurum ergo offerunt doctores, thus martyres et confessores, myrrham jam pœnitentes peccatores. Omnis enim oblatio in his tribus muneribus continetur. Talia ergo munera Magi obtulerunt, in quibus fidei veritatem et totam ecclesiasticam disciplinam significaverunt. Unde ait *Bernardus* : « Aurum offerimus Salvatori, cum pro nomine ipsius ex integro derelinquimus substan-

Digitized by Google

tiam hujus mundi. Jam vero necesse est, ut qui terrena contempsimus, flagranti desiderio cœlestia requiramus. Sic enim offerimus thuris odoramentum, quo nimirum designantur orationes Sanctorum. Oportet et jam, non solum ut præsens seculum contemnas, sed et carnem ipsam castiges ac servituti subjicias. Duas igitur alas habeat oratio, et contemptum mundi, et afflictionem cordis; nec dubium quin cœlos penetret, et in conspectum Dei sicut incensum dirigatur, in qua cum auro et thure myrrha quoque ei offertur : » hæc *Bernardus*.

14 MUNERA MAGORUM TRIUM TRIA DE TRIBUS. — Sic ergo Magi Christum honoraverunt de substantia triplici, scilicet : corporali, quia prociderunt; spirituali, quia adoraverunt; temporali, quia munera obtulerunt. Plus quippe non habet homo, nisi corpus, animam, et temporalia. Bene autem tres Magi fuisse dicuntur, quia qui ad fidem veniunt, individuam Trinitatem confiteri debent; sive quia qui Deum adorant, tres principales virtutes, scilicet : fidem, spem, et charitatem debent habere; sive quia qui Deum videre desiderant, cogitationem, locutionem et operationem, seu memoriam, intellectum et voluntatem debent a malis observare, et in bonis occupare. Unde, secundum *Gregorium*, sancti viri pene reges vocantur, quia cunctis motibus carnis non consentiendo succumbere, sed bene regendo, præesse noverunt. Unde et secundum *Isidorum*, reges a recte regendo vocantur : et ideo recte faciendo regis nomen tenetur, peccando amittitur : et hi veniunt et recedunt ab Oriente, per quod intelligitur prosperitas humana, quæ est triplex, scilicet divitiarum, deliciarum, et honorum.

15 MYSTICE, QUID SIT MAGORUM STELLA? — Per stellam autem quæ Magis apparuit, significari potest Virgo Maria, quæ interpretatur *maris stella*. Hæc autem stella apparet Magis, seu regibus, condescendendo sibi devotis, seque bene regentibus; et eos per hujus mundi mare turbulentum navigantes dirigit ad portum salutis, qui est Christus; et ipsum invenientes, venerantur, munera ei offerentes, scilicet aurum charitatis, et thus devotæ orationis, ac myrrham mortificationis carnis. Eodem autem die cum Christus in Judæa esset natus, ortus ejus Magis in Oriente est nuntiatus. Videbant namque stellam novam, in qua puer apparebat, supra cujus caput crux aurea splendebat; audierunt vocem sibi dicentem : Ite in Judæam, et invenietis ibi natum novum regem. Igitur in Judæam festinaverunt, et audacter eam intrantes, Regi cœli nato munera obtulerunt.

16 FIGURÆ MAGORUM. — Hi ergo tres Magi per tres robustos præfigurati fuerunt, qui regi David aquam de cisterna Bethlehem attulerunt. Tres robusti exercitum inimicorum non timentes, sed viriliter castra eorum transeuntes, aquam hauserunt; sic tres Magi potentiam Herodis non formidantes, sed audacter Judæam intrantes, de novo rege interrogaverunt. Tres robusti perrexerunt in Bethlehem pro aqua cisternæ, quam hauserunt de cisterna terrestri; tres Magi venerunt in Bethlehem pro aqua gratiæ æternæ, quam susceperunt de pincerna cœlesti. Figurabat ergo illa Bethlehemitica cisterna quod in Bethlehem nasciturus erat cœlestis pincerna, qui propinaret aquam gratiæ omni sitienti, et daret aquam vitæ non habenti. Figura hujus novi regis et hujus novæ oblationis, præmonstrata fuit in

Digitized by Google

regno Salomonis. Salomon residebat in throno de ebore candidissimo, qui vestitus erat auro purissimo. Universi reges terræ regem Salomonem videre cupiebant, et ei munera pretiosissima apportabant. Sed et regina Saba talia et tanta munera ei offerebat, quanta et qualia in Jerusalem visa non erant. Thronus vero Salomonis est Beata Virgo Maria, in quo residebat Jesus Christus vera sapientia; hic thronus factus de ebore candido et auro puro. Ebur propter sui candorem et frigiditatem, designat virginalis munditiæ castitatem, sed ebur antiquum in ruborem vertitur : sic longa castitas martyrium reputatur. Aurum, quia in valore præcellit omne metallum, significat charitatem, quæ est mater omnium virtutum. Maria ergo dicitur eburnea, propter virginalem castitatem; et auro vestita, propter perfectissimam charitatem; et pulchre virginitati conjungitur charitas, quia sine charitate coram Deo nihil reputatur virginitas. Thronus Salomonis super sex gradus erat exaltatus, et Maria superexcellit Beatorum sex status, scilicet : Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, Confessorum, et Virginum. Duodecim leunculi super sex gradus thronum exornabant, quia duodecim Apostoli Mariæ tanquam Reginæ cœli ministrabant, vel quia duodecim Patriarchæ progenitores Mariæ erant. Summitas throni erat rotunda, quia Maria erat sine angulo sordium et tota munda. Duæ manus sedile hinc inde tenebant, quia Pater et Spiritus a Matre Filii nunquam recedebant.

17 MAGORUM REVERSIO. — Tandem Magi reverenter ac devote pedes Pueri deosculati sunt, et adorato Domino, omnique obsequio peracto, et devotione completa, ac benedictione accepta, inclinantes se cum magno gaudio, recesserunt. Qui cum de reditu deliberassent, responsum acceperunt in somnis per divinam revelationem, *ne ad Herodem redirent*, quia, cognita veritate, non licet retroire. Per hoc etiam admonemur, quod cum malis hominibus societatem aliquam non contrahamus, et cognitos errores vitemus. Unde *Seneca* : « Non est levitas a cognito errore discedere, non est turpe cum re mutare consilium. » Quia ergo intus in conscientia quærebant quid vellet divina voluntas de reversione ad Herodem, sicut enim Moyses tacens clamabat, sic isti pio affectu interrogabant quid divina voluntas juberet; ideo Dei meruerunt responsionem, scilicet internam, vel Angeli ministerio factam. Et descendentes ad mare, per navem transfretantes, in Tharsis Ciliciæ abierunt, et sic *per aliam viam in regionem suam reversi sunt*, quia, secundum *Hieronymum*, infidelitati miscendi non erant Judæorum. Propter quod factum Herodes iratus, postea naves Tharsensium incendit, secundum prophetiam David dicentis : *In spiritu vehementi conteres naves Tharsis.* Unde *Chrysostomus* : « Intuere autem Magorum fidem, qualiter non scandalizati sunt in seipsis dicentes : Si magnus est Puer hic, quæ necessitas fugæ et occultæ recessionis? Hoc enim est veræ fidei, non quærere causas eorum quæ vere præcipiuntur, sed suaderi solum ab eis : » hæc *Chrysostomus.*

18 VITÆ MUTANDÆ RATIONEM INNUUNT PER ALIAM VIAM REVERTENDO. — In hoc ergo forma datur credentibus, ut devoti ad Deum veniant, et in omnibus operibus suis quid jubeat attendant, scilicet ne ad diabolum redeant, sed per Christum, qui est *via, veritas et vita,*

Digitized by Google

et per semitas virtutum ad patriam revertantur. Hic itaque admonemur omnem salutem et spem in Christo locare, et ab itinere prioris vitæ abstinere, et per aliud iter incedere. Unde *Augustinus* : « Non qua venimus via redeamus, nec prioris nostræ conversationis vestigia repetamus : via mutata est. » Unde et *Gregorius* : « Magnum vero nobis aliquid Magi innuunt, quod in regionem suam per viam aliam revertuntur. Regio quippe nostra paradisus est, ad quam, Jesu cognito, redire per viam qua venimus, prohibemur. A regione etenim nostra superbiendo, inobediendo, visibilia sequendo, cibum vetitum gustando discessimus; sed ad eam necesse est ut flendo, obediendo, visibilia contemnendo, atque appetitum carnis refrenando, redeamus. Per aliam ergo viam in regionem nostram regredimur, quoniam qui a paradisi gaudiis per delectamenta discessimus, ad hæc per lamenta revocamur : » hæc *Gregorius*. Ad hoc etiam significandum quod per aliam viam in regionem nostram redire debeamus, Dominus Papa in processionibus redit per aliam viam, ab ea per quam est egressus. — Magi vero reversi studiose plus quam prius Deum colentes glorificaverunt, et prædicantes multos erudierunt.

19 Aurum Mariæ datum egentibus, unde paupertatis præconium. — Pie autem credi potest, quod Domina paupertatis amatrix, zelans fortiter pro paupertate, et intelligens Filii sui voluntatem, totum aurum infra paucos dies pauperibus erogavit. Unde quando intravit templum, non habuit de quo agnum emeret, quem offerret pro Filio, sed emit turtures vel columbas, quæ erat pauperum oblatio. Vides hæc præconia paupertatis in duobus : primo, quia hodie puer Jesus eleemosynam accepit ut pauper, et Mater sua similiter; secundo, quia non solum non procurabat acquirere, sed etiam quæ dabantur nolebat retinere. Increscebat desiderium paupertatis; si autem bene attendisti, et profunditas crevit humilitatis. Sunt etiam qui se viles et abjectos in animo suo reputant, et in oculis suis non extolluntur; sed sic esse nolunt in oculis aliorum. Non sic puer Jesus Dominus omnium; etiam aliis suos defectus et vilia patere voluit, et non parvis et paucis, sed regibus et eorum sociis, quos in comitatu suo adduxerant, et in tali casu et tempore, in quo multum timendum erat. Nam cum illi venirent, ut regem Judæorum, quem etiam Deum esse credebant, invenirent, dubitare poterant, ne talibus de ipso visis, reputantes se delusos, sine fide et devotione recederent. Sed nec propterea dimisit humilitatis amator, dans nobis exemplum, ne sub specie alicujus apparentis boni recedamus ab humilitate, et quod discamus etiam in aliorum oculis viles et abjecti velle apparere.

20 Pia contemplatio Mariæ in præsepio. — Expeditis igitur Magis, et versus patriam suam regressis, adhuc stat Domina mundi cum puero suo Jesu, et nutritio ejus Joseph apud præsepe, in illo locello patienter et humiliter usque ad quadragesimum diem, ac si quævis mulier alia de populo, et puer Jesus homo purus esset, et ipsi Legis observatione indigerent. Stabat igitur Domina vigilans, et attenta super dilecti Filii sui custodia. O cum quanta sollicitudine et diligentia ipsum gubernabat, ne vel in minimo defectum haberet! Cum quanta etiam reverentia, cautela, et pio timore ipsum contrectabat, quem suum Deum et Dominum esse sciebat! Flexis quidem genibus, accipiebat

Digitized by Google

ipsum de cunis, et reponebat in eis. Cum quanta etiam jucunditate, confidentia et auctoritate materna ipsum amplexabatur, et osculabatur, stringebat dulciter, et in eo delectabatur, quem Filium suum cernebat, et certissime sciebat! Quam sæpe, quam curiose et prudenter tenella membra ipsius fascians componebat! Sicut enim fuit humillima, sic fuit et prudentissima. Unde in singulis officiis et obsequiis sedule ministrabat, vigilanti et dormienti, non solum infantulo, sed etiam grandævo. O quam libenter eum lactabat! Vix fieri potuit quin magnam et aliis feminis inexpertam dulcedinem in talis Filii lactatione sentiret! Ipsa Virgo Infantem hunc concepit sine pudore, peperit sine dolore, lactavit cœlesti rore. Virgo ante partum, in conceptione; Virgo in partu, in prolis enixione; et Virgo post partum, in Pueri dulcissima lactatione. Unde *Augustinus* ipsam Virginem matrem dulciter alloquens, ait : « Lacta, Mater, Christum, et Dominum nostrum et tuum; lacta panem de cœlo venientem; lacta eum qui talem fecit te, ut ipse fieret in te. Tibi et munus fecunditatis attulit conceptus, et donum virginitatis non abstulit natus. » Unde *Anselmus :* « Verum dum hunc Parvulum inter manus suas versari, et ad ubera sua pendere, atque ad parvas Pueri corporis læsiones parvulorum more vagire conspiceret, quo, precor, affectu movebatur piissimus animus ejus, quove studio ad occurrendum cunctis quæ incommoda illi fore timebat, parabatur castissimum corpus ejus? » Sed et de sancto sene Joseph refert *Bernardus,* quod puerum Jesum super genua sua tenens eidem frequenter arrisit. Stante igitur ante præsepe Domina, sta et tu juxta præsepe cum ea, et delectare cum puero Jesu, quia virtus exit ab illo! Qualibet anima fidelis, et maxime religiosa, deberet a die nativitatis Domini usque ad purificationem, saltem semel in die apud dictum præsepe Dominam visitare, puerum Jesum, et Matrem ejus adorare; de paupertate et afflictione, humilitate et benignitate ipsorum affectuose meditari. Vidisti quomodo beata Virgo in sordenti stabulo patienter multis diebus cum puero Jesu, et Joseph perseverabat; unde non deberet nobis grave esse, nec magnum videri, in monasterio et secreto nostro consistere.

21 Solemnitatis Epiphaniæ magnitudo. — Considera nunc quanta sit solemnitas hodierna, et lætare in ea, quia hodie apparere cœperunt fidei nostræ initia. Unde *Leo* Papa : « Agnoscamus ergo, dilectissimi, in Magis adoratoribus Christi vocationis nostræ fideique primitias, et exsultantibus animis beatæ spei initia celebremus. Honoretur a nobis sacratissimus dies, in quo salutis nostræ Auctor apparuit! Et quem Magi venerati sunt in cunabulis, nos Omnipotentem adoremus in cœlis; et sicut illi de thesauris suis mysticas Domino munerum species obtulerunt, ita et nos de cordibus nostris quæ Deo sunt digna promamus. Sacramentum enim præsentis festi oportet in nobis esse perpetuum, quod utique sine fine celebrabitur, si in omnibus actibus nostris Dominus Jesus Christus appareat : » hæc *Leo.*

22 Miracula in nativitate Domini patrata. — Vidisti ergo quam multa nova in nativitate Domini concurrerunt, quæ eum natum probaverunt. Unde *Chrysostomus :* « Omnia itaque nova, et supra modum admirationis humanæ in Domini nativitate occurrerunt : Angelus in templo Zachariæ loquitur;

Digitized by Google

uturum Elizabeth filium repromittit; non credens Angelo sacerdos obmutescit; sterilis concipit; Joannes in utero matris exsultat; Virgo parit, Christus Dominus natus ab Angelo nuntiatur, et quod salus mundi sit pastoribus prædicatur; gaudent Angeli; exsultant pastores, magna in cœlo et in terra lætitia hujus admirandæ nativitatis exoritur; novum signum stellæ de cœlo Magis ostenditur, per quod Dominus cœli et terræ rex Judæorum noscitur natus : » hæc *Chrysostomus.*

ORATIO

O Jesu bone, qui de Virgine natus teipsum Magis, stella duce, revelasti, et eos per aliam viam in regionem suam redire fecisti; illuminet, Jesu misericors, lumen gratiæ tuæ tenebras conscientiæ meæ, et per tuam lætam apparitionem, da mihi plenam tui et mei cognitionem, ut intus te videam, intus te inveniam; ibique myrrham compunctionis internæ, thus orationis devotæ, aurum dilectionis piæ, tuæ majestati offeram; et qui per viam tenebrarum et culpæ recessi a patria felicitatis supernæ, per viam veritatis et gratiæ ad eam redeam, te ducente. Amen.

CAPUT XII

De Præsentatione Domini in Templum.

Lucæ cap. 2.

1 JOSEPH ET MARIA RELINQUENTES BETHLEHEM JERUSALEM PROFICISCUNTUR. — Adveniente autem quadragesima die, quando, secundum Legem, *impleti sunt dies purgationis Mariæ,* exiit ipsa de stabulo cum Joseph et Puero ut Legem impleret, in qua nihil purgandum erat, quia sine peccato conceperat. In circumcisione quidem purgabatur puer ab originali, quod a parentibus contraxerat; in purificatione vero purgabatur mater a peccato, quia in libidine conceperat; sed nihil horum in hoc Puero, vel in Matre erat. *Et tulerunt Puerum* prius circumcisum de Bethehem, *in Jerusalem,* ut secundum Legem *sisterent,* id est, offerrent, seu offerendo præsentarent *eum Domino* in templo, *et ut darent hostiam,* scilicet *par turturum, aut duos pullos columbarum* pro eo.

2 LEGIS PRÆCEPTA CIRCA PURIFICATIONEM MULIERUM ET PRIMOGENITORUM OBLATIONEM. — Ad evidentiam hujus sciendum, quod de prole nata duplex erat præceptum. Unum generale quantum ad omnes, ut scilicet completis diebus purgationis matris, puer ad templum deferretur, et pro eo hostia daretur. Lex autem purificationis erat, quod mulier quæ suscepto semine peperisset masculum, immunda esset se-

Digitized by Google

ptem diebus, separata a consortio hominum, et ab ingressu templi, et a tactu sacrorum, et die octavo circumcideretur infantulus, et ipsa quidem munda efficeretur quoad consortium hominum, sed adhuc XXXIII diebus immunda esset quoad ingressum templi et tactum sacrorum; et his diebus non licebat egredi domo, etc. Completis XXXIII diebus cum septem præcedentibus, ex tunc quadragesima die mulier intrabat templum, et præsentabat natum puerum, Domino offerens sacrificia pro se et pro puero. Si autem feminam peperisset, duplicabantur dies quoad consortia hominum, et quoad templi ingressum. Aliud erat præceptum speciale de primogenitis, tam in hominibus quam in jumentis, ut sancta Domino fierent, quia Domino consecrata erant. Ex eo tempore quo primogenita Ægyptiorum Dominus interfecit, filios Israel salvans, omnia primogenita filiorum Israel sibi vindicavit, sibique offerri præcepit. Sicut enim voluit sibi offerri primitias fructuum, ita et primogenita hominum, et aliorum animalium mundorum. Sed quare hoc, nisi ut omnia prima, et maxime omnia meliora et cariora Domino offeramus?

3 QUINQUE RATIONES PROPTER QUAS CHRISTUS PRÆSENTARI VOLUIT. — Quia ergo Christus ex muliere natus, et primogenitus, sub Lege fieri voluit, hæc duo præmissa circa eum observata fuerunt. Non suffecit magistro humilitatis perfectæ, cum per omnia Patri coæqualis esset, se subdere humili Virgini, nisi et subderet se Legi. Hoc autem pluribus de causis fecit : primo, ut veterem Legem approbaret; secundo, ut eam servando in semetipsum consummaret et terminaret, ostendens ex hoc quod ad ipsum ordinata erat; tertio, ut Judæis calumniandi occasionem subtraheret; quarto, ut homines a servitute Legis liberaret; quinto, ut exemplum humilitatis et obedientiæ nobis daret.

4 ITEM QUINQUE RATIONES PROPTER QUAS MARIA PURIFICATIONI SUBDI VOLUIT. — Quamvis etiam beata Virgo ad Legem mulierum non teneretur, nec purificari indigeret, quia non concepit suscepto semine, sed Spiritus Sancti mystico spiramine, voluit tamen subdi purificationi, propter plures rationes. Prima, ut se in hoc aliis mulieribus conformaret, sicut et Filius per omnia fratribus assimilari voluit. Unde *Bernardus* : « Vere beata Virgo non habes causam, nec tibi opus est purificatione. Sed numquid Filio tuo opus erat circumcisione? Esto inter mulieres tanquam una illarum, nam et Filius tuus sic est in medio puerorum. » — Secunda, secundum *Bedam,* sicut Christus, sic et beata Virgo Legi est sponte subjecta, ut nos a Legis vinculo solveremur. — Tertia, ut occasionem scandali vitaret, nondum enim erat notum ipsam sine semine peperisse; unde si non observasset dies purificationis suæ, fuisset Judæis occasio scandali, et murmurationis contra ipsam. — Quarta, ut Legem purificationis terminaret, adveniente scilicet Christo, qui est nostra purificatio, per fidem nos purificans. — Quinta, ut nobis exemplum humilitatis daret. Nam humiliavit se etiam in his ad quæ non tenebatur, ut humilitatem doceret : ut enim Mater Doctoris omnium et ipsa Doctrix existeret, cum non posset propter sexum publice docere verbo, ideo voluit docere exemplo.

5 HUJUS MYSTERII FIGURÆ. — Maria igitur licet purificatione non indigeret, purificationem tamen peragere voluit, quia omnia quæ Legis erant diligentissime observabat, et

Digitized by Google

ideo ipsa est per Arcam Testamenti præfigurata, in qua inclusa erant Legis mandata. Ibi enim erant duæ tabulæ, in quibus decem præcepta scripta erant, quæ Maria diligenter observabat. Arca etiam librum Legis continebat, et Maria libros sacræ Scripturæ libenter legebat. In arca erat virga Aaron quæ floruit, et Maria floruit, et benedictum fructum ventris sui protulit. Arca etiam urnam auream cum manna cœli continebat, et Maria verum manna cœli nobis offerebat. Arca de ligno cethim imputribili erat facta, et Maria in putredinem, vel in pulverem non est redacta. Arca quatuor circulos aureos in lateribus habebat, et Maria quatuor virtutes cardinales, quæ omnium virtutum radices et initia sunt, in se gerebat. Arca habebat duos vectes, quibus portabatur, per quos duos, duplex charitas in Maria designabatur. Arca tam intrinsecus quam foris deaurata erat, Maria intus et foris virtutibus resplendebat. Quapropter ipsa etiam pulchre figurata est in candelabro aureo, quod lucebat Jerosolymis in templo Domini, supra quod septem lampades ardentes stabant, quæ septem opera misericordiæ, id est Mariam figurabant, quæ Regina misericordiæ, et Mater pietatis erat. Hoc candelabrum et ejus candelam honoramus, quando in festo Purificationis, accensas candelas bajulamus. Maria enim candelam Domino in sua purificatione offerebat, quando Simeon *lumen ad revelationem Gentium* concinebat; Christus Mariæ Filius est candela accensa, propter tria quæ inveniuntur in ea, scilicet : ligmen, ignis, et cera; et in Christo sunt tria, scilicet : caro, anima et deitas vera. Hæc candela, pro humano genere Domino est oblata, per quam nox tenebrarum nostrarum est illuminata. Oblatio hujus beatissimæ candelæ præfigurata fuit in puero Samuele. Annæ sterili, contra morem naturæ Deus filium dedit, et Mariæ Virgini supra cursum naturæ, Filium inspiravit. Anna obtulit filium, qui Judæos erat propugnaturus; Maria obtulit Filium, qui mundum erat protecturus. Filius Annæ postea a Judæis est refutatus; Flius Mariæ est ab eis turpissima morte condemnatus. Hoc est quod Simeon Mariæ prophetando prædicebat, quod Filii ipsius gladius animam suam pertransire debebat.

6 QUID NOS CHRISTUS HIC DOCEAT? — Ibant igitur parentes Jesu in Jerusalem, ut Legis mandata perficerent, et quamvis timerent Herodem, tamen non sunt ausi transgredi Legem, quin ad templum Puerum deferrent. Et forte adhuc omnia quieta erant, adhuc Herodes Magos expectans nondum sui cordis malitiam revelaverat. Dominus itaque Jesus Christus cum Matre, in his et aliis Legem observans, ostendit cum quanta sollicitudine et vigilantia debemus observare Evangelii præcepta, quando ipse præcepta legalia, quæ per servum dederat, cum tanta observavit diligentia.

7 CUR TURTURES AUT PULLOS COLUMBARUM OFFERUNT? Adduxerunt ergo Dominum templi ad templum, *ut facerent secundum consuetudinem Legis pro eo.* Cumque intrassent templum, emerunt duos turtures, aut duos pullos columbarum, ut pro eo offerrent, sicut pro pauperibus erat consuetum. Et quia pauperrimi erant, credendum est magis quod de pullis columbarum emerunt, quia facilius et pro minori pretio inveniuntur, et ideo in Lege, ultimo loco ponuntur. Et tacet Evangelista de agno, quia erat divitum oblatio. Vide quia tam pauperes parentes Dominus elegit, qui non haberent agnum, quem pro eo offerrent; sed tantum par turtu-

Digitized by Google

rum, aut duos pullos columbarum, quæ erat oblatio pauperum. In Lege enim Dominus præceperat, ut die quo parens infantem in templo præsentaret, pro sua et sobolis purificatione, agnum anniculum immaculatum in holocaustum, ac etiam turturem, sive pullum columbæ, pro peccato, quia in libidine conceperat, offerret. Qui vero non sufficiebant ad offerendum agnum, duos turtures offerebant, vel duos pullos columbarum ; unum loco agni in holocaustum, quod totum incensum dicitur, quia totum incendebatur; et alterum pro peccato, qui cedebat in partem sacerdotis, qui orabat pro muliere, et sic mundabatur; Hanc hostiam et oblationem pauperum, voluit Dominus pro se dari, et cum dives esset, pro nobis pauper dignatus est fieri, ut nos sua paupertate ditaret, et divitiarum suarum donaret esse participes, et nos faceret hic in fide divites, et in cœlo regni hæredes. Sicut enim mortalitatem nostram assumpsit, ut per eam nobis immortalitatem conferret, sic paupertatem nostram voluit assumere, ut per eam nobis æternas divitias tribueret. Imitemur ergo nos Dominum nostrum, et spontaneam paupertatem amemus, ut *habentes* victum et vestitum, *his contenti simus!* Cur autem pulli columbarum, et non simpliciter columbæ, sicut turtures, in sacrificia Domini permittebantur offerri, declarat *Bernardus,* dicens : « Et licet alias quidem per columbam Spiritus Sanctus soleat designari, quia tamen libidinosa avis est, non decuit offerri eam in sacrificio Domini, nisi ea sane ætate quæ nesciret libidinem. At turturis non designatur ætas, quoniam agnoscitur castitas : in quacumque enim ætate compare uno contenta est; quo amisso, alterum non admittit, numerositatem in hominibus nuptiarum redarguens. Cernere est turturem tempore suæ viduitatis sanctæ viduitatis opus strenue ac infatigabiliter exequentem; videas ubique singularem, ubique gementem audias, nec unquam in viridi ramo residentem prospicias; et tu ab ea discas voluptatum virentia virulenta vitare. Adde quod in jugis montium, et in summitatibus arborum, frequentior illi conversatio est, ut quod vel maxime propositum pudicitiæ decet, doceat nos terrena despicere, et amare cœlestia : » hæc *Bernardus.*

8 Simeonis elogium.—*Et ecce Simeon,* inter sacerdotes famosus et nominatus, qui *justus* erat in omni operatione boni, *et timoratus* in cautela mali; vel *justus,* recte se habendo ad proximum, et *timoratus* quoad Deum, quia difficile justitia sine casto et filiali timore Domini custoditur : timor enim Domini, justitiæ et ceterarum virtutum custos est, quia quanto justus ardentius Deum diligit, tanto solertius offendere cavet. Illorum enim operationem comitatur justitia, quorum mentes timor Dei illuminat, testante Psalmista, qui ait : *Beatus vir qui timet Dominum,* etc.; et Salomone, qui dicit : *Qui timet Deum, nihil negligit.* Et bene justus erat; ad proximum se recte habebat, quia non suam solummodo, sed et totius populi salutem quærebat, *expectans consolationem Israel,* in desiderio et spe boni promissi, quoad fidei et spei rectitudinem, quam habebat. Minores quidem expectabant consolationem temporalem, per promissum salutis auctorem, ut qui ab Herode pressi fuerant, in adventu Salvatoris liberati, consolationem acciperent. Majores vero, ut Simeon et hujusmodi, etiam spiritualem consolationem, et redemptionem a diabolo expecta-

Digitized by Google

bant. Consolatio quippe Israel, id est, *videntis Deum,* Domini adventus in carne fuit; sancti enim patres, quos metus originalis peccati contristabat, per Domini Incarnationem consolari credebant. Hanc consolationem Simeon, qui *obediens* interpretatur, expectabat, quem matura ætas de mundo exire compellebat; tamen propter desiderium videndi Dominum, in carne manebat. *Et Spiritus Sanctus,* et sanctificator ex præsentia summi boni *erat in eo,* quantum ad gratiæ plenitudinem, quam possidebat, qui non solum habuit gratiam justificantem, prout communiter habetur a justis, sed etiam quantum ad illuminationes, et consolationes divinas speciales. Dicturus Evangelista de Simeone, quia *Spiritus Sanctus erat in eo,* præmisit quod erat *justus et timoratus,* quoniam illorum corda Deus inhabitat, qui timentes Deum justitiam servant, unde ipse per Prophetam dicit: *Super quem quiescet Spiritus meus, nisi super humilem et quietum, et trementem sermones meos?*

9 EJUS VIDENDI CHRISTI DESIDERIUM. — Et *ab* ipso, *Spiritu Sancto,* qui per inhabitantem gratiam in eo erat, *responsum* in orationibus suis devotis *acceperat,* invisibiliter in mente, per occultam inspirationem, et intellexit de Christi adventu, quod Christum quem videbat oculis mentis, videret oculis corporis, antequam præsentem finiret vitam. Ex quo patet quod pro hoc prius oraverat; quia hoc sperabat, et consolationem Israel expectabat. Tunc enim erat opinio communis apud intelligentes quod imminebat adventus Christi, secundum signa a Patriarchis et Prophetis data. Et ideo Simeon de hoc ferventius Deum orabat; *et* in *Spiritu,* id est per revelationem Spiritus Sancti, et ipso Spiritu Sancto qui in eo erat jubente, *venit in templum,* ut, sicut responsum et promissum ab eodem Spiritu acceperat, Christum Domini, id est unctum a Domino, antequam moreretur, videret. O quanto desiderio videndi Dominum, senex iste beatissimus æstuabat, quem jam ætas de hoc seculo exire cogebat! Sed Dei responsio retinebat, quia non erat mortem visurus, id est, sentiturus vel experturus, *nisi prius videret Christum Domini,* Messiam promissum, oculis corporalibus. Hoc ergo desiderabat, hoc mente tractabat, hoc semper cogitabat, dicens: Scio quia veniet, scio quia videbo eum. Sed quando veniet? quando eum videbo? Veni, Domine Jesu, solve mihi hæc vincula, et me jam nunc in pace ire permitte. Dum autem hæc secum diceret, dum hoc desiderio æstuaret, dictum est illi a Spiritu Sancto: Ecce adest quem expectas, quem quæris; nunc eum videbis; surge, propera, festina, vade ad templum.

10 CHRISTUM IN ULNAS ACCIPIENS ADORAT. — Cum autem festinanter veniens templum intraret, et eum videret, statim eum Spiritu prophetico cognovit. Eadem quippe Spiritus gratia, qua olim præcognoverat venturum, etiam nunc venientem, jamjamque mox a se videndum, cognovit Salvatorem. Et accelerando, occurrens genua flexit, et eum inter brachia Matris adoravit, brachiaque sua extendit, et parentibus ait: Mihi eum date, mihi debetur, mei officii est, ad hoc missus sum, huic obsequio reservatus sum! Mater vero intelligens voluntatem Filii, porrexit eum Simeoni. Ille autem lætus et exsultans, cum maximo cordis gaudio, in ulnas suas, et inter brachia eum suscepit. O quam beatæ manus, quæ Verbum vitæ palpaverunt, et ulnæ quæ ipsum amplexatæ sunt! Et cum Puerum in ulnas accepisset, surrexit, et mox senectus

Digitized by Google

fugit, ac juvenilis vigor et fortitudo affuit. Magna hic Domini potestas, sed non minor ejus claret humilitas. Qui cœlo terraque non capitur, grandævi hominis ulnis gestatur; qui prius seipsum ferre vix poterat, nunc leviter Puerum ferens exsultat. Ipse enim portabat a quo portabatur, et qui *verbo virtutis suæ omnia* portat; ille portabat Christum in humanitate, a quo portabatur per divinitatem. Eleganter igitur dictum est: *Senex Puerum portabat, Puer autem senem regebat.* Ferebat senex Christum infantem, qui illum regebat in senectute degentem. Felix quidem Simeon iste, qui non solum videre, sed etiam Christum in carne meruit portare! Felix nimium, qui tantam consolationem meruit, quam desideraverunt Patriarchæ et Prophetæ, et non acceperunt! Et non dubium quin ex hujusmodi amplexu Jesu Christi, multas consolationes receperit, et singularia charismata gratiarum. Unde et dicit *doctor Græcus,* quod Infantis ineffabile jubar adeo illustravit senem, ut processu temporis, futura mox sibi fierent nota. Non minus felices sunt, *qui non viderunt et crediderunt.*

11 Simeonis canticum. — *Benedixit* quoque et laudavit *Deum,* gratias agendo pro tanto beneficio, scilicet de impletione promissionis, et de exhibitione Salvationis; ac viso Redemptore, aperit revelationem in secreto dialogo sibi factam, dicens: *Nunc dimittis, Domine, servum tuum in pace: quia viderunt oculi mei Salutare tuum,* etc., per totum. Te, inquit, Domine, benedico: promissio tua completa est, completum est et desiderium meum; quia video Christum Salutare tuum Dominum meum, Jesus enim *Salvator,* sive *salutaris* interpretatur. Viderunt quidem oculi carnis hominem; sed oculi mentis cognoverunt eum esse Deum. *Dimittis* ergo, id est, dimittes vel dimittas, ut intelligatur optative, id est, utinam dimittas, jam nunc et de cetero, *servum tuum,* abire, *in pace,* et de hac vita transire in cordis quiete, quieturum in sinu Abrahæ. Quasi secure morior, quia præsens est, et in proximo passurus, quo redimar. Sciebat quam beati oculi qui Christum essent visuri; et ideo donec illum videret, nolebat morte dissolvi. Mox autem ut vidit, optabat solvi a corpore, et in sinu Abrahæ pacem habere. Lætanter enim descendere volebat ad limbum patrum, ex quo sciebat Salvatorem natum. Sed quomodo in pace dimittitur, cum omnes tunc sternerent lectum suum in tenebris? In pace, inquit, quietis, non in pace fruitionis Dei. Ecce Simeon perfectus fuit, habens vitam in patientia, et mortem in desiderio. Adeo ergo, secundum *Bedam,* in quibusdam perfecti fuerunt patres Veteris Testamenti, ut Novi.

12 Tenere Christum et amplexari volentibus quæ sint necessaria. — Qui vult tenere Jesum manibus et amplexari, et in pace dimitti, omni labore nitatur ut habeat Spiritum ducem; veniatque in Jerusalem, conversando in cœlestibus; veniat in templum, aptando se exemplo illorum in quibus habitat Deus, suspirando, et unam petendo, ut inhabitet semper in domo Domini; expectet Dominum et adventum ejus. Sic enim et ipsum Verbum Dei in manibus accipere, et fidei ac spei, et charitatis brachiis merebitur amplecti; et tunc dimittetur, ut non videat mortem æternam, quia vidit vitam. Multum enim felix mortem videbit carnis, quicumque sic Christum Dominum satagerit prius videre oculis cordis. Unde *Bernardus:* « Dimittetur in pace, qui Christum habet in pectore; *ipse enim*

Digitized by Google

est pax nostra. Tu quo exibis, anima misera, quæ ducem itineris Jesum ignoras ? » Moraliter, Simeon, qui *obediens* interpretatur, bonum religiosum significat ; et hic manet in Jerusalem, quæ interpretatur *pacifica,* quia manet in pace interna et fraterna, qui est justus ad proximum, timorosus ad Deum, expectans consolationem Israel, id est, divinæ visionis ; quia Israel *videns Deum* interpretatur, et Spiritus Sanctus est in eo, per gratiæ suæ beneficium. Et tali datur Jesus ad amplexandum, et sic cum Simeone de tanto beneficio benedicit Dominum, et desiderat exire de mundo, ut ei detur ad perfecte fruendum, secundum Apostolum, *desiderium habens dissolvi, et esse cum Christo.* — Moraliter etiam hic instruimur de multis : primo, quod per virtuosa opera, quæ per brachia intelliguntur, Jesus apprehenditur ; secundo, in hoc quod senex Infantem suscepit, instruimur quod deposita culpæ vetustate, debemus induere vitæ novitatem ; tertio, in hoc quod Christus qui omnia portat, voluit portari, habemus exemplum humilitatis ; quarto, in hoc quod Simeon benedixit Deum, instruimur ad agendum gratias Deo de omnibus bonis nostris.

13 Christus in cantico Simeonis quatuor nominibus magnificatur. — Possumus etiam dicere quod in hoc cantico magnificatur Christus, quoad quatuor, secundum quatuor nomina, quibus Simeon Christum appellat. Commendatur enim Christus ut pax, ut salus, ut lumen, ut gloria. Pax est, quia mediator ; salus, quia redemptor ; lumen, quia doctor ; gloria, quia præmiator. Et sic in his quatuor consistit perfecta Christi commendatio, imo totius Evangelicæ historiæ quædam brevissima comprehensio : ea namque quæ respiciunt ejus incarnationem comprehenduntur in pace : *Ipse enim est pax nostra, qui fecit utraque unum,* quia utramque naturam, in uno supposito univit, duos populos in unum copulavit, dans pacem his qui longe et his qui prope, Deum etiam homini reconciliavit. Ea vero quæ respiciunt ejus prædicationem, et suæ vitæ conversationem, ac miraculorum operationem, comprehenduntur in luce. Unde ipse dicit : *Ego sum lux mundi.* Quæ autem respiciunt redemptionem et passionem, comprehenduntur in nomine salutis ; sed quæ respiciunt resurrectionem et ascensionem, comprehenduntur in gloria. Et quia canticum istud sic continet laudis Christi plenitudinem, et senis morientis consolationem ; ideo in sero et in fine cantatur in completorio.

14 Simeonis benedictio. — *Et erat pater ejus,* scilicet putativus, id est Joseph, qui meruit vocari pater Christi, eo quod fuit nutritius ejus, *et Mater ejus* vera, scilicet Maria, *mirantes,* non dubitando, sed assentiendo et congaudendo, *super his quæ dicebantur de illo,* scilicet Jesu. Mirabatur Virgo, de his quæ audierat ab Angelo in annuntiatione, ab Elizabeth in salutatione et Joannis exsultatione, et a Zacharia in Joannis nativitate. Item mirabatur ipsa et Joseph, de exsultatione Angelorum, nato Christo, et de cantico novo ; item de adventu pastorum, et de reverentia Magorum ; item de adventu Simeonis, et laude ejusdem : quæ omnia erant mira et admiratione digna. Unde *Ambrosius :* « Non solum ab Angelis et Prophetis, a pastoribus et parentibus, sed etiam a senioribus et justis, generatio Domini accepit testimonium. Omnis ætas, et uterque sexus, eventorumque miracula, fidem astruunt : Virgo generat, sterilis parit, mutus loquitur, Elizabeth prophetat, utero

Digitized by Google

clausus exsultat, Magus adorat, vidua confitetur, justus expectat. » Et ex virtute Pueri quem gestabat in ulnis, *benedixit Simeon illis,* scilicet Mariæ, et Joseph, cum affectu et gaudio, ac Deo gratias referendo. Quamvis enim Maria et Joseph essent majores in sanctitate, ille tamen præcellebat quantum ad sacerdotis officium, ad quem spectat benedicere populum. Mos quippe erat in Lege, quod quando parentes præsentabant puerum in templo, sacerdos benedicebat illis, scilicet parentibus et puero; et ideo benedixit Simeon parentibus Christum præsentantibus, id est, beatos eos dixit, et benedictos prædicavit, vel benedictionem a Deo eis optavit. Hujus autem benedictionis formam non habemus expressam, sed potest ista benedictio intelligi, laudationis et gratiarum actionis; sicut dicimus quod creatura benedicit Creatori, ipsum cum gratiarum actione laudando. Benedixit parentibus, propter filium, sicut e converso plerumque benedicuntur filii propter parentes. Et nota quia in Joseph patris similitudo erat, quia nutritor ejus; ideo non est communi benedictione privatus; Maria virgo, quia vere ejus Mater erat, et de Puero magis ad eam pertinebat; ideo ad eam singulariter se vertit, revelando ei occultorum præsagia.

15 Prophetizat de Christo, ut signo contradictionis. — Cognovit enim, illo docente, quem gestabat in ulnis, divinum illud non esse ex Joseph, sed ex Virgine : ideo ad eam dirigit sermonem. Et non solum benedixit; sed etiam prophetando, futura prædixit, dicens : *Ecce positus est hic,* per adventum suum, et a Deo statutus et ordinatus *in ruinam,* scilicet superborum se stare putantium; de quibus ipse dicit : *Si non venissem et locutus eis non fuissem, peccatum non haberent.* Addit : *Et in resurrectionem multorum,* scilicet humilium, se non stare reputantium, qui in eum credentes, resurrexerunt a peccatis per eum. Et dicit *in Israel;* quia multi Judæi a veritate cadentes, fuerunt excæcati, et multi prius simplices et ignorantes illuminati; *et in signum,* scilicet fœderis et reconciliationis inter Deum et hominem, *cui contradicetur* primo a Judæis; deinde a Gentibus, seu paganis; postea ab hæreticis, hoc non credentibus. Ubi notandum, secundum *Origenem,* quod in omnibus quæ de Christo narrantur a fidelibus, contradictionem passus est falso ab incredulis, de quibus ipse conqueritur in Psalmista, dicens : *Insurrexerunt in me testes iniqui; et mentita est iniquitas sibi.* Potuit enim Christus impugnari, sed non expugnari. Sed et pravi Christiani contradicunt ei in moribus et operibus; etsi non in fide et sermonibus, *qui confitentur se nosse Deum, factis autem negant.* Venit ergo Salvator, in ruinam non credentium et superborum, et hoc per occasionem; et in resurrectionem credentium et humilium, sed per causam. Non solum autem aliis in ruinam, et aliis in resurrectionem venit; sed etiam uni eidemque homini in ruinam, pariter et in resurrectionem apparet : in ruinam, scilicet vitiorum, et resurrectionem virtutum. Nec fit resurrectio virtutum, nisi præcedat ruina vitiorum. Unde *Bernardus :* « Non potest virtus cum vitiis pariter crescere; ergo ut illa vigeat, ista crescere non sinantur. Tolle superflua, et salubria surgunt. » Unde notandum quod Christus destruxit regnum peccati, et construxit regnum virtutum : propter quod dicitur *positus in ruinam et resurrectionem.* Ruit enim superbia, ex ejus

Digitized by Google

humilitate. Ruit avaritia, ex ejus paupertate. Ruit luxuria, in ejus castitate. Ruit invidia, in ejus benignitate. Ruit gula, in ejus sobrietate. Ruit ira, in ejus patientia. Ruit acedia, in ejus labore et vigilia. Et sic Christus, construendo regnum virtutum, destruxit regnum vitiorum; ita quod eisdem venerit in ruinam et resurrectionem. Nam secundum *Chrysostomum*, cum superbus humilis efficitur; lascivus, castus; avarus, misericors, et ita de aliis; tunc in eadem persona est ruina vitii, et resurrectio virtutis. Et ad hoc a Deo positus fuit hic in mundo, tanquam signum ad sagittam; ut quilibet quasi pro libito jaculum mitteret in eum.

16 ITEM DE PŒNIS B. V. MARIÆ. — Et prophetizans Simeon de Christi passione, ait : *Et tuam ipsius animam pertransibit* per compassionem *gladius;* id est passio, seu dolor passionis ipsius. Non enim absque magno affectu materni doloris, potuit videre crucifigi Filium; etsi speraret mortem devicturum, ac resurrecturum, et post mortem victurum. Unde dicit *Hieronymus*, quod quia in parte impassibili passa est, plus quam martyr fuit. Dolores quippe quos pariens effugit, hos tempore passionis Christi sustinuit. Unde *Anselmus* : « Nunc reposcit debitum atrox vis naturæ, quod tibi detinuit olim parituræ; pœnasque cum fœnore æstimant usuræ, quæ communi matribus debebantur jure. » *Ut revelentur ex multis cordibus cogitationes;* Christi namque passio, multorum cordium cogitationes revelavit; quia Prophetarum dicta, cogitationes, et occulta mysteria ibi revelata sunt, et consummata. Et hoc quidem velum templi significavit, quod, eo moriente, scissum est, ut sancta sanctorum omnibus apparerent. Vel multorum cordium, scilicet bonorum et malorum, cogitationes tunc revelatæ sunt; quia Christo passo alii crediderunt, alii credere noluerunt. Et secundum *Bedam*, antea incertum erat qui Judæorum eum recepturi erant, et qui non; postea certum fuit. Mystice, ut dicit *Beda*, usque ad finem seculi, gladius tribulationis animam Ecclesiæ pertransit, cum signum fidei, ab impiis et reprobis contradicitur; cum multos ruere videt; cum revelatis cordium cogitationibus, ubi bonum semen seminaverat, zizania germinare conspicit. Et notandum quod illud *ut*, non tenetur hic causaliter; non enim propter hoc principaliter pati voluit Christus, ut revelarentur hominum cogitationes; sed tenetur hic consecutive; quia hoc quod est revelare cogitationes, secutum est ad passionem Christi. Sicut si dicerem : Exivi ad campos, ut caperer ab hostibus. Capi ab hostibus, non fuit de intentione mea, sed quoddam consecutivum ad exitum meum. Et est similis modus loquendi, cum dicitur sæpe in Evangelio : *Hoc factum est, ut implerentur Scripturæ.* Hoc enim non fuit principalis intentio Christi, quod talia fecit, vel passus est, ut implerentur Scripturæ; sed postquam talia evenerunt, consecutive Scripturæ sunt impletæ. Non enim prophetia est causa eventus rei; sed ipsa res est causa prophetiæ. Aliter exponit *Origenes*, revelatione occultorum peccatorum in confessione; ut revelentur cogitationes malæ per confessionem, quæ prius occultabantur, quæ per effectum passionis in sacramento pœnitentiæ operantis, sanantur.

17 ANNÆ PROPHETISSÆ OCCURSUS. — *Et ipsa eadem hora*, qua scilicet Simeon loquebatur de Christo, tenens eum in ulnis, *superveniens et*

Digitized by Google

Anna prophetissa, non a casu, vel ex dispositione humana, sed Spiritus Sancti revelatione, sicut dictum est de Simeone : et adorans eum, *confitebatur Domino,* confessione laudis et gratiarum actionis, laudans Deum de tantis beneficiis adimpletis, et in Incarnatione et Nativitate exhibitis; perhibensque testimonium de Filio, et instruens populum, *loquebatur de illo, omnibus qui expectabant redemptionem* Jerusalem, et *Israel,* annuntians eis natum esse Redemptorem, et humani generis Salvatorem; et quod ille diu desideratus esset, qui eos redimere et liberare deberet. Omnibus fidelibus, qui jugo Herodis alienigenæ gravati, liberationem civitatis et populi, ac etiam spiritualem expectabant, per adventum Christi in proximo fieri redemptionem a tyrannide Herodis et dæmonis promittebat. Hæc mulier venerabilis, cujus nobilitas extollitur, continentia laudatur, ætas commendatur, religio prædicatur, idonea et valde digna erat, quæ Dei Filio incarnato testimonium perhiberet. Unde et prophetissa describitur, ut ejus testimonium authentizetur, quia prophetiæ inspiratio vel revelatio divina esse perhibetur. Unde *Origenes :* « Juste sancta mulier spiritum prophetandi meruit, quia longa castitate, longis etiam jejuniis, ad hoc culmen ascenderat. » Quia ergo omnem sexum, et omnem ætatem, et gradum, et omnem professionem Dominus redimere venerat, dignum erat ut omnes, in ejus nativitate, testimonium perhiberent. Sunt enim tria genera, in utroque sexu commendata : puta de virginibus, scilicet Maria et Christus; ac de viduis, scilicet Anna et Simeon, cujus ætas comparatur Annæ; et etiam tertium genus, nempe de conjugatis, scilicet Elizabeth et Zacharias. Nullus ergo gradus Christianorum fidelium prætermissus est, de quo non haberet testimonium salus omnium. « Ideo autem, dicit *Anselmus,* oblatus est in templo, et a sancta vidua susceptus, ut fideles suos domum Dei frequentare, et ut eum mereantur suscipere, studio sanctitatis intendere moneret; a Simeone sene susceptus, atque laudatus est, ut vitæ gravitatem, et morum maturitatem, se diligere patefaceret. Exsulta ergo et tu cum illo sene Simeone et Anna longæva! Procede in occursum Matris et Parvuli! Vincat verecundiam amor! Timorem expellat affectus! Accipias et Infantem in ulnas, dicasque cum sponsa : *Tenui eum, nec dimittam!* Tripudia cum illo sanctissimo sene, et concine : *Nunc dimittis servum tuum, Domine, secundum verbum tuum, in pace!* » hæc *Anselmus.*

18 Sensus moralis hujus historiæ. — Moraliter nota, quod inopinatus concursus istarum personarum, de quibus hic fit mentio, non sine mysterio instinctu divino factus est. Unde nos spiritualiter, in mente debemus istarum quatuor personarum processionem celebrare : per Simeonem, qui interpretatur *audiens,* qui *et responsum acceperat a Spiritu Sancto,* mentali scilicet revelatione, significatur verbi Dei studiosa auditio; per Annam, quæ interpretatur *gratia,* et quæ non discedebat de templo, significatur crebra oratio; per Joseph, qui interpretatur *appositio,* vel *augmentum,* qui et sollicitam curam habuit de puero Christo, intelligitur bonorum operum continua appositio; per Mariam vero, quæ interpretatur *illuminata,* quæ et Christum portavit in utero, significatur divinæ conformitatis perfectissima unio. Hæ autem quatuor personæ Christum offerentes, in mente debent portare quatuor

Digitized by Google

luminaria. Simeon portat lumen sanctæ meditationis; Anna gestat lumen internæ devotionis; Joseph defert lumen virtuosæ progressionis; Maria vero portat lumen supernæ contemplationis. Hæc quatuor innuuntur in Psalmista, cum dicitur : *Memor fui Dei, et delectatus sum, et exercitatus sum, et defecit spiritus meus,* et patent, referendo singula singulis. Et considerandum est quod præsentationi Domini interfuerunt quinque personæ : ipse Jesus, per quem significantur innocentes; Maria, scilicet *amarum mare,* per quam pœnitentes; Joseph, scilicet *accrescens,* per quem proficientes; Simeon, per quem perfecti in vita activa; Anna, per quam perfecti in vita contemplativa. In quo significantur illi qui sunt digni vultus Dei, in templo Dei cœlestis Jerusalem, præsentari.

19 Processio in templo Jerusalem. — Tandem Simeon puerum Jesum Matri reddidit quem illa lætanter reaccepit. Postea vadunt ad altare, facientes processionem, quæ hodie repræsentatur per universum orbem. Procedunt alacriter illi duo venerabiles senes, Joseph et Simeon, cum exsultatione magna jubilantes. Sequitur Mater, portans Regem Jesum, cum ineffabili cordis lætitia; et Anna associat eam, vadens ex latere, cum reverentia jubilans; et ipsa cum indicibili gaudio et laudans Dominum affectu immenso. Ab istis ergo fit processio venerabilis, paucis quidem, sed valde magnis et quasi de omni genere hominum repræsentantibus. Sunt enim inter eos de masculis et feminis, senibus et juvenibus, virginibus et viduis. Maria quidem et Joseph, tanquam parentes, puerum Jesum in templo præsentaverunt; Simeon vero et Anna, ut prophetæ, præconiis propheticis laudaverunt. Sic et nos in ista die, missarum solemnia celebrantes, cereum accensum, per quem significatur puer Jesus, in manibus bajulamus, et processionem facientes usque ad altare deferimus et offerimus, recolentes illud lumen ineffabile quod Maria et Simeon hodierna die portaverunt in manibus. Sunt enim tria in cereo, per quæ significantur tria quæ fuerunt in Christo. Nam cera significat carnem Christi, quæ nata est de Virgine Maria sine corruptione; sicut apes ceram gignunt, sine alterutrorum commixtione. Lichnus autem in cera latens, significat animam Christi candidissimam, in carne latentem. Ignis vero, sive lumen, significat divinitatem; quia, *Deus noster, ignis consumens est.* Per hæc etiam tria potest Trinitas designari. Unde hic versus :

Cera, locus, lichnum, tria sunt [*monstrantia trinum.*

Cum autem perveniunt ad altare, Mater cum reverentia genua flectit, et dilectissimum Filium suum Deo Patri suo super altare offert. Præsentabat ipsa beata Virgo Puerum Domino, gratias agens Deo Patri de munere tanto, quod ipsa Virgo eum conceperat et pepererat; et quod ipsa in tali prole dignissima, Deo Patri communicabat.

20 Præsentationis causæ. — Præsentatio enim puerorum ad templum, præcepta erat propter tres causas : tum ut ex hoc infans Domino consecraretur; tum ut per hoc divinæ custodiæ commendaretur; tum ut gratiarum actio Deo redderetur, a quo tale donum parentes acceperunt, etc. Sed primæ duæ causæ non habebant locum in Christo; quia mox conceptus in utero, fuit plenissime Deo consecratus, et divinæ custodiæ, per divinitatis unionem commendatus; sed tertia causa præcipue locum

Digitized by Google

habuit in Christo pro qua beata Virgo gratias agere debuit Deo Patri præ omnibus matribus, utpote quæ eum singulari privilegio concepit et peperit. Quid autem ipsa tunc oraverit, quidve dixerit, scriptum non habemus; sed forte similia his verba, saltem ore cordis, dicebat : Ecce, Domine, sancte Pater, præsento tibi Filium tuum, a te æternaliter genitum, et de me temporaliter natum, ego præsento tibi eum, qui tibi semper est præsens. Gratias tibi ago, quod eum tuo munere sic concepi mirabiliter, et ineffabiliter peperi. O sancte Pater, hunc Filium tuum et meum, tibi offero oblationem novam, Deum caro factum, qui pro salute mundi oblaturus est tibi semetipsum! O qualis est ista oblatio! Nunquam talis facta a seculo. Unde *Bernardus :* « Offer Filium, Virgo sacra, et benedictum fructum ventris tui Domino repræsenta. Offer, ad nostram omnium reconciliationem, *hostiam sanctam Deo placentem :* » hæc *Bernardus.* Voluit autem Christus Deo Patri præsentari, qui nunquam ab ejus aspectibus latuit, nobis in exemplum; ut sicut non gratia sui Deus factus est homo, sed ut nos per gratiam faceret deos; nec propter se circumcisus est in carne, sed ut nos spiritualiter circumcidamur; sic propter nos sistitur Domino, ut discamus Deo præsentare nosipsos.

21 DOMINUS QUINQUE SICLIS REDIMITUR. — Deinde advocantur sacerdotes, et redimitur Dominus omnium, tanquam servus, quinque siclis argenteis, quia erat primogenitus. Quisque siclis argenteis redimebatur primogenitus. Et erat siclus genus monetæ, obolos viginti habens. Præcepit enim Lex omne masculinum primogenitum tam hominis quam pecoris, sanctum Domino vocari, id est Domino sanctificari et præsentari, ac sanctificatum et dedicatum Domino dici, et sacerdotis esse; ita quod primogenitus de tribu Levi non redimeretur, sed in ministerio et servitio domus David, scilicet templi, semper et perpetuo teneretur; primogenitum vero de aliis undecim tribubus, sacerdos redimi faceret; et pretio accepto illud ad propria a parentibus referri permitteret; primogenitum quoque animalis mundi, Deo offerret; immundi vero aut pretio redimi aut mundo mutari, aut occidi faceret. Est autem animal mundum ad offerendum, mundum ad esum. Immundorum vero, aliud est immundum ad offerendum, sed mundum a natura, ut asinus, ideoque aut pretio redimebatur, aut agno commutabatur; aliud immundum ad offerendum et redimendum, seu commutandum, videlicet canis, et ideo pretium aliquod non habens occidebatur, et ex toto ab usibus templi projiciebatur. Cum igitur Christus de tribu Juda, una de undecim, fuerit, patet quod redimi debuit, et ideo redemptus fuit. Accepit etiam Mater de manu Joseph aves prædictas, et genua flectens, offert eas super altare, Deo Patri. Obtulit ergo beata Virgo, tanquam paupercula, *par turturum aut duos pullos columbarum,* unum in holocaustum pro Filio, alterum pro peccato; in hoc se subdens Legi peccatricum, quamvis nullum haberet peccatum. Facta ergo oblatione et redemptione, Mater Filium recepit, et eum secum domum reportat. Unde *Bernardus :* « Oblatio ista, fratres, satis delicata videtur, ubi tantum sistitur duobus, redimitur avibus, et illico reportatur. Veniet tempus quando jam non offeretur in templo, nec inter brachia Simeonis, sed extra civitatem inter brachia crucis. Veniet quando non redimetur alieno, sed redimet alios sanguine pro-

Digitized by Google

prio ; quia Redemptorem misit eum Deus Pater populo suo. Istud est sacrificium matutinum ; illud autem vespertinum : » hæc *Bernardus*.

22 Mystica et moralis significatio oblationis primogenitorum. — Mystice, per primogenita animalium, significatur ille qui unigenitus Dei dignatus est nasci, *primogenitus*, scilicet dignitate, *omnis creaturæ*, qui est vere sanctus Domino, quia sine peccato. — Moraliter autem per primogenita, significantur bonæ actionis initia, quæ quasi corde gignimus, ex Dei gratia. Commonemur ergo hic, ut omnia primogenita nostra Deo offeramus, quidquid bonum et justum in nostris operibus invenimus, ejusque gratiæ non nostris meritis deputemus, dicentes : *Non nobis, Domine, non nobis ; sed nomini tuo da gloriam.* Si autem immundum aliquid parimus, id est, si peccatum in opere perpetramus, occidamus, id est malum per emendationem radicitus evellamus, aut certe mutemus illud mundo, declinantes a malo, et facientes bonum ; aut redimamus quinque siclis bona opera, et dignos fructus pœnitentiæ per quinque sensus corporis facientes. Commonemur etiam hic, ut si in grege operum nostrorum, agnum innocentiæ, vel principales virtutes, qualis est charitas, castitas, humilitas, patientia, et hujusmodi invenimus, Deo offeramus, id est, quod digne vivimus, non nostris meritis deputemus, sed illius qui ait in Evangelio : *Sine me nihil potestis facere ; — ipse enim operatur velle et perficere.* Si autem tam pauperes sumus, ut in opere nostro agnum et divitias innocuæ vitæ, vel principales virtutes non inveniamus, offeramus saltem duos turtures, vel duos pullos columbarum, id est, duo genera compunctionis, videlicet timoris et amoris ; et non solum pro nostris aliorumque diluendis peccatis, sed etiam pro impetrandis virtutibus, et desiderio patriæ cœlestis quotidie defleamus. Et sic unum pro peccato offerimus, dum de malis perpetratis gemimus ; alterum in holocaustum, quando amore cœlestium inflammamur.

23 Moraliter notanda circa mysterium purgationis Mariæ. — Moraliter, hic attendenda sunt tria, scilicet mysterium purgationis Mariæ, sacramentum delationis Dominicæ, et significantia oblationis factæ. Quantum ad primum, sciendum quod Maria, quæ interpretatur *stella maris*, vel *amarum mare*, designat animam, sive sit in lumine vitæ contemplativæ, sive in amaritudine vitæ activæ. Et utrique necessaria est purgatio ; quod videlicet anima contemplativa purgetur a superbia, quod fit per timorem ; et anima activa a negligentia, quod fit per rigorem et laborem. In Jerusalem enim, quæ interpretatur *visio pacis*, et significat vitam beatam, nemo infertur, nisi prius dies purgationis ejus impleantur. Quia nisi quis sit plene purgatus, et ita purus, sicut fuit in Baptismo, non potest pervenire ad istam Jerusalem, vel etiam in templum cœleste. Talis autem purgatio celebratur, vel hic in præsenti per pœnitentiam, aut tribulationes, et hujusmodi, vel post mortem in pœnis purgatorii.

24 Circa sacramentum delationis Christi. — Quantum ad secundum, sciendum quod legimus Christum delatum in Jerusalem, ut hic : et legimus eum delatum in Ægyptum. In quo docemur, quod proles mentis nostræ, quæ est intelligentia, nunc elevanda est ad contemplationem æternorum, quæ per Jerusalem designatur, quæ *visio pacis* interpretatur ; nunc vero

Digitized by Google

deprimenda est ad considerationem propriorum defectuum, quæ per Ægyptum designatur : Ægyptus enim, *tenebræ* interpretatur. Possumus etiam aliter quinque numerare loca, in quæ Christus portatur vel ducitur, scilicet : in Jerusalem, in Ægyptum, in desertum, in montem excelsum, et in templi pinnaculum. Et ista quinque loca, significant quinque status, in quibus invenitur Christus. Jerusalem significat vitam contemplativam, ubi est *visio pacis;* Ægyptus significat vitam activam, in qua est mœror et angustia tribulationis; desertum significat religionem, in qua insistitur jejuniis; mons excelsus significat fastigium prælationis; pinnaculum Templi est sedes magistralis. Et in his statibus invenitur Jesus; quia in omni statu Ecclesiæ, potest inveniri Jesus, scilicet salus. Sed considera quis portavit eum in Jerusalem et alibi; et invenies quod in Jerusalem et in Ægyptum, tulerunt Christum Maria et Joseph, *stella maris*, et *augmentum :* fides scilicet et charitas. In desertum, ductus est a Spiritu Sancto; sed in montem excelsum, et super pinnaculum, tulit eum diabolus. Et ideo timere debent prælati et magistri, ne eos portaverit diabolus in montem excelsum, scilicet prælationis, et in cathedram magistrationis.

25 Circa significationem oblationis factæ. — Quantum ad tertium, est notandum, quod oblatio indeterminate fiebat de turture vel columba. Per turturem quæ est solivaga et casta, intelligitur vita contemplativa. Per columbam vero quæ gregatim volat, et fecunda est, significatur activa. Et utraque avis gemitum habet pro cantu; sed aliter et aliter. Gemitus enim turturis competit contemplativis, et hic geminatur, unde dicitur *par turturum.* Primus gemitus est amoris, de quo dicit Apostolus, quod *intra nos gemimus, adoptionem filiorum Dei expectantes;* secundus est devotionis, de quo dicit idem Apostolus, quod *Spiritus postulat pro nobis, gemitibus inenarrabilibus.* Gemitus vero columbæ, competit activis, et hic est duplex, unde dicitur, *duos pullos columbarum.* Unus est pro peccatis propriis, secundum illud Isaiæ : *Quasi columbæ meditantes, gemimus;* alius est pro peccatis alienis, secundum illud Threnorum : *Omnes portæ ejus destructæ; sacerdotes ejus gementes.* Hunc quadruplicem gemitum offerre debent, qui agnum, id est, innocentiam, non habent. Prædicta igitur recolligendo, dicendum quod in hac purgatione, delatione et oblatione, significatur, quod qui purgatus est a superbia et negligentia, et dispositus est ut ascendat ad contemplationem Dei, et descendat ad considerationem sui, et rursus ascendens gemat ex amore et devotione; et deorsum rediens gemat ex contritione et compassione : in his consistit perfectio fidelis animæ Deo devotæ. Et quia utræque istæ vitæ Deo sunt acceptæ, non est definitum, utrum pro Domino, turtures, an columbæ sint oblatæ; sed indifferenter est dictum, *par tarturum, aut duos pullos columbarum.*

26 Humilitatis Christi incrementa. — Vidisti ergo in prædictis, Christi et parentum ejus paupertatem, quia pauperum tantum habebant oblationem. Si autem vis informari de humilitate, considerata oblatione et redemptione, ac Legis observatione, de facili poteris advertere. Adverte etiam hic de Christi humilitate, quomodo a præcedentibus sit aucta successive. Nam in nativitate se habuit ut pauper homo; in circumcisione, ut pauper et peccator homo; sed hodierna die,

Digitized by Google

ut pauper, et peccator, et servus. Ut pauper quidem in eo quod pauperum oblationem elegit; ut peccator vero, in eo quod ipse cum Matre per oblationem expiari voluit; ut servus autem, in eo quod redimi se fecit.

27 TEMPLUM INGREDIENTIBUS TRIA SUNT NECESSARIA : PURGATIO, UNIO CUM ECCLESIA ET RECTA INTENTIO. — Et quia, ut visum est, post circumcisionem Filii, et purgationem Matris, *tulerunt Jesum in Jerusalem, ut sisterent eum Domino;* sciendum est et diligenter advertendum, quod ex prædictis tribus moraliter instruuntur fideles, ut cum templum Dei materiale, id est ecclesiam, ingredi voluerint, in ipsis tribus circumstantiis se debeant beatæ Virgini et Christo conformare : ut videlicet sint a peccatorum scoria purgati et circumcisi, quoad primum; sint brachiis sanctæ matris Ecclesiæ deportati, quoad secundum; sint rectæ intentionis fine ordinati, quoad tertium. Primo ergo, ingressuri ecclesiam, debent a peccatorum scoria esse purgati, et circumcisi. Nam beata Virgo, antequam ingrederetur in templum, post partum sui immaculati Filii, dies purgationis implevit; ipse etiam Filius, antequam induceretur in templum, circumcidi voluit. Non quod Mater purificatione indigeret, aut Filius circumcisione; cum illa non suscepto semine conceperit, et ipse ex intacta Virgine natus fuerit; uterque tamen in hoc Legem servare voluit, ut nobis daretur forma purgationis et circumcisionis spiritualis; quia purificari et circumcidi debemus a vitiis, antequam ecclesiam ingrediamur, et Deo offeramur, si volumus quod ei nostra placeat oblatio; quia, secundum *Bedam,* nemo, nisi purificatus et circumcisus a vitiis, Dominicis est dignus conspectibus. Ex quo trahitur documentum quod nullus ingredi debet ecclesiam, cum conscientia mortalis criminis, nisi prius sit confessus, vel saltem contritus, si non adsit copia confessoris; et quod ingressuri ecclesiam, prius debent purificari a peccatis, saltem generali contritione, etiamsi non habeant conscientiam certi peccati, cum bonarum mentium sit culpam timere, ubi culpa non existit, exemplo beatæ Virginis, purificatione minime indigentis. Propter quod consuetudo est, quod aqua benedicta habetur ante fores Ecclesiæ, ut ingressuri, ejus aspersione purificentur, etiam a venialibus, qui de mortalibus sibi conscii non existunt. In cujus figura labium, cum aqua, erat ante ostium tabernaculi, et ibi Aaron et filii ejus ingressuri tabernaculum, lavabant manus et pedes. — Secundo, debent esse brachiis sanctæ matris Ecclesiæ supportati, sicut Christus portatus est in templum brachiis suæ Matris, ut de fidelibus digne ecclesiam ingredientibus, dicat ipsa mater Ecclesia, illud Oseæ : *Portabam eos in brachiis meis.* Extra ista autem brachia unitatis Ecclesiæ, sunt hæretici, qui aberrant a fide; schismatici, qui deviant a charitate, et omnes excommunicati, qui præscissi sunt ab unitate Ecclesiæ. Hi enim omnes quia non portantur in brachiis matris Ecclesiæ, non sunt idonei ad ingressum ejus : nam, ut dicit *Cyprianus,* non potest habere Deum patrem, qui matris Ecclesiæ non tenet unitatem. Frustra ergo et indigne ecclesiam materialem ingreditur, qui inter brachia Ecclesiæ mysticæ non constringitur. — Tertio, debent esse rectæ intentionis fine ordinati, ut videlicet causa devotionis et orationis, ingrediantur ecclesiam : non causa vanæ simulationis, sicut hypocritæ; non causa ostentationis et inanis gloriæ, sicut

Digitized by Google

illi qui se ornant in vestibus et aliis, ut appareant hominibus; non causa lasciviæ, sicut qui vadunt ad ecclesiam, ad videndum mulieres vel viros, ut et concupiscant et concupiscantur; non causa vanitatis et solatii, sicut qui vadunt ad ecclesiam, ut vacent vanis colloquiis, cachinnis, et levitatibus; non causa quæstus et avaritiæ, sicut clerici qui vadunt ad ecclesiam, solum propter præsentias sibi dandas; vel qui vadunt ad negotiationem, et causa lucri temporalis. Hi enim omnes, quia finem debitum non intendunt, non sunt digni ingredi in templum; quia ingredientes non sistunt se Domino, nec veniunt spiritu in templum. Unde non vident Christum, nec eum amplexari possunt spiritualibus animæ brachiis. Et nota, secundum *Bedam*, quod ille post circumcisionem Jerusalem allatus, et Domino oblatus est, qui juxta eum qui dixit : *Declina a malo et fac bonum*, postquam desiit a peccatis, bonis cœpit operibus abundare, qui dicere potest : *Oculi mei semper ad Dominum, ut audiam vocem laudis tuæ;* qui dicit : *Christi bonus odor sumus;* et : *Levavi manus meas ad mandata tua, et converti pedes meos in testimonia tua;* qui sive manducat, sive bibit, sive aliud quid agit, omnia in gloriam Dei facit, et dicit : *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua, Domine;* et ad extremum : *Cor meum, et caro mea exsultaverunt in Deum vivum.*

28 TEMPLI SANCTIFICATIO PER CHRISTUM. — Quare autem Salvator in templum portari voluit, præter rationes alias, potest esse ratio, ut per suam præsentiam templum sanctificaret; sicut baptizatus est, ut ipse aquas sanctificaret. Unde, sicut per Baptismum Christi, non solum sanctificata est illa pars aquæ Jordanis, quæ tetigit carnem Christi, sed et omnes aquæ; sic per ejus delationem in templum illud in Jerusalem, sanctificata sunt omnia templa in ejus nomine dedicata. Propter quod statutum est quod in ecclesiis, debet haberi etiam corporalis Christi præsentia, videlicet in Sacramento; unde etiam ibi reconduntur reliquiæ Sanctorum; ibi etiam ministeria fiunt Angelorum. Et ideo dignum est ut ecclesiæ in veneratione habeantur, et non nisi cum summa reverentia et devotione frequententur; unde, secundum Psalmistam : *Domum Dei decet sanctitudo.*

29 TEMPLI MENTALIS SEU ANIMÆ DIGNITAS QUATUOR EX CAUSIS. — Possunt autem hæc exponi de templo mentali, in quod Verbum æternum quotidie inducitur a devotis fidelibus, de quo ait Apostolus : *Templum Dei sanctum est, quod estis vos.* Et quia nobilitas cujuslibet rei, ex ejus causis colligitur; hinc est quod hujus templi nobilitas colligatur ex quatuor causis, scilicet : ex efficientis dignitate, ex materiæ pretiositate, ex formæ speciositate, et ex finis honorabilitate. Primum patet, quia hoc templum, quod est mens animæ rationalis, est ab ipsomet Deo immediate creatum. Et hoc arguit maximam animæ nobilitatem; nam ad creandam animam, Deus non advocavit aliquam creaturam, sed ipsa Trinitas semetipsam invitavit, dicens : *Faciamus hominem.* Non enim hoc verbum direxit Deus ad Angelos, ut dicit *Augustinus,* sed ipse Pater ad alias personas in divinis; et ex hoc ostenditur hoc esse opus singulare ipsius Trinitatis. — Secundum patet, quia non ex aliqua præjacente materia facta est anima, sed ex nihilo. In omnibus enim rebus creatis, non inveniebatur aliquod materiale ita nobile, ut ex

Digitized by Google

eo posset fieri anima rationalis. Non quidem terra, vel aliquod aliorum elementorum, nec cœlum, puta sol, luna, stellæ seu aliquod corporum cœlestium fuit dignum intrare in compositionem animæ rationalis, ut materiale principium ejus esset, quæ longe altior et nobilior eis extitit. Et ideo facta est ex nihilo, quod ad maximam nobilitatem ei cedit. — Tertium patet, nam forma rationalis animæ est nobilissima, cum sit imagine Dei insignata. Non enim Deus impressit animæ imaginem alicujus rei creatæ, sed formam sui ipsius, ita quod ipsa forma animæ rationalis, non est aliud quam quædam relucentia ipsius beatissimæ Trinitatis. Nec poterat beata Trinitas magis animam rationalem nobilitare, quam quod eam sibi assimilavit, et propriæ imaginis formam ei impressit, ut quia similitudo est causa dilectionis, sic et anima omnem affectum dilectionis in ipsum converteret, cum nihil sibi simile in rebus creatis inveniret. — Quartum patet, nam Deus non ad alium finem creavit animam, quam propter seipsum, ut videlicet esset habitaculum suum, juxta illud Psalmistæ : *Quoniam elegit Dominus Sion,* id est animam speculatricem, *elegit eam in habitationem sibi.* Et quoniam ad hoc eam elegit, summe ejus inhabitationem concupiscit, juxta illud Proverbiorum : *Præbe, fili, cor tuum mihi ;* et alibi : *Deliciæ meæ esse cum filiis hominum.* Unde quandocumque Deus, hujusmodi animam digne præparatam invenerit, quasi voto potitus, dicit illud Psalmistæ : *Hæc requies mea in seculum seculi : hic habitabo ; quoniam elegi eam.*

3o Unde exhortatio ad non peccandum. — O igitur fidelis anima, si nobilitatem tuam, ex omnibus præmissis causis attenderes, utique nunquam peccares ! Unde *Bernardus* : « Si nobilitatem tuam cognoscis, o anima mea, peccatum abominaris. » Et certe in tantum consideratio nobilitatis animæ, ducit in abominationem peccati, quod etiam non habendo respectum ad præmia vel ad pœnas, adhuc induceret ad non peccandum ; quia anima nobilis, omnia ista caduca reputat nimis vilia et indigna ad hoc, ut ipsa eis velit coinquinari. Et hæc est quædam sancta et nobilis superbia animæ generosæ, quam etiam habuit ille gentilis *Seneca,* qui dixit : « Si scirem Deos ignosciturос et homines ignoraturos, adhuc, propter peccati vilitatem, peccare dedignarer. » Hoc igitur templum Dei mentale debet esse ornatum et depictum variis coloribus virtutum, videlicet : colore albo castitatis, rubeo voluntariæ pro Christo passionis, croceo spiritualis jucunditatis, viridi virtuosi exercitii, blaveo cœlestis desiderii, aureo charitatis, demum nigro humilitatis. In istud igitur templum sic compositum, sic ornatum, debemus inducere puerum Jesum Verbum æternum, ibique debemus offerre pro eo par turturum, aut duos pullos columbarum, id est geminam dilectionem, Dei videlicet et proximi ; vel solitudinem contemplationis, et publicum actionis ; aut castitatem mentis et corporis, quia turtures sunt aves castissimæ ; aut multiplicationem bonorum operum, quia columbæ sunt aves in prole fecundæ. Debemus etiam eum cum Simeone portare in ulnis, amplexando cum brachiis veri amoris. Debemus nihilominus eum benedicere, pro omnibus beneficiis menti, in hujusmodi prægustatione divinæ dulcedinis exhibitis ; ut sic desiderio dissolutionis affecti, beatam

Digitized by Google

fruitionem Verbi æterni expectemus, cantantes canticum jubilosum cum Simeone, et dicentes : *Nunc dimittis servum tuum, Domine, secundum verbum tuum in pace.*

31 Solemnitatis hodiernæ magnitudo. — Magna est ergo præsens solemnitas propter multa quæ in ea facta sunt, quam tamen tria specialiter attollunt : primum est, Christi in templum inductio præsentialis ; secundum est, parentum ejus pro eo oblatio legalis ; tertium est, Simeonis senis consolatio salutaris. Et secundum hæc tria, festum istud sortitur tria vocabula. Nam ratione primi, dictum est *Hypapantis,* Græce quod idem est quod præsentatio; eo quod ipso die Christus præsentatus est in templo. Ratione secundi, dicitur festum *Purificationis;* eo quod tunc beata Virgo pro sui purificatione secundum Legem, licet non indigeret, oblationem fecit. Ratione tertii, dicitur et *Candelabra,* vel festum luminis; eo quod hodie candelas benedictas et accensas in manibus gestamus, repræsentantes et sectantes in hoc devotionem Simeonis.

32 Templi Jerusalem in monte Moria constituti præconia. — Hoc templum Domini sanctum, de quo hic dicitur, in monte Moria est constitutum, in quo voluit Abraham immolare Isaac filium suum ; in quo etiam loco Jacob dormiens, vidit scalam erectam usque ad cœlum. In hoc quoque monte, videns David Angelum stantem et cædentem populum, in terram corruit; et pœnitens graviterque se affligens a Deo veniam meruit. In hoc monte, area Areunæ Jebusei erat, quam David ad constituendam ibi domum Domini emerat, eo quod misericordiam in illo loco consecutus fuerat. In hoc sancto loco cum Salomon, opere consummato, Domino sacrificia offerret, nebula implevit domum, et *apparuit gloria Domini, et ignis descendens de cœlo, devoravit holocausta.* Cum autem ibi, flexis genibus et manibus ad cœlum expansis, Salomon Dominum orasset, ut quicumque beneficia petiturus ingrederetur, preces ejus a Domino reciperentur, apparuit ei Dominus, dicens : *Audivi orationem tuam; elegi enim et sanctificavi locum istum.* In hoc loco Heliodorus a rege Antiocho missus, ut locum sanctum violaret et spoliaret, flagellatus, et sine intermissione multis plagis vulneratus, verberatus est. Templum autem Domini vocatur, quia in eo sacrificia Domino offerebantur ; sed modo consecratum est in honorem Salvatoris mundi, et Genitricis ejus Mariæ. Quod licet primo a Babyloniis, et postea a Romanis fuerit destructum, a fidelibus tamen et religiosis viris, opere rotundo, in eodem loco, magnifice et miro artificio est iterum reparatum. In hoc loco beata Virgo, cum aliis virginibus, dicitur ministrasse, templi cortinas et vestimenta sacerdotalia præparando, litteras sacras addiscens, jejuniis, vigiliis, orationibus et divinarum lectionum studiis vacans. In hoc loco, dum sanctus Zacharias incensum Domino offerret, apparuit ei Angelus, nuntians sibi orationem suam esse exauditam, et Joannis nativitatem futuram. In hoc loco, ut hic dicitur, Dominus noster Jesus Christus a parentibus est oblatus, a Simeone susceptus, a sancta Anna vidua, *omnibus qui expectabant redemptionem Israel,* annuntiatus. In hoc templo Jesus, cum jam duodecim esset annorum, inventus est, ad disputationem sedens, in medio doctorum. Supra pinnaculum hujus templi, Jesum diabolus statuit, et ut se deorsum mitteret, tentando

Digitized by Google

suggessit. Ab hoc templo, vendentes et ementes ejecit, ac mensas nummulariorum, et cathedras columbas vendentium evertit. In templo hoc, dum moraretur in Jerusalem, docebat Judæos, licet eum æmulantes. In templo hoc, liberavit adulteram ab accusantibus eam. Imminente etiam ejus passione, tota die erat in templo hoc docens, et vespere in Bethaniam secedens. Hujus templi velum in morte ejus scissum est a summo usque deorsum, ut pateret introitus ad sancta sanctorum. Ab hujus templi pinnaculo, versus meridiem, beatus Jacobus Apostolus, primus sub gratia, Jerosolymorum Episcopus, prædicans præcipitatus, pertica fullonis percussus, martyrio est coronatus. Inter hoc templum et altare, quod est ante templum, foris, in atrio, ad meridiem, Zacharias filius Barachiæ, martyr occubuit. Ipsum vero templum rotundum constat ex octo parietibus conclusum, exterius per circuitum, interius vero ingentibus columnis marmoreis per trivium; in medio quoque, ipsa altitudine, in modum fornacis est obductum. Est autem intrinsecus scriptum in supremo ordine : *Audi, Domine, hymnum et orationem, quam servus tuus orat coram te hodie, ut sint oculi tui aperti super domum istam, die ac nocte.* In unoquoque vero pariete, extrinsecus scripti sunt singuli istorum versuum in circuitu, ita ut per totam civitatem legi possint. Contra civitatem : *Pax* æterna, ab æterno Patre, sit *huic domui.* Contra templum militum : *Bene fundata est domus Domini, supra firmam petram.* Contra Bethaniam : *Non est hic aliud nisi domus Dei, et porta cœli.* Contra montem Oliveti : *Beati qui habitant in domo tua, Domine.* Contra vallem Josaphat : *Benedicta gloria Domini de loco sancto ejus.* Contra claustrum templi : *In templo ejus omnes dicent gloriam.* Contra montem Sion : *Templum Domini sanctum est; Dei agricultura est; Dei ædificatio est.* Item contra civitatem : *In domum Domini* lætantes *ibimus.* Hoc templum in parte urbis inferiori et vicina muri ad orientem, nec longe a muro, ad meridiem est situm. In hujus templi ecclesia, solebant esse cum abbate canonici regulares, secundum regulam beati Augustini, Domino servientes. Non longe autem ab hoc templo Domini, est templum aliud immensæ quantitatis, et altitudinis, quod *domus saltus,* id est de lignis Libani dicitur, et templum Salomonis vocatur : quia Salomon ibi docebat, et judicia faciebat; et ad distinctionem alterius prædicti, quod specialiter appellatur templum Domini.

33 Joseph et Maria a Jerusalem recedunt. — Ut ergo Maria et Joseph *perfecerunt omnia* quæ *secundum Legem* debebantur, nihil omittentes, quamvis non tenerentur, recesserunt de Jerusalem volentes *reverti in Galilæam, in civitatem suam Nazareth.* Erat quidem, ut dicit *Theophilus,* eorum civitas Bethlehem sicut patria; Nazareth vero tanquam habitaculum. Vade et tu semper cum eis, et adjuva puerum Jesum, et servias eis in quibus poteris.

ORATIO

O Jesu desiderabilis, qui in templo te justo Simeoni, te ad videndum desideranti, ad amplexandum misericorditer tribuisti, veni, Jesu dulcissisme, et toto desiderio te exspectanti, teipsum clementer indulge, et quidquid im-

Digitized by Google

puritatis in me inveneris, per gratiam purificantem expelle; et cor meum templum tuum, dignanter inhabitando, perfice: ibi te brachiis desiderii amplexer et teneam. Da mihi semper desiderare te fontem luminis, qui es apud Patrem; et non prius de hac vita exeam, quam te oculis cordis videam, qui es amor et desiderium, vita et præmium te desiderantium. Amen.

CAPUT XIII

De fuga Domini in Ægyptum, et necc Innocentium.

Matthæi cap. 2.

1 Apparitio Angeli ad monendum Joseph de perverso Herodis consilio. — Cum ergo Maria et Joseph pergerent versus Nazareth, nescientes adhuc super hoc consilium Domini, et timor jam de Puero inciperet dilatari, *Angelus Domini apparuit in somnis Joseph, dicens ei,* ut surgens acciperet Puerum, et Matrem ejus, et fugeret in Ægyptum; *futurum est enim ut Herodes quærat Puerum ad perdendum eum.* Quoniam ad humilitatem perfectam, trium specialiter adornari decet comitatu virtutum, scilicet: paupertatis in fugiendo divitias, ut fomenta superbiæ; patientiæ vero in æquanimi perpessione contemptus; obedientiæ quoque in alienis parendo mandatis; ideo supernæ revelationis oraculo, Jesus in Ægyptum transfertur, ut peregrinus et pauper; in parvulis, ipsius causa occisis, occiditur et quasi in quolibet trucidatur; et ad patriam reductus adeo erat subditus parentibus, ut nunquam vel ad momentum secederet, nisi cum duodecim factus annorum remansit in Jerusalem, non sine Matris dolore quæsitus, nec sine gaudio inventus. Joseph vero evigilans, Matrem excitat, et quæcumque ipse ab Angelo audierat, ei narrat. Ipsa vero incontinenti, et nulla mora contracta, surrexit, et ad iter arripiendum se disposuit. Concussa sunt enim ad hanc vocem omnia viscera ejus, et etiam circa salutem Filii, nolebat negligens saltem inveniri. Conspice et meditare ista, et quomodo puerum Jesum dormientem Mater elevat, et Puer, sic importune excitatus, plorat; et compatere ipsis, si qua in te sunt viscera pietatis! Cogita quæ consolatio Matri esse poterat, quando ipsa puella delicata, quæ de partu recenter surrexerat, in terram longinquam, per vias asperas et incognitas, cogebatur fugere, quando Puerum tenellum, sic per vias longas cogebatur circumferre; quando inter idololatras compellebatur manere.

2 Cur Christus in Ægyptum fugerit? — Igitur de nocte versus partes Ægypti ire cœperunt, quia nox magis quam dies fugæ competit; ut sic negotium magis occulte fieret, et secretius pericula eminentia evaderent, ne scilicet fuga a videntibus accusari apud regem posset. Licet enim de hoc haberent revelationem divinam, non tamen

Digitized by Google

propter hoc debebant omittere, quod poterant facere secundum viam humanam. Ecce fugit Christus et nocte fugit, ut fuga quæ per se difficilis est, noctis obscuritate difficilior fiat. Fugit autem in Ægyptum, ut eos specialiter illuminaret præ ceteris et sanaret. Unde *Augustinus :* « Audi etiam magni mysterii sacramentum. Moyses quandoque in Ægypto, perfidis clauserat diem; illuc Christus adveniens, sedentibus in tenebris reddidit lucem. » Unde et *Chrysostomus :* « Sed quare in Ægyptum? Recordatus est enim Dominus, qui in finem non irascitur, quanta mala fecerat super Ægyptum; ideo misit Filium suum in eam, dans illi reconciliationis signum et perpetuæ amicitiæ pignus, ut decem plagas Ægypti una medicina sanaret. *O mutatio dexteræ Excelsi,* ut populus qui ante fuerat persecutor populi primogeniti postea fieret custos Filii Unigeniti! » Et iterum : « In Ægyptum Parvulus mittitur, ut illam regionem quæ præ omnibus terris, flamma impietatis ardebat, igne potius fidei succenderet, ex his persuadens etiam, de aliis mundi partibus speranda esse meliora, et ut etiam addiscamus quod ab ipsis vitæ initiis, ad tentationes debeamus atque insidias præparari. Nam ab ipsis cunabulis Christi istud effectum est, ut tu videlicet hoc audiens, cum videris te tribulationes varias et mille sustinere discrimina, nihil omnino turberis; sed ut isto munitus exemplo viriliter cuncta sustineas, sciens tribulationes maximas inseparabiles quasdam comites esse virtutum : » hæc *Chrysostomus.* Ideo etiam fugit in Ægyptum magis quam in aliam terram, ut ostenderet se verum Moysem : ut sicut Moyses populum Dei de Pharaone et Ægypto liberans in terram duxit promissionis, ita ipse populum fidelium de diabolo et inferno liberans, secum ad regnum duceret beatitudinis.

3 HIC CONSIDERANDUM, PRIMO, QUOD DOMINUS IN SUA PERSONA SUSCEPIT ADVERSA ÆQUE AC PROSPERA. — Multa quidem bona considerare potes in præsenti negotio et materia. Primo, considera quemadmodum Dominus in sua persona sicut prospera, suscepit etiam adversa. Etenim in nativitate sua, magnificatus fuit a pastoribus, tanquam Deus; et parum post circumcisus fuit, tanquam peccator. Deinde venientes Magi eum plurimum honoraverunt; et ipse nihilominus, in stabulo remanens, inter bestias stabat, et ut cujusdam homunculi filius plorabat. Postea præsentatum in templo, Simeon et Anna extulerunt quam plurimum; et tunc ab Angelo dicitur quod fugiat in Ægyptum. Et multa talia in vita sua poteris perpendere, quæ ad nostram instructionem possumus retorquere. Unde *Chrysostomus :* « Misericors Deus mœstis rebus quædam etiam jucunda permiscet, quod certe in Sanctis omnibus facit, quos neque tribulationes, neque jucunditates sinit habere continuas; sed tum ex adversis, tum ex prosperis justorum vitam, quasi admirabili quadam varietate contexit : quod hic quoque eum fecisse considera. Videndo quippe sanctus Joseph gravidam sponsam, in turbationem incidit maximam. Sed affuit repente Angelus, suspicionem solvens, et timorem prorsus extinguens. Deinde videns Puerum signo natum, maxima exsultatione repletus est. Sed rursus huic gaudio periculum grande successit, cum tota civitas turbaretur, et ipse rex fureret. Sed et hunc mœrorem rursus lætitia subsecuta est, apparitio videlicet stellæ, et adoratio Magorum. Post hanc quoque jucunditatem, iterum periculum, iterumque formido. Quærit

Digitized by Google

Herodes animam Pueri, et fugere necesse est, et in loginqua pertransire : » hæc *Chrysostomus*. Cum ergo consolationem habueris, tribulationem exspecta, et e converso. Unde nec in consolationibus debemus extolli, nec in tribulationibus frangi. Dat enim nobis Deus consolationes, ad spem sublevandam ne deficiamus; et tribulationes ad humilitatem conservandam, ut cognoscentes nostram miseriam, semper in suo timore stemus.

4 SECUNDO, QUOD JOSEPH ET NON MATRI FUGA NUNTIATUR. — Secundo, considera circa Dei consolationes et beneficia, quod qui ea percipit, non percipienti se præferre non debet : et qui non percipit, non dejiciatur animo, nec percipienti invideat. Nam et Angelorum locutiones fiebant Joseph, et non Matri, cum tamen longe esset ea inferior. Item et qui percipit, si non percipit pro suo velle, non debet esse ingratus, vel murmurare, cum etiam Joseph, qui tantus erat apud Deum, non palam, sed in somnis, tales locutiones acciperet.

5 TERTIO, QUOD AFFLICTIONES ETIAM SUIS DEUS IMMITTIT. — Tertio, considera qualiter Deus permittit suos persecutionibus et tribulationibus vexari. Et vere magna erat tribulatio Matri et Joseph, cum viderent puerum Jesum ad occisionem quæri. Quid enim gravius audire poterant? In hoc etiam tribulatio erat, quod terram loginquam quam ignorabant, et per vias asperas eos ire oportebat, cum essent inhabiles ad eundum, Domina propter juventutem, Joseph vero propter senectutem, ipse etiam Puer quem portare habebant, adhuc tenerrimus erat. Peregrinari quoque habebant in terra aliena, pauperes et quasi nihil habentes. Omnia enim ista sunt afflictionum materia. Tu quoque cum turbaris, patientiam habe, nec credas tibi a Deo privilegium dari, quod nec sibi tribuit, nec Matri.

6 QUARTO, QUOD BENIGNUM DOMINUS SE OSTENDIT. — Quarto, considera benignitatem Domini. Vides quam cito persecutionem patitur, et fugatur de terra nativitatis suæ, et quam benigne cedit furori illius, quem poterat in momento perdere. Magna patientia Domini, sed non minor ejus humilitas. Ille enim ante faciem persecutoris fugit, cui Angeli ministrant. Deus est; sed ut homo fugit Herodem miserum, qui refugium est omnium. Profunda hæc ejus humilitas, et mira patientia : nolebat persecutori vicem reddere, nec eum offendere, sed fugiendo insidias vitare. In quo dedit nobis exemplum, ut et nos sic facere conemur, scilicet adversantibus vel persequentibus non resistere, vel de ipsis vindictam expetere : sed patienter expectare, et furori ipsorum cedere, et quod plus est, ut alibi docet, pro eis orare. Quia enim Dominus, ne occideretur, sublatus est in Ægyptum, significat electos sæpius malorum improbitate, suis e sedibus effugandos, vel etiam exilio damnandos. In quo etiam debilibus exemplum reliquit, et eos ad patientiam confortavit. Nam quod fugit, sacri fuit exempli, non timoris, ut exemplum daret suis, maxime cum fuga et conservatio prælati prodest Ecclesiæ, ut Pauli; et quando grex non periclitatur de fuga prælati.

7 MORALITER QUID SIGNIFICET FUGA DOMINI ? — Moraliter per fugam istam in Ægyptum, significatur fuga justi a periculo et perditione peccat in statum pœnitentiæ, ubi debet manere usque ad obitum Herodis, id est, donec cessent impugnationes hostis. Fugiebat quoque Dominus ante faciem servi sui imo potius servi diaboli, non quod mortem timeret, sed ut tempore congruo

Digitized by Google

sustineret. Non enim fugit mortem, qui mori venerat, nec insidias expavit, qui insidias et versutias diaboli aperire venerat.

8 LONGITUDO ET DIFFÍCULTAS ITINERIS. — Portavit eum Mater tenera et juvenis valde, et sanctus Joseph multum senex in Ægyptum, per viam silvestrem, obscuram, nemorosam, et inhabitatam, et per viam valde longam. Dicitur enim quod ad iter cursoris sunt duodecim vel quindecim dietæ, pro eis autem forte erat duorum mensium vel plurium. Fuerunt autem, ut dicitur, per desertum illud, per quod filii Israel transierunt, in quo et quadraginta annis steterunt. Sed quomodo de victu secum portando faciebant? Ubi etiam et quomodo de nocte hospitabantur et quiescebant? Raro enim domos in illo deserto inveniebant. Compatere ergo eis; quia labor difficilis, magnus et longus, et tam Puero quam ipsis; et vade cum eis, et adjuva portare puerum Jesum, et in omnibus quibus poteris, exhibe eis ministerium. Non debet videri nobis labor pœnitentiam agere pro nobis ipsis, pro quibus labor tantus ab aliis et a talibus et toties est assumptus. Unde *Anselmus* : « Noli in tua meditatione fugientem in Ægyptum relinquere in comitatu. Inspiciat oculus devotionis parvulum Jesum dulces mammillas gloriosæ Virginis, Matris suæ, dulciter sugentem, et mammillas maternas filiali more tractantem. Quid visu jucundius? Quid delectabilius? Quid suavius? Cerne illum qui immensus est, parvulis brachiis ad materna colla pendentem, et dicas : Felix sum, feliciorque, dum illum video quem *reges voluerunt videre, et non viderunt.* Dignus est visu, qui *speciosus* est *forma præ filiis hominum.* Cogita et recogita, quo animo, et qua cogitatione tenebatur illa dulcissima Mater ejus, cum illum Dominum, tantum ac tantillum in brachiis suis, exsultans et læta, teneret; cum ei ut infantulo gestienti, dulcibus osculis ac frequentibus congauderet, cum eum lacrymantem super genua sua, quibus poterat modulis consolaretur, cum denique aliis atque aliis studiis, ad quæ ipsam materna pietas informabat, ei pro qualitatum vicissitudinibus sedula blandiretur.

9 MARIA ET JOSEPH IN LATRONES INCIDUNT. — Item ulterius notandum est, qualiter Maria in via apprehensa est cum puero Jesu a latronibus. Opinare verum esse quod dicitur eum esse a latronibus comprehensum in via, et adolescentuli cujusdam beneficio ereptum. Erat is, ut dicunt, principis latronum filius, qui præda potitus, cum Parvulum Matris gremio aspexisset, tanta in ejus speciosissimo vultu splendoris majestas apparuit, ut eum supra hominem non esse ambigens, incalescens amore, amplexatus est eum. Et : O, inquit, Beatisssime parvulorum, si aliud se tempus obtulerit rursus miserendi, tunc memento mei, et hujus temporis noli oblivisci! Ferunt hunc latronem fuisse, qui ad dexteram Dei crucifixus, alterum blasphemantem corripuit, dicens : *Neque tu times Deum quod in eadem damnatione es. Et nos quidem juste : hic vero nihil mali gessit.* Conversus vero ad Dominum, eum in illa, quæ in Parvulo apparuit, intuens majestate, pacti sui non immemor : *Memento,* inquit, *mei, dum veneris in regnum tuum.* Itaque ad incentivum amoris, hac non inutile arbitror uti opinione, remota omni affirmandi temeritate : » hæc *Anselmus.*

10 DE NECE PUERORUM BETHLEHEMITARUM. — Herodes autem, cum Magi quos æstimabat per eamdem viam regressuros, ad eum non re-

Digitized by Google

verterentur, et nihil sibi renuntiarent, putavit eos visione stellæ deceptos, et erubuisse ad eum redire, et ideo cessavit a Pueri inquisitione; vel tot et tantis occupationibus regia cura distendebatur, ut a Pueri inquisitione averteretur vel impediretur. Sed cum postmodum audiret quæ in templo gesta essent, quid Simeon dixerit, et quid Anna prophetaverit, tunc fama Pueri nati crescente, turbatus ex his, magis timuit. Et *videns quoniam illusus esset a Magis,* ad ipsum non redeuntibus, *iratus est valde :* tum propter sui contemptum, tum propter timorem amittendi regnum, ideo de morte puerorum Bethlehemitarum tractavit, ut cum illis occideretur ille qui incognitus sibi fuit. Putabat enim quod si omnes pueri occiderentur, unus, quem quærebat, evadere non posset; non æstimans, infelix, quia *non est consilium, non est sapientia, non est prudentia contra Dominum.* Dum ergo de nece puerorum disponeret, per epistolam hortatus est a Cæsare Augusto ut Romam veniret. Qui cum iter faceret per Ciliciam, audiens naves Tharsensium Magos transvexisse, iratus valde in spiritu vehementi, id est in ira, comburi et conteri fecit naves de Tharso Ciliciæ quibus Magi credebantur occulte rediisse, secundum quod David prophetaverat, dicens : *In spiritu vehementi, conteres naves Tharsis.* Et de Roma reversus Jerosolymam, misit speculatores, et jussit occidi *omnes pueros, qui erant in Bethlehem Judæ, et in omnibus finibus ejus,* et locis adjacentibus, *a bimatu et infra,* id est biennes et minoris ætatis, usque ad puerum diei, seu noctis unius, *secundum tempus quod a Magis* de ortu stellæ *exquisierat;* ut nec loco, nec tempore celaretur qui natus erat, quorum maxima pars, tertio milliario a Bethlehem, ad Austrum, sepulta est. Bimatus, spatium duorum annorum dicitur, a *bis* et ὑμάτος Græce quod est *annus* Latine : etinde *bimatus,* quasi *binus annus* appellatur; unde dicitur, bimus, bima, bimum, scilicet animal duorum annorum, et trimus, trima, trimum, annorum trium. Inter opiniones diversas, plurium sententia, et usitatior hæc est, quod Herodes, evoluto anno post Christi nativitatem, occidit infantes, et quod stellam eadem die qua natus erat Dominus, ortam didicerat, et secundum ortum stellæ Dominum anniculum, et insuper aliquot dierum esse sciebat : ideoque supra ætatem ejus, usque ad bimos et infra, usque ad unius diei seu noctis, in infantes desævit pueros; timens ne Puer cui sidera famulabantur, paulo supra ætatem suam, vel infra speciem suam transformaret, ut ætatem sui temporis occultaret. Sic ergo post annum, et quatuor a nativitate Domini dies, verisimile est eum occidisse infantes.

11 Impletio prophetiæ Jeremiæ. — Tunc impletum est illud Jeremiæ : *Vox in Rama audita est, ploratus et ululatus,* etc. Rama non est hic proprium nomen loci, sed est hic nomen commune, ac interpretatur et significat *excelsum.* Ut sit sensus : *Vox in excelso audita est,* id est, longe lateque dispersa : quia multum exaltata, circumquaque diffundebatur, præ sua magnitudine immensa. Multus enim *ploratus,* quantum ad fletum parvulorum, *et ululatus,* quantum ad lamentum matrum, ibi erat, ubi tot parentes, tot homines utriusque sexus, visa tanta crudelitate, etiam si vellent voce cohibere, non poterant. In parvulis autem, mors faciebat finem doloris; in matribus vero, semper per memoriam reparabatur; et ideo dicit : *Ululatus multus.* Vel *in excelso*

Digitized by Google

audita est, quia de morte Innocentium mittebatur, quorum sanguis usque ad cœlos contra interfectores eorum clamavit, secundum illud : *Vox pauperis penetrat nubes.* Quamvis autem Bethlehem sit in tribu Juda, orta de Lia ; et Jerusalem in tribu Benjamin, orta de Rachel ; plorare tamen dicitur Rachel filios Judæ, id est Bethlehem, quasi suos, sive quia juxta Bethlehem in Ephrata sit sepulta, ac ratione sepulturæ, et ex materni corpusculi hospitio, nomen matris accepit, et dicta est mater ipsius Bethlehem, et habitantium in ea ; sive quia Juda et Benjamin duæ tribus junctæ ac vicinæ sibi et proximæ erant ; quia juxta se hæreditatem acceperant ; et funiculus sortis Benjamin prope Jerusalem perveniebat, et Herodes præceperat, non solum in Bethlehem, sed et in omnibus finibus ejus, interfici pueros. Et per occisionem Bethlehem, intelligimus multos Rachel filios de Benjamin, pro victima fuisse occisos, quod Evangelista insinuat, ad exaggerandum scelus Herodis, quod ex effrenata crudelitate hoc fecit. Unde dicit *Rabanus :* « Crudelitas in nullo modum tenuit : non est contenta vastatione Bethlehem, sed adjacentia loca vastavit. »

12 RACHEL PLORANS ECCLESIAM MYSTICE SIGNIFICAT. — Ploravit autem *Rachel filios, et noluit consolari, quia non sunt,* id est, de hoc quod non essent, et super hoc quod mortui erant ; quia in æternum victuros esse sciebat. Rachel, quæ *ovis* vel *videns principium* dicitur, Ecclesiam significat, cujus tota intentio, ut Deum contempletur, invigilat, et ipsa est ovis centesima, quam pastor in humeris ad caulas reportat. Hæc ergo filios suos ploravit, quia pro persecutione fidelium gemit. Non vult autem consolationem recipere de hoc, *quia non sunt,* id est, quia non sunt mortui, ut qui viceruntseculum morte, rursus ad seculi certamina, secum toleranda, redeant iterum pugnaturi ; sed gaudet potius quia feliciter sunt, et regnant cum Christo per martyrium coronati. Plorat ergo Ecclesia bonos, ut martyres, quia videt eos injuste cruciari ; sed quia scit illos beatos, non vult temporaliter, sed æternaliter consolari. Plorat insuper etiam malos, ut impœnitentes, quia videt eos damnari ; et quia videt illos irremediabiliter perditos, non vult consolari.

13 MARTYRUM GENUS TRIPLEX. — Ubi sciendum quod triplex est genus martyrum. Quidam enim patiuntur voluntate et actu, ut Stephanus. Quidam voluntate non actu, ut Joannes evangelista. Tertii, non voluntate, sed actu, ut Innocentes, in quibus Christus, cujus vice mortui sunt, supplevit, si quid defuit voluntatis. Unde ordinantur eorum festa post nativitatem Domini, secundum majorem martyrii dignitatem : primo, Stephani ; secundo, Joannis ; tertio, Innocentium. Nam dilectus Ecclesiæ Christus, candidus in Joanne ; rubicundus, in Stephano ; electus ex millibus in Innocentibus. Innocentes ergo etsi usum rationis non habeant, et sic testificari non poterant, Christus tamen, cujus vice mortui sunt, supplevit si quid defuit voluntatis ; ipsi autem *non loquendo, sed moriendo,* testificati sunt. Laxato igitur vocabulo, martyres Christi, id est testes dicuntur. Quos enim testes Latine dicimus, Græce Μάρτυρες appellantur, non quia proprie testes Christi sunt, quia nec pro fide Christi, nec pro justitia occubuerunt ; sed quia pro fide Christi, id est loco Christi, occisi sunt ; quia in eorum numero Christus quærebatur occidi : in quo eum, etsi non loquendo, tamen moriendo, sunt confessi. Multis vero de

Digitized by Google

causis potest quis martyr fieri, scilicet : pro justitia, ut Abel; pro Lege Dei, ut Macchabæi; pro assertione veritatis, ut Isaias et Jeremias; pro argutione peccati, ut Joannes Baptista; pro salute populi, ut Christus; pro fide et nomine Christi, ut Stephanus; pro libertate Ecclesia, ut Thomas; pro Christo, seu loco Christi, ut hi pueri. Unde et Ecclesia pro his pueris solemnizat, quamvis ad inferos descenderunt, et ob hoc quædam cantica lætitiæ prætermittuntur. Unde *Chrysostomus* : « In Bethlehem, omnes occiduntur infantes, qui dum innocenter pro Christo moriuntur, primi Christi martyres extiterunt, et perfectæ laudis martyrium consequuntur. Unde non immerito infantes illi beati per omnia extiterunt, qui primi mori pro Christo meruerunt. » Unde et *Augustinus* : « O parvuli beati, modo nati, nunquam tentati, nondum luctati, jam coronati! » Et iterum : « Nunquam profanus hostis, beatis parvulis tantum prodesse potuisset obsequio, quantum profuit odio. Nam quantum contra eos iniquitas abundavit, tantum gratia divinæ benedictionis effulsit. Et dum, insequitur Christum, Regi nostro coævum procuravit exercitum stolis victricibus candidatum : » hæc *Augustinus*.

14 HERODIS IMITATORES. — Considera hic quomodo Christus, adhuc infans tenerrimus, jam cœpit pati in se et suis; et vehementer ei compatere, si qua in te sunt viscera pietatis. Unde *Anselmus* : « Sed et tenella hæc, Christe, tua infantia a persecutorum gladiis tuta non fuit. Adhuc enim inter dulcia Matris ubera sugens dependebas, quando apparuit Angelus in somnis Joseph, dicens : *Surge, et accipe Puerum et Matrem ejus, et fuge in Ægyptum; et esto ibi, usque dum dicam tibi; futurum enim est ut Herodes quærat Puerum ad perdendum eum.* Jam ex tunc, bone Jesu, pati cœpisti. Non solum autem illam animæ infantiæ vexationem in teipso pertulisti, sed etiam mortem in pusillis tuis, quorum multa millia inter mammillas matrum pro te Herodis trucidavit immanitas, excepisti : » hæc *Anselmus*. In rege Herode, crudelitas impiorum existimantium martyrum cæde posse religionem Christianam extinguere, et in occisione parvulorum cunctorum martyrum, qui parvuli, id est humiles et innocentes, occisi sunt ab impiis, forma præcessit. Sed non sic religio in Christo fundata extinguitur; quia, ut *Leo* ait, non minuitur persecutionibus Ecclesia, sed augetur. Unde, secundum *Bedam* et *Bernardum*, Herodiana malitia, et Babylonica crudelitas, est nascentem velle religionem extinguere, et parvulos Israelis allidere. Si quis enim quid ad salutem pertinens, si quis religionis et sanctitatis ortum, vel profectum, vel consummationem impedit, vel persequitur, talis plane cum Ægyptiis parvulos Israelitici germinis necare conatur, imo cum Herode nascentem Salvatorem persequitur. Quod autem nato Domino persecutio cœpit, significat per omne tempus vitæ præsentis, non deesse futuros, qui electos Dei persequerentur, sicut Dominus in Evangelio ait : *Si me persecuti sunt, et vos persequentur.* Et Apostolus : *Omnes qui pie volunt vivere in Christo, persecutionem patientur.* Quod vero pueri pro Domino occisi sunt, significat per humilitatis meritum, ad coronam martyrii esse veniendum; quia, ut Dominus ait : *Qui se humiliat, exaltabitur.* Puerorum enim innocentia humilitatem significat simplicium, de quibus ait Dominus : *Sinite parvulos venire ad me, talium est enim regnum cœlorum.* Quod autem occisi sunt, sed Chri-

Digitized by Google

stus evasit, insinuat corpora martyrum, ab impiis posse perimi ; sed Christum, pro quo persecutio sævit, nullatenus posse a fidelibus auferri : *Sive enim vivimus, sive morimur, Domini sumus.*

15 QUID MORALITER SIGNIFICET PUERORUM TRUCIDATIO ? — Moraliter occidunt pueros multos, et multipliciter, Pharao submergendo, Herodes detruncando, Antiochus suspendendo, Medi sagittando. In flumine submergente, significatur delectatio præsentis voluptatis ; in gladio detruncante, inflictio præsentis adversitatis ; in sagitta de longe percutiente, timor futuræ asperitatis ; in suspendio spes, sive ambitio futuræ prosperitatis. Sic ergo diabolus, qui Pharao, id est *dissipans per invidiam ;* qui Herodes, id est *glorians per superbiam ;* qui Medus, id est *mensurans,* scilicet culpæ pœnam per malam intentionem ; qui Antiochus, id est *silentium paupertatis per fraudulentiam ;* paupertatem enim celat, et divitias suggerit. Hic occidit pueros secundum quatuor affectiones, quæ sunt gaudium præsentis prosperitatis, et spes futuræ, tristitia præsentis asperitatis, et timor futuræ. Et est notabile quod interficiuntur pueri, in quo stultitia ; in Bethlehem, in quo abundantia ; a bimatu et infra, in quo superabundantia : et hoc compatiendo, luget Ecclesia.

16 IDOLA CONTERUNTUR, IN ÆGYPTUM INTRANTE DOMINO. — Cum autem Maria et Joseph cum puero Jesu intrarent Ægyptum, omnia idola illius provinciæ in templis suis corruerunt, sicut per prophetam Isaiam fuerat prophetatum. Tradunt enim, quod sicut in exitu filiorum Israel de Ægypto, non fuit domus Ægypti, in qua, Deo procurante, non jaceret mortuus primogenitus, ita nec modo fuit templum in Ægypto, in quo non corruisset idolum ; sicut et ante arcam Domini corruit Dagon idolum, cum arca appropinquasset ad ipsum. Spiritualiter etiam corruunt vitia, ingrediente Domino domum cujusque, prius desertam per peccata. Ut etiam dicitur in Scholastica historia, quando Jeremias in Ægypto per captivitatem ductus fuerat, prophetavit eis quod in futuro, quædam Virgo paritura esset, et tunc omnes dii, et omnia idola Ægypti ruerent. Egyptii ergo imaginem Virginis cum Puero sculpebant, et ipsi honores exhibebant. Hæc autem prophetia, modo quando Christus cum Matre intravit Ægyptum, est impleta, nam omnia idola Ægypti corruerunt, et Virginem, sicut prædictum fuerat, peperisse indicaverunt. Hoc idem præfiguratum fuit in Moyse et Pharaone, in confractione Dei sui Hammonis, et coronæ. Ut enim in Scholastica historia dicitur, Pharao rex Ægypti, coronam regalem habebat, in qua imago Dei sui Hammonis Ægyptii sculpta fuerat. Filia ergo Pharaonis, quæ Moysem puerum in filium adoptaverat, postea quadam vice decrevit, ut eum Pharaoni regi videndum præberet. Cui Pharao alludens, coronam suam imponebat, quam ille in terram projiciens penitus confringebat. Et cum eum occidere voluisset, dixerunt quidam quod puer hoc ex insipientia fecisset. Moyses, nutu Dei, salvatus est a nece Pharaonis ; sic Christus, nutu Dei, salvatus est de gladio Herodis. Moyses natus est, ut filios Israel educeret de Ægypto ; Christus homo factus est, ut eriperet nos de inferno. Moyses deum regis Ægypti cum corona confregit ; Christus omnia idola Ægypti, et deos in nihilum redegit. Hanc ruinam idolorum illa statua portendebat, quam rex Nabuchodonosor in somno videbat. De monte autem sine manibus quidam lapis est abscissus, et in

Digitized by Google

pedes illius statuæ, seu imaginis et idoli, est illisus, contrivitque eam, et in pulverem redegit, et postea idem lapis in montem magnum excrevit. Lapis iste significat Christum, qui abscissus est de monte sine manibus; quia natus de Maria sine tactibus maritalibus. Lapis iste, scilicet Christus, contrivit in Ægypto omnia idola, de quacumque erant materia. Et, confracta statua, lapis ille in montem magnum excrevit, quia destructa idololatria, fides Christi per totum mundum inolevit. Et Christus crevit in montem talem et tantum, quod summa immensitate replevit tam cœlum quam mundum.

17 Sensus mysticus transitus Domini in Ægyptum. — Per transitum Domini in Ægyptum, propter persecutionem Herodis, significatus fuit transitus Apostolorum ad Gentes, propter persecutionem eis motam a Judæis. Per reditum autem ejus in Judæam, defuncto Herode, significatur illuminatio Judæorum in mundi fine. Unde, secundum *Remigium*, per Joseph designantur prædicatores; per puerum, fides et notitia Salvatoris; per Mariam, Ecclesia et sacra Scriptura; per persecutionem Herodis, persecutio facta a Judæis; per fugam Joseph in Ægyptum, transitus prædicatorum ad Gentes, ad quas fidem Christi et Ecclesiæ tulerunt, relicto Herode, id est Judæorum infidelitate; per tempus autem quo fuit in Ægypto, spatium temporis ab ascensione Domini, usque ad adventum Antichristi; per obitum Herodis, extinctio invidiæ in cordibus Judæorum in fine. Tunc itaque Dominus in Ægypto ignorantiæ tenebras effugavit, et idolorum vanitate discussa, Dei veri cultum venerationemque reparavit. Ubi ignis fidei succensus in tantum excrevit, quod etiam deserta ejus repleverit; Domini enim præsentia, postmodum eremus Ægypti meruit, ut paradiso melior, et cœlo clarior effecta videretur. Unde *Chrysostomus*: « Denique si quis nunc ad Ægypti veniat solitudines, paradiso prorsus omnem illam videat eremum digniorem, et innumerabiles Angelorum cœtus in corporibus fulgere mortalibus. Est enim cernere tota illa regione diffusum exercitum Christi, et admirabilem illum regium gregem, virtutumque cœlestium conversationem in terris micantem. Non ita variis astrorum choris cœlum refulget, ut Ægyptus innumeris monachorum distinguitur atque illustratur habitaculis. Noctes quidem sacris hymnis et vigiliis, dies vero orationibus, manuumque operibus exercent, Apostolicæ cursum virtutis imitantes: » hæc *Chrysostomus*.

18 Maria et Joseph se cum puero Jesu Heliopolim conferunt. — Iverunt ergo ad quamdam civitatem Thebaidæ, quæ vocatur Heliopolis, et ibi aliquam domunculam conducentes, habitaverunt per septem annos, tanquam advenæ et peregrini, pauperes et egeni. Sed unde et quomodo isti tanto tempore vivebant? Numquid mendicabant? Legitur autem de Domina, quod colo et acu quærebat sibi et Filio necessaria. Suebat ergo et filabat Domina mundi pro pretio, paupertatis amore et zelo. O quot et quantæ hujusmodi advenis fiebant injuriæ, quas Dominus vitare non venit, sed suscipere! Quid etiam si aliquando Filius famem patiens, panem petiit, nec unde daret Mater habuit? Nonne in his et similibus, totaliter concutiebantur viscera ejus? Consolabatur verbis Filium, prout poterat, et nihilominus opere victum procurabat, et sibi forte aliquando de victu subtrahebat, ut Filio reservaret. Et si ex opere manuum oportebat quærere victum, quid dicemus de vestimen-

Digitized by Google

tis, quid de utensilibus, scilicet lectis et aliis intra domum opportunis? Numquid duplicia? Numquid superflua? Numquid curiosa habebat? Hæc contra paupertatem sunt, et hæc, si habere posset, nollet ea paupertatis amatrix. Sed numquid Domina suendo, vel alia opera faciendo, faciebat more quorumdam opera curiosa? Absit. Est enim periculosum et valde magnum vitium propter multa, de quo latius dicetur infra. Conspice nunc Dominam in laboribus et operibus suis, filando, suendo, texendo sollicitam, quomodo facit ea fideliter atque humiliter cum diligentia se habendo, et nihilominus super Filio et gubernatione domus, curam diligentissimam habendo, vigiliisque et orationibus juxta posse semper intendendo; et toto affectu compatere sibi; et considera quod non habuit omnino gratis regnum Dei Domina regni. Sed et Joseph sanctus, faber lignarius, aliquid operabatur in arte lignaminis. Unde quia compassionis occurrit materia, tandem cum aliquam moram cum eis contraxeris, pete recedendi licentiam, et benedictione accepta, primo a puero Jesu, deinde a Matre, postea a Joseph, genibus flexis, et cum lacrymis compassione magna valefacias eis, quia tanquam exules a patria, sine aliqua causa, et exbanniti, remanent ad peregrinandum ibidem, per annos septem, in sudore vultus sui victuri.

ORATIO

Domine Jesu Christe, qui adhuc infans, persecutiones et exilia pati, et infantes tunc pro te occidi voluisti, da mihi misero hæc omnia, ac etiam mortem, si oportet, pro te patienter tolerare, cunctaque prospera mundi despicere, et nulla ejus adversa formidare. Et vos, o sanctissimi Innocentes, flores et primitiæ martyrum, qui per innocentiam et martyrii palmam Dei Filio infanti adhæsistis, dignemini de plenitudine gratiæ et innocentiæ vestræ, infirmitati et miseriæ peccatorum meorum veniam, et gratiam ab eodem Dei Filio benignissimo obtinere. Amen.

CAPUT XIV

De reditu Domini ex Ægypto, et initio pœnitentiæ Joannis Baptistæ.

Matthæi cap. 2.

1 JOSEPH CŒLITUS MONETUR DE REDITU EX ÆGYPTO. — Completis autem fere septem annis, quibus Dominus peregrinatus est in Ægypto, et *defuncto Herode,* vocatus est Dominus ex Ægypto, quia sicut dicitur in historiis, tricesimo anno regni Herodis, natus est Chri-

Digitized by Google

stus, et tricesimo octavo anno regni sui, mortuus est Herodes. Hoc autem factum est, ut consecutive adimpleretur quod dictum est a Domino per Oseam prophetam : *Ex Ægypto vocavi Filium meum,* scilicet consubstantialem. Hoc autem de vocatione et exitu Israel de Ægypto, ad litteram legitur, qui etiam quandoque puer et filius a Domino appellatur. Ista ergo auctoritas habet duplicem sensum litteralem, quia verificata est ad litteram, de populo Israel, vocato a Domino de Ægypto; perfectius tamen de Domino nostro Jesu Christo, quia ipse est Filius Dei naturalis, alii autem sunt filii per adoptionem. Primo ergo anno Archelai, senioris filii Herodis, et anno Domini octavo, *apparuit Angelus Domini Joseph in somnis dicens ei : Tolle Puerum et Matrem ejus, et vade in terram Israel,* scilicet in Judæam; *defuncti sunt enim, qui quærebant animam Pueri,* id est vitam corporalem, scilicet Herodes et complices ejus, et fautores in mortem Domini, scilicet Scribæ et Pharisæi; quia, secundum *Josephum,* Herodes præcepit in morte sua, plures de nobilibus Judæorum interfici, ut sic cogeret Judæos qui eum oderant, flere in sua morte; vel Herodes mortuus est ad litteram, alii quoad potestatem. Ex hoc ergo loco, secundum *Hieronymum,* intelligimus non solum Herodem, sed et sacerdotes et scribas, eodem tempore, necem Domini fuisse meditatos. Ut autem ait *Remigius,* per hoc quod Angelus in somnis Joseph apparuisse dicitur, mystice designatur, quod illi qui a curis terrenis et secularibus negotiis requiescunt, perfrui Angelica visione merentur. Igitur Joseph *consurgens,* tanquam promptus obediens, *accepit Puerum,* tanquam nutritius sollicitus, *et Matrem ejus,* tanquam comes obsequiosus, et cœpit redire *in terram Israel.*

2 PER DESERTUM TRANSIT. — Vadunt ergo et transeunt per desertum, per quod venerunt. Vade et tu cum eis, auxilium et servitium exhibens, et impendens ipsis in quibus poteris. Et in ipso itinere poteris compati eis et respicere ipsos fatigatos et labore devictos, et tam de die quam de nocte, parum quietis habentes. O quantum Puer egregius ac delicatus, Rex cœli et terræ, pro nobis laboravit, et quam cito cœperit! Unde et Propheta in ejus persona prædixit : *Pauper sum ego, et in laboribus a juventute mea.* Penurias magnas, labores arduos, et afflictiones duras corporis, constantissime assumpsit, et seipsum quasi odio pro amore nostri habuit. Certe solus hic labor, de quo nunc tractamus, ad plenam redemptionem nostram sufficere debuisset.

3 HIC JAM PŒNITENTIAM AGEBAT JOANNES BAPTISTA. — Dicitur autem quod prope finem prædicti deserti, jam puer Joannes Baptista pœnitentiam agere cœperat, cum tamen nullum peccatum haberet, quia dicitur petiisse desertum, dum septem annorum esset, et quod locus Jordanis, ubi baptizavit ipse Joannes, est ille ubi transierunt filii Israel, quando venerunt de Ægypto per ipsum desertum : prope quem locum, in eodem deserto, Joannes fecit pœnitentiam. Prædicator pœnitentiæ futurus, quanto citius potuit, aspera solitudinis elegit et petiit, ubi primævam ætatem transegit, ut vivens in desertis, vitam austeram duceret, et ab amore et illecebris mundi, et se et auditores suos suspenderet facilius, et revocaret, et ut ibi contemplationi vacaret liberius, divinam sapientiam hauriendo, quam postea effu-

Digitized by Google

dit prædicando. *Bonum est igitur* ejus exemplo, *ab adolescentia jugum Domini portare;* et dum natura tenera est, bonis se assuescere, et in prædicandis auditores actu præcedere. Ex quo sumitur argumentum, quod antequam quis perfectus fuerit, aliorum magisterium obtinere non debet. Manebat Joannes in deserto, ubi est aer purior, cœlum apertius, et familiarior Deus, ut quia nondum baptismi et prædicationis tempus advenerat, orationibus vacaret, et cum Angelis conversaretur, et extra multorum malitiam nutriretur, et neminem vereretur arguere, nihil sibi conscius, et esset fide dignus, qui Christum erat prædicaturus, et de ipso testificaturus. Nemo enim alterius testis esse potest idoneus, nisi prius fuerit suus. Fugit igitur turmas et tumultum populi; ne ex cohabitatione contraheret infamiam, vel vita aliquam maculam scandali vel delicti. Qui si in mundo mansisset, forte malitia et conversatione hominum depravatus fuisset. Mundum itaque fugit, ut sanctitatem suam custodiret, et ne levi saltem verbo, vel peccato, vitam macularet. Nam, secundum *Chrysostomum,* sicut impossibile est arborem juxta viam positam, fructus usque ad maturitatem servare; sic hominem juxta mundum positum, usque in finem vitæ innocentiam custodire. Sunt autem quædam arbores, quæ licet in horto sint plantatæ, ita quod ad stipitem transeuntes non possunt attingere, tamen ramos suos per viam expandunt, et ideo molestantur a transeuntibus; sic est de religiosis in negotiis secularibus se implicantibus.

4 Laus Joannis Baptistæ monachorum principis. — Excellens valde et mirabilis est puer iste Joannes. Ipse enim fuit primus eremita, ac principium, et via religiose vivere volentium. De cujus singulari conversatione *Petrus Ravennas* ita scribit : « Infra teneritudinem annorum beatus iste puer, Spiritu ducente, ad eremum ductus est, nec obstetit ætatis infirmitas, quam majestas Domini fecundavit. Reliquit Joannes mundum, homines fugit, patriam nescit, parentes aspernatur, et in solius divinitatis apicem beatæ contemplationis figit obtuitus. Mira rerum conversatio, hominem vix mundum ingressum, mundi gloriam fugere, et seculi cupiditates non solum oblivisci, sed et nescire, perpetuum cum divinitate stabilire consortium! Recessus montium, silvarum anfractus, et vallium subterjacens vastitas, puero patriarchæ domicilia, cum nox coegerat, præbuerunt. Sic Joannes ætatis supergressus infantiam, et nobilioris generis generositatem oblitus, soli vacat divinitati, forma vitæ, monachorum propositum, anachoretarum principium, totius religionis assertio. » Unde et *Chrysostomus :* « Sicut sacerdotum principes sunt Apostoli, sic monachorum princeps Joannes Baptista est, quantum tradit Hebræorum scriptura, et usque hodie in memoria est. Considerate, monachi, dignitatem vestram : Joannes princeps vestræ est dignitatis. Ipse monachus, statim ut natus est, in eremo vivit, in eremo nutritur, Christum expectat in solitudine, non vult cum hominibus conversari, in eremo cum Angelis probatur; felix ista conversatio despicere homines, Angelos quærere, urbes deserere, et in solitudine Christum invenire. Christum non quærebat in templo, sed in deserto; separavit se a multitudine. Oculis expectantibus Christum nihil aliud dignum est aspicere nisi Christum : felices sunt qui imitantur Joannem,

Digitized by Google

quo *major inter natos mulierum* non fuit : » hæc *Chrysostomus*.

5 MONACHI NOMEN UNDE SIT, ET QUALIS VITA ESSE DEBEAT. — Infelices ergo monachi sunt, qui Joannem principem suum non sequentes, solitudinem suam deserunt, et in urbibus cum hominibus conversantur; quibus solitudo carcer est, et oppidum paradisus. Non sic *Hieronymus* sentiebat, qui dicebat : « Viderint alii quid sentiant, unusquisque sensu suo dicitur, mihi oppidum carcer est, et solitudo paradisus : » hæc *Hieronymus*. Agnoscat ergo monachus nomen suum : μόνος enim Græce, *unus* Latine, et ἄχος Græce, *tristis* Latine dicitur : et ideo monachus, quasi unus et tristis interpretatur. Sedeat solus et tristis, et officio suo vacet, alienumque officium non usurpet. Qui tamen si docere vult, audiat consilium *Hugonis*, qui dicit : « Vilitas habitus tui, et simplicitas vultus, et sanctitas conversationis tuæ docere debent homines. Melius fugiendo mundum doces, quam sequendo. » Qui etiam, secundum consilium *Gregorii*, reverentiam sui habitus, in cogitatione, in locutione, semper circumspiciat; ut ea, quæ mundi sunt, perfecte deserat; et quod ostendit humanis oculis habitu, hoc ante Dei oculos moribus prætendat. Non ergo glorieris, quod in solitudine vel religione sis, aut longo tempore fueris, nisi in ea bene vixeris, quia nihil tibi proderit : imo magna damna patieris, si eremita vel religiosus vocatus, et vitam non agis : ut enim ait *Hieronymus*, non Jerosolymis fuisse, sed Jerosolymis bene vixisse, laudandum est. Unde *Augustinus* ad fratres eremitas : « Non enim satis prodest, quod istum locum expetivimus, si tales simus, quales in seculo esse poteramus. Numquid nobis habitatio hujus secreti aliquid prodest, quando tyrannico dominatu malitia in nobis regnat, quando ira superequitat, quando majorem nobis victoriam humanus oculus quam divinus inducit, quando laudabiles eremitæ extra mundum nos esse credimus, et per diversarum passionum vitia, mundum intra nos inclusum tenemus, ita ut qui putabamus nos precibus nostris seculo ipsi succurrere, pene necesse sit ut videamur magis seculi intercessoribus indigere? Dubium quippe non est, quod illa anima quæ concupiscentia voluptatum possessa, efficitur mundanæ conversationis, non possit effici regnum divinitatis. Ideoque, fratres, *videte vocationem vestram*. Venire quidem ad eremum, summa perfectio est; sed non perfecte in eremo vivere, summa damnatio est. Quid enim prodest, si locus corporaliter quietus teneatur, et inquietudo in corde versetur? Quid, inquam, prodest, si in habitatione silentium, in habitatoribus sit vitiorum tumultus, et colluctatio passionum, si exteriora nostra serenitas teneat, et interiora tempestas? Non enim ideo ad locum istum venimus, ut nobis mundus famuletur, ut rebus omnibus abundantes, omni quiete fruamur, non utique ad requiem, nec ad securitatem; sed ad pugnam huc venimus, ad agonem processimus, ad exercenda cum vitiis bella properamus, ut linguæ gladio retundamur, ut non solum non inferamus injurias, sed nec statim sentiamus illatas : » hæc *Augustinus*. Sed heu ! pauci hodie religiosi reperiuntur, qui de bono in melius proficiunt, et de virtute in virtutem ascendunt. Unde *Bernardus* : « Multo facilius reperies multos seculares converti ad bonum, quam unum de religiosis transire ad melius. Rarissima avis in terris est, qui

Digitized by Google

de gradu quem in religione semel forte attigerit, vel parum ascendit. Aut ascendas, necesse est, aut descendas : si attentas stare, ut ruas, necesse est. » Et iterum : « Minime pro certo est bonus, qui melior esse non vult, et ubi incipis nolle fieri melior, ibi desinis esse bonus : » hæc *Bernardus*.

6 JOSEPH JORDANEM TRANSIT. — Joseph autem et Maria, cum puero Jesu transeuntes Jordanem, venerunt in terram Israel, secundum Angeli jussionem. Non enim determinaverat Angelus, in quo loco terræ Israel, nec nominaverat aliquam civitatem determinate, ut, dubitante Joseph, iterum reverteretur, et ex reversione Angeli instruentis eum de loco, Joseph ex frequentiori visitatione Angeli, et locutione cum eo, certior redderetur, et magis consolaretur. Quod Jesus in patriam suam reverteretur, nos quoque in patriam nostram festinare admonet. *Audiens* vero Joseph *quod Archelaus*, filius Herodis senior, *regnaret in Judæa pro Herode, patre suo, timuit illo ire*, præ Archelao, paternæ crudelitatis hærede, quia ille tanquam principalis magis pro patre zelabat, et omnis impetus persecutionis in Bethlehem ejusque finibus desæviebat. Judæa aliquando accipitur pro tota terra duodecim tribuum, ut ibi : *Notus in Judæa Deus;* aliquando pro sola terra tribus Judæ, ut ibi : *Judæa et Jerusalem, nolite timere;* aliquando pro terra duarum tribuum, scilicet Judæ et Benjamin, ut hic dicitur *quod Archelaus regnaret in Judæa.*

7 DIVISIO JUDÆÆ POST MORTEM HERODIS. — Divisum ergo erat regnum, et jam a pluribus regebatur. Ad cujus evidentiam est sciendum quod, secundum opinionem magis probabilem, Herodes moriens condidit testamentum, in quo ordinavit Archelaum filium suum regni sui successorem, ita tamen quod coronam sibi non imponeret, nisi per Romanum Imperatorem. Ad sumendum igitur diadema, Romam venit, sed et fratres ejus duo, scilicet Herodes Antipas, et Philippus, qui cum ipso post mortem patris superstites erant, quia alios tres filios, scilicet Antipatrem suum primogenitum, et Alexandrum et Aristobulum pater ante mortem suam miserabilem necaverat, etiam Romam venerunt, et paternæ hereditatis partem petierunt. Tandem Imperator et Senatus Romanorum, volentes frangere Judæorum superbiam, et auferre eis rebellandi occasionem, abstulerunt eis regium nomen, et diviserunt regnum in quatuor partes, scilicet *tetrarchias*, quarum duas, scilicet Judæam et Abilinam dederunt Archelao, filio seniori; tertiam vero, scilicet Galilæam regionem transfluentem, dederunt Herodi Antipæ, sub quo Joannes est decollatus, et Dominus passus; sed quartam, scilicet Ituræam et Traconitidem regionem, dederunt Philippo, cujus uxorem abstulit ipse Herodes Antipas, frater ejus. Et sic Archelaus erat *Diarcha;* sed alii duo fuerunt *Tetrarchæ*. Adhuc præter Herodem Ascalonitam, et Herodem Antipam, supradictus etiam tertius Herodes, dictus Agrippa, filius Aristobuli, filii Herodis Ascalonitæ fuit, qui Jacobum fratrem Joannis gladio occidit, et Petrum incarceravit. Et quia Archelaus fuerat a patre, quantum in se erat, in toto regno Judæorum substitutus; ideo magis favebat factis a patre, propter quod Joseph *timuit ire* in Judæam.

8 JOSEPH SECESSIT IN PARTES GALILÆÆ NAZARETH HABITATURUS. — *Et admonitus in somnis*, per Angelum scilicet, ivit cum Puero et Matre ejus in Galilæam ubi dominabatur alius filius, scilicet Herodes, qui portione sibi debita a patre, quantum

Digitized by Google

in se erat, ante privatus fuerat. Propter quod Joseph ibidem cum Puero securius mansit; quæ et ipsa terra Israel erat, quia eam Israel incolebat. *Et veniens, habitavit in civitate quæ vocatur Nazareth* : ut ibi Christus nutriretur, ubi fuerat conceptus, licet in Bethlehem fuerat natus. Ibi enim securius habitare poterat quam in Jerusalem, vel Bethlehem, ubi Archelaus manebat. Unde *Chrysostomus* : « Venit igitur Jesus in Nazareth, non solum periculi timore, verum etiam patriæ amore cogente, scilicet ut securius ibi habitaret, et gratius. » Hoc autem factum est *ut adimpleretur quod dictum est per Prophetas : Quoniam Nazaræus vocabitur*. Hoc *ut*, tenetur consecutive, non causaliter, quia prophetia non est causa eventus rei, sed eventus est causa impletionis prophetiæ. *Nazaræus* autem Christus est nuncupatus, tam ex loci appellatione, ubi conceptus est et nutritus, quam ex sacramento Legis, secundum quam Nazaræus *Sanctus* interpretatur, et Dominum omnes Scripturæ Sanctum dicunt, et testantur. Sicut ergo elegit locum in quo nasceretur, sic et civitatem, in qua coadolescens nutriretur. Cujus nomen est indicio, quod essentialiter ipse fons sanctitatis in sanctitate nutritus, Sanctus sanctorum, quasi Nazaræus Nazaræorum, recte dicitur. Nazareth enim *flos campi*, vel *germen novellum*, vel *sanctitas* interpretatur, de cujus radice germinis, Sanctus sanctorum, id est Nazaræus, ascendisse legitur. Unde et ex hoc quod Christus dictus est *Nazaræus*, discipuli ejus et Christiani, prius communi nomine consueverunt Nazaræi vocari. Sed postquam Petrus Antiochenam sedem tenuit, communi consilio Græco nomine, a Christo Christiani dicti sunt. In Nazareth ergo concipi et nutriri Christus voluit, ut per hoc daret intelligi, quod florida fuit et ejus conceptio, quia sine peccato originali; et ejus conversatio, quia sine actuali. Unde dicit *Bernardus*, quod amat florigeram patriam, flos de radice Jesse. In hoc autem quod dereliquit Ægyptum, et venit in Galilæam, habitavitque in Nazareth, datur nobis exemplum, quod statum culpæ debemus deserere, et de vitiis ad virtutes transire, in perseverantiaque bonorum operum florere, ut sic ad patriam cœlestem valeamus pervenire.

9 De sedulitate Mariæ in Filium. — Ecce reduximus puerum Jesum de Ægypto. Eo reverso, sorores Dominæ, aliique consanguinei et amici concurrunt, et ad visitandum eos festinant. Ipsi autem Nazareth remanent, et pauperem vitam ducunt. Ubi, more solito, Joseph operas fabriles locavit, et Maria filando, et suendo, et alias, prout potuit, laboravit, ac nihilominus circa Filium suum diligens et sollicita fuit. Ut enim ait *Anselmus* : « Nec est aliqua scientia, quæ possit penetrare, nec eloquentia, quæ possit prædicare, quanta dulcedinis sedulitate Parvulum foverit, quanta diligentia obsequioque Adolescentem, et in robur ætatis provexerit vadentem. Et ut ipsamet cuidam devotæ personæ revelavit, multoties cum Filium suum gremio confoveret, præ nimia devotionis dulcedine, caput suum capiti Filii acclinans, tantas lacrymas effudit, ut caput et totam ejus faciem lacrymis amoris rigaret, et dicebat : O salus et gaudium animæ meæ! Quis hæc audiens, vel mente tractans, se a lacrymis poterit continere? »

10 Christi infantis officia. — Exinde usque ad duodecimum annum pueri Jesu, non legitur aliquid de ipso, vel ejus parentibus. Dicitur tamen, et verisimile est, quod in Nazareth adhuc est fons parvus, ad

Digitized by Google

quem Domina aliquando ibat, et de quo puer Jesus frequenter aquam hauriebat, et Matri ministrabat, utpote qui subditus illi erat. Pro summis ergo deliciis, interdum aquam tribuit suæ Matri, qui dat escam omni carni. Ubi etiam herbas in agris collegit, de quibus Mater olera conficeret. Faciebat hujusmodi servitia Matri humilis Dominus; non enim habebat alium servientem, vel juvantem in necessitatibus. In humilitate se tempestive exercere cœpit, de qua postmodum præ ceteris virtutibus gloriando, dixit : *Discite a me, quia mitis sum, et humilis corde.* Unde *Anselmus :* « Nihil vesanitatis æstimes tibi accessurum, si eum apud Nazareth puerum inter pueros contempleris, si obsequentem Matri, si operanti nutritio assistentem intuearis. »

ORATIO

O Jesu mitissime, qui de Virgine natus in partes Ægypti secessisti, et ab Ægypto vocatus, in terram Israel rediisti, revoca me, Domine, servum tuum a vultu oculorum tuorum in Ægypto hujus exilii projectum, in hujus peregrinationis tenebris exulatum, ab Ægypti partibus, a mundanæ conversationis tenebris reduc corpore, reduc mente, reduc et voluntate : fac me vitia deserere, et ad virtutes transire et in terram promissionis me digneris introducere, modo fide, spe, et charitate, in futuro vero re, specie, glorificatione et veritate. Amen.

CAPUT XV

De eo quod puer Jesus remansit in Jerusalem, et inventus est in Templo.

Lucæ cap. 2.

1 Quo sensu Christus crevisse dicitur? — *Puer autem Jesus crescebat* in augmento, *et confortabatur,* in vigore scilicet, quantum ad corpus. Et ne quis imaginetur ita eum crevisse secundum animam, sicut crevit secundum corpus, ideo subdit quod erat *plenus sapientia,* scilicet quantum ad animam; *et gratia Dei erat in illo,* scilicet quantum ad utrumque. Unde, secundum *Bedam :* « Quia in Christo habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter, ideo Puer iste erat plenus sapientia, nec secundum hoc indiguit augeri vel confortari, utpote Verbum Dei et Deus, sed in quantum fuit homo, erat in eo gratia. Magna enim gratia illi homini Christo donata est, ut ex quo homo fieri cœpisset, perfectus esset et Deus. » Et secundum eumdem *Be-*

Digitized by Google

dam, huic simile est quod scribit Joannes eum *plenum gratiæ et veritatis*, eamdem ipse divinitatis excellentiam nomine veritatis, quam Lucas sapientiæ nomine commendavit. Habuit quippe Christus plenitudinem omnium virtutum, donorum Spiritus Sancti, exceptis fide et spe, pro quibus habuit certam scientiam et firmam possessionem : quia ab instanti suæ conceptionis beatus fuit. Quoties ergo Christus crescere et confortari, vel tale aliquid agere dicitur, omnia ad corpus referuntur. Nam secundum animam ab instanti conceptionis totaliter perfectus fuit, sed hanc perfectionem non ostendebat, nisi prout convenientia temporis exigebat. Unde *Bernardus :* « Vir erat Jesus nondum natus, sed sapientia, non ætate; animæ vigore, non corporis maturitate; integritate sensuum, non corpulentia membrorum. Neque enim minus habuit scientiæ Jesus conceptus, quam natus, parvus, quam magnus. Sive ergo latens in utero, sive vagiens in præsepio, sive jam grandiusculus interrogans Legis doctores in templo, sive jam perfectæ ætatis docens in populo, æque perfecte fuit plenus Spiritu Sancto. » De his et ejusmodi habes etiam infra in fine hujus capituli.

2 Festivitates legales Judæorum. — *Et ibant parentes ejus,* tanquam devoti et religiosi Legis observatores, *per omnes annos,* ut essent, *in Jerusalem in die solemni Paschæ,* scilicet Parasceve, ut Legem audirent, sacrificiis participarent, solemnitati interessent; et ejus adhuc umbræ serviebant, cujus jam veritatem tenebant. Ubi nota quod legales festivitates Judæorum quædam erant communes et continuæ, quædam anniversariæ. Communes et continuæ erant duæ, scilicet : *Sabbatum,* quo vacabant ab omni opere, quod illo die Deus requievit ab omni opere creationis; alia est *Neomenia,* in principio scilicet novæ lunæ, ad laudem Creatoris, qui creavit omnia tempora. Anniversariæ vero festivitates erant quinque, scilicet : festum *Paschæ,* quod celebrabatur decima quarta luna mensis primi; erat hæc festivitas in memoriam liberationis de Ægypto. Secunda erat festivitas *Pentecostes,* quæ celebrabatur quinquagesima die a Pascha, eo quod tunc data fuit Lex Judæis in monte Sinai a Deo. Tertia festivitas erat *Tubarum* et *Clangorum,* quæ erat prima die mensis septembris, tunc enim buccinabant cornibus pecorum, in memoriam quod eadem die fuit Isaac liberatus ab immolatione patris, pecore substituto pro eo. Quarta festivitas erat *Propitiationis,* et celebrabatur decima die mensis septembris; quia eadem die venit ad eos Moyses referens Dei iram placatam de offensa conflationis vituli quem adorabant. Quinta erat *Scenopegia,* scilicet festum tabernaculorum, quod erat decima quarta die septembris, et tunc illis diebus habitabant in tabernaculis, in memoriam quod patres eorum quadraginta annis in deserto fuerunt sub umbraculis habitantes. Inter has quinque festivitates solæ tres, scilicet Paschæ, Pentecostes, et Scenopegiæ erant solemniores, et protendebantur septem diebus. In his tribus omne masculinum, secundum præceptum Legis, ascendebat in Jerusalem, ut appareret coram Domino : qui tamen erant remoti, ex rationabili causa de Pentecoste et Scenopegia se poterant excusare, sed de Pascha non nisi infirmitate cogente. Ista autem Lege mulieres non erant adstrictæ, sed tamen plurimæ veniebant ex devotione. Unde et beata Virgo ascendebat singulis annis, nolens Puerum dimittere sine cura, maxime quandiu regnavit Archelaus. Quamvis ergo parentes time-

Digitized by Google

rent Archelaum, ibant tamen in Jerusalem ad diem festum ; quia poterat fieri ut tunc inter tam ingentem turbam latenter ascenderent mox reversuri, ut, nec solemnitate prætermissa, essent irreligiosi, nec longa mansione conspicui.

3 CHRISTUS DUODENIS ASCENDIT IN JERUSALEM AD DIEM PASCHÆ. — *Et cum factus esset Jesus annorum duodecim, ascendit cum parentibus suis, secundum Legis consuetudinem, ad diem festum, in Jerusalem.* Per hoc ostendit, quod a pueritia debent homines assuescere ad divina, et ad idem facit quod, aliis recedentibus, in loco divini cultus remansit. Laboravit ergo etiam nunc puer Jesus itineribus longis, et vadit ut honoret Patrem suum cœlestem in festis suis, observans humiliter Legem Dominus Legis. Quia enim Dominus venit ut daret omnis perfectionis et humilitatis exemplum, voluit Legem, quandiu statum habuit, conservare. Ubi *Beda* : « Servavit ipse Legem quam dedit, ut nobis qui homines sumus puri, ostenderet servandum per omnia quidquid Deus jubet. Sequamur ergo iter humanæ conversationis ejus, si deitatis gloriam delactamur intueri : » hæc *Beda*. Nos itaque servi, ad exemplum Domini debemus magno studio bonorum operum et prævenire solemnitates, et celebrare, ac sollicite divina præcepta observare. Unde quidam frater tam magnæ devotionis ad festa Christi et beatæ Virginis, et ad festum Omnium Sanctorum erat, quod ante quodlibet festum jejuniis, ac orationibus, et castigationibus, ad suscipiendum ipsum festum se præparabat, et quamdiu aliquod festum duravit, tamdiu circa illud meditationibus, et orationibus se occupavit.

4 MORALITER, DE FESTIS CELEBRANDIS; ET MYSTICE, DE ÆTATE DUODENE. — Moraliter hic instruimur, quod specialiter in diebus festivis, quilibet Christianus debet ire ad locum quem elegit Dominus, id est, ad Ecclesiam, non ad theatrum, vel tabernam. Debet vacare divinis laudibus, non choreis et vanitatibus. Debet insistere eleemosynis, non usuris, vel spoliis. Debet intendere bonis operibus, non commessationibus et ebrietatibus. Nam de his qui secus faciunt dicit Dominus in Isaia : *Solemnitates vestras et neomenias vestras odivit anima mea.* Postquam ergo Jesus ad ætatem duodecim annorum venit, suam sapientiam manifestare cœpit, et aperire quid Patri cœlesti, quid terrenæ Matri deberet. Ætas enim duodenis typus erat duodecim Apostolorum, per quos divinitas et humanitas ejus erat per orbem nuntianda universum; recte ergo in duodenario numero jubar perfectionis ejus declarari incepit, per quem quasi per duodecim tribus, et per duodecim Apostolos universitas salvandorum significatur.

5 CHRISTUS, PARENTIBUS INSCIIS, IN JERUSALEM REMANET. — *Consummatis autem diebus* festis, et completa solemnitate quæ per dies octo durabat, recedentibus parentibus, *remansit Puer in Jerusalem;* non a casu, nec parentum negligentia vel oblivione, sed sua voluntate et ordinatione, ut a pueritia zelum suum ostenderet circa spiritualia, et sicut parentibus quod debebat exhibuerat, ascendens cum eis tanquam homo cum hominibus ad offerenda Deo sacrificia, sic etiam Patri debitum spiritualis doctrinæ vacando exhiberet. *Et non cognoverunt parentes ejus,* id est, non adverterunt quod in Jerusalem remaneret, *existimantes illum esse in comitatu,* id est, inter eos qui simul fuerunt comitati. Secreto autem et eis ignorantibus, remanere voluit, ne aut

Digitized by Google

eis obediendo recedens retraheretur a disputatione, aut non obediendo remanens videretur eos contemnere. Hinc habetur argumentum, quod filius absque cujus præsentia pater et mater vitam possunt transigere, ipsis etiam nescientibus aut nolentibus, potest ad religionem et ad statum perfectionis evolare, seque divino cultui mancipare, discretionis judicio comite. Et impeditoribus ait Dominus : *Sinite parvulos venire ad me, talium est enim regnum cœlorum.* Sed quæritur hic, quomodo parentes ejus obliviscendo eum relinquere potuerunt, qui tanta cura eum nutriverunt? Ad hoc dicendum, quod mos erat filiis Israel ad festa confluentibus, vel ad propria redeuntibus, ut seorsum viri et seorsum mulieres, propter munditiam castitatis incederent, ut ab invicem continentes, magis religiose secundum Legis dationem, festa celebrarent, et ne eorum mixta societate aliquid inhonesti contingeret; pueri autem cum quolibet parente indifferenter ire poterant. Unde Joseph videns puerum Jesum non esse secum, putabat eum esse cum Maria, in comitatu mulierum; et e converso, Maria putabat eum esse cum Joseph, in comitatu virorum.

6 Mariæ dolor de amissione Filii. — Sic ergo *venerunt iter unius diei* a Jerusalem sine Puero, cum hac existimatione quod esset in comitatu virorum vel mulierum. Et cum in sero venissent ad locum ubi hospitari debebant, videns Domina ipsum Joseph sine Puero, quem cum eo rediisse credebat, dolore vehementi concussa cum lacrymis per domos quam decenter poterat sero circuibat, et de ipso Puero quærebat. Joseph vero senex, cum fletu eam sequebatur et associabat. Vade et tu semper cum eis et quære puerum Jesum donec invenias. Puero autem a parentibus tunc non invento, qualem quietem habere poterant tu ipse cogita, et maxime Mater quæ ipsum arctius diligebat. Et licet a notis confortaretur, tamen consolari non poterat : quid enim erat perdere Jesum? Conspice bene ipsam, et vehementer ei compatere; quia in magna angustia est nunc anima sua. Nunquam, ex quo nata est usque tunc, fuit in tanta. Non ergo turbemur quando tribulationes habemus, cum etiam Matri suæ non pepercerit Dominus. Ad suos enim eas venire permittit, et per ipsas signum suæ dilectionis suis ostendit. Tandem Domina in cameram se recludens et ad orationem et planctum se convertens per totam noctem illam angustiabatur super dilecto Filio suo. Mane vero sequenti, tempestive domum exeuntes, eum etiam per circumstantia loca quærebant, nam reditus per plures vias patebat. Circumeundo igitur eum in utraque comitiva requirebant, id est iterum et iterum quærebant, maxime *inter cognatos et notos* amicos qui in utroque comitatu erant. Quo etiam tunc non invento, Mater sine spe anxiabatur, et consolari non poterat. Hæc diligenter recogita, quantis vulneribus et cruciatibus cor beatæ Virginis tunc sauciatum fuerat; quæ suspiria, quæ lamenta, quas anxietates pertulerit, cum quæsitum Filium non invenit! Jam experiri cœpit, qualis esset futurus dolor ejus, de quo prædixit ei Simeon dicens : *Tuam ipsius animam pertransibit gladius.* Nesciebat Virgo quid ageret, quia thesaurum sibi pie commissum a Deo, perdiderat. Unde lamentabiliter potuit dicere illud Genesis : *Puer vero non comparet, et ego quo ibo?* Considera hic quod beata Virgo, de terra sua expulsa et in Ægyptum fugata, in tanta tri-

Digitized by Google

bulatione posita Filium non perdidit, sed postquam ad festivitates ivit ipsum amisit : per quod datur intelligi quod Jesus sæpe in adversitate custoditur, et in prosperitate perditur.

7 CUR POST TRIDUUM INVENTUS EST CHRISTUS? — Tertia vero die *regressi sunt in Jerusalem,* a qua per unam dietam recesserant, ibidem *eum requirentes.* Puta quod cum labore multo itineris, et lacrymis plurimis Virgo iterato rediit Jerusalem, et appropriate potuit dicere illud Cantici : *Quæsivi quem diligit anima mea; quæsivi illum et non inveni,* scilicet *inter cognatos et notos.* — *Surgam* ergo eundo de loco ad locum, *et circuibo civitatem per vicos, et plateas, et quæram quem diligit anima mea.* Et *post triduum* amissionis ejus, in quo præfiguratum est triduum mortis ejus, in quo credebatur amissus, quarto die mane, *invenerunt eum in templo,* ut secundum *Ambrosium* daret indicium, quia post triduum triumphalis passionis resurgeret, qui credebatur mortuus, et tunc cum gloria immortalitatis est inventus. *Invenerunt* ergo *eum in templo,* in loco utique devoto, in loco Dei sancto. Non invenerunt eum in theatro, aut foro, vel ludo, sicut solent pueri inveniri, sed in loco deputato doctrinæ sacræ et orationi. Filius libenter in domo patris sui manet. Ille igitur qui libenter stat in ecclesia, signum est quod sit filius Dei, quia stat in domo Patris sui; ille vero qui libenter stat in taberna, signum est quod filius sit diaboli, quia moratur in domo patris sui.

8 QUID CHRISTUS IN TEMPLO FACIEBAT? — *Invenerunt,* inquam, *eum in templo,* non huc atque illuc leviter, prout mos est pueris, discurrentem, sed tanquam sapientiæ fontem, *in medio doctorum,* ut melius omnes audire et cum eis conferre posset, composite *sedentem,* et tanquam exemplar humilitatis, prius *audientem illos et interrogantem,* quam docentem. Ille doctores interrogat in templo, qui Angelos docet in cœlo. Ille doceri interrogando voluit, qui verbum scientiæ ipsis suis doctoribus ministravit. Interrogabat non quia indigeret, vel ut addisceret, sed ut nobis addiscendi et zelandi Scripturas sacras formam daret, et ut ea quæ non intelligimus interrogare non erubescamus, de quo tamen erubescunt multi superbi, eligentes potius in errore permanere, quam instrui. Ad exemplum quoque humilitatis prius audire, quam instruere volebat, docens quod etiam homines docti promptiores debent esse ad audiendum, quam ad docendum. Quia qui prius respondet quam audiat, stultum se esse demonstrat. Ad probandum etiam quod Deus esset, eosdem homines subtiliter interrogat, et eis sapienter respondet, ita ut audientes inde stuperent. Unde dicitur : *Stupebant autem,* id est, valde mirabantur, *omnes qui eum audiebant super* ejus *prudentia,* interrogando et opponendo, *et* in *responsis* solvendo; quia alias inauditum fuerat, quod puer talis ætatis tam sapienter locutus esset. Stupor quippe est vehemens admiratio rei omnino inconsuetæ, et sic fuit hic : audivit enim humiliter, quæsivit prudenter, et respondit sapienter, cum tamen esset puer. Ipse interrogabat, ipse respondebat, ipse suas et illorum quæstiones solvebat, morem agens peritissimi magistri, qui nunc interrogando, nunc respondendo discipulos instruit. Unde, secundum *Bedam,* ad ostendendum quod homo erat, homines magistros humiliter audiebat; et ad probandum quia Deus erat, eisdem lo-

Digitized by Google

quentibus sublimiter respondebat. Stupebant autem videntes ejus infantiam, et tamen sic sublimia loquentem; videntes eum corpore et ætate parvum, sed interrogationibus et responsis magnum; hominem et non Deum considerantes, et inter alta quæ audiunt, et infirma quæ vident dubia admiratione turbantur. Nos autem non cum senioribus Judæorum, super prudentia et responsis ejus stupeamus, neque miremur; sed ipsum verum Deum verumque hominem esse credamus, a quo est omnis sapientia, et cum quo fuit semper et est ante ævum, scientes secundum Prophetiam quod sic Parvulus natus est nobis, quod permanet Deus fortis.

9 MARIA INTERROGAT FILIUM CUR IN TEMPLO REMANSERIT. — *Et* parentes ejus, *videntes* eum in templo, in medio doctorum sedentem, *admirati sunt*, valde propter rei inexperientiam; quia nunquam fecerat rem talem vel similem. Mater autem ejus, quasi reviviscens, exhilarata, Deo gratias egit immensas. At puer Jesus, videns Matrem, venit ad eam; quem ipsa suscipiens et dulciter osculans, ac deinde respiciens in faciem ejus decoram, dixit ad illum : *Fili, quid fecisti nobis sic?* Quasi diceret : Desideratissime Fili, quare hoc fecisti, ut, nobis ignorantibus et nescientibus, hic remaneres? Qui tam dilectæ, et tam diligenti Matri tantam materiam doloris inferre potuisti? Peto, Fili, hoc mihi indicari, ut dolor meus, ex hac re conceptus, valeat mitigari. Quem Virgo mater per triduum anxio dolore quæsierat, post inventionem inter mœrorem et gaudium posita, pia correctione increpavit. Joseph autem, licet pater ejus diceretur, non fuit ausus illum arguere, cum firmiter crederet ipsum Dei Filium esse, sed Mater, ex maxima dilectione quam habebat ad Filium quem sic quærebat, sic arguebat illum, quia amor excellens nescit modum. Loquitur ergo ipsa, et non Joseph : quia in ea fuit major doloris affectus. Unde *Gregorius* : « Maria, maternis affecta visceribus, quasi cum lamentis inquisitionem dolorosam ostendit, et omnia sicut mater fiducialiter, et humiliter, et affectuose exprimit dicens : *Fili, quid fecisti nobis sic?* » Unde et *Anselmus* : « Quid si duodenem per triduum cum Matre quæsieris? O quanta copia fluent lacrymæ, cum audieris Matrem dulci quadam increpatione Filium verberantem et dicentem : *Fili, quid fecisti nobis sic?* » Vel posset dici quod non fuit increpatio, sed pia de ejus absentia conquestio. *Ecce pater tuus*, scilicet nutritius, *et ego dolentes*, scilicet de amissione tua et absentia; *quærebamus te*, cujus præsentia est nobis dulcissima.

10 MORALITER, DOLOR ANIMÆ QUÆ CHRISTUM PERDIDIT; ET MODUS QUO DEBET EUM QUÆRERE. — In quo moraliter instruimur; quod dolere debemus cum Jesum, id est salutem æternam, amittimus, quod per peccatum fit, cum peccamus. Et tunc eum quæramus per triduum pœnitentiæ, scilicet per contritionem cum dolore, per confessionem cum pudore, per satisfactionem cum labore, et reinveniemus eum. Sed heu! multi plus dolent de amissione rerum transeuntium, quam de amissione æternæ salutis suæ et aliorum. Unde *Bernardus* : « Cadit asina, et est qui sublevet; perit anima, et non est qui succurrat. » Sacrata Virgo patrem ejus appellat Joseph, tum propter Judæorum suspicionem, tum propter ejus educationem, tum propter genealogiæ explicationem. Et nota quod nunquam legimus Joseph Domino fuisse locutum, sed hoc Virgini di-

Digitized by Google

mittebat; quia ad ipsam, sicut ad veram Matrem, magis pertinebat. Quærendus est Jesus, socialiter cum Maria et Joseph, quod notatur cum dicitur : *Pater tuus et ego.* Joseph enim interpretatur *augmentum,* et significat opera bona quæ semper debent augeri. Maria interpretatur *illuminata,* et significat fidem quæ est illuminatio mentis; interpretatur et *stella maris,* et significat charitatem, quia sicut ceteris stellis occidentibus illa non occidit, sic ceteris virtutibus deficientibus illa non deficit. Cum tali igitur societate Jesus est quærendus, scilicet : cum fide bona, operatione sollicita, et charitate succensa, et tunc invenietur. Si enim alterum istorum defuerit, inveniri non poterit. Debet etiam quæri lacrymabiliter, quod notatur ex eo quod Virgo dixit : *Dolentes quærebamus te.*

11 Responsio Christi qualis fuerit? — *Et ait ad illos,* non Matrem exasperando, sed potius instruendo, dicens : *Quid est quod me quærebatis?* scilicet inter cognatos et consanguineos, cum potius deberetis me quærere in templo, quod est domus Patris mei, et in occupatione circa spiritualia. Non est vox indignantis, sed humiliter se excusantis et mysteria detegentis. Non enim increpat et vituperat, quod eum quasi filium quærunt; sed quasi corrigendo verbum Matris, quis sibi verus Pater sit, et quid potius æterno Patri debeat, illis et nobis insinuat, subdens : *Nesciebatis, quia in his quæ Patris mei,* scilicet Dei, *sunt oportet me esse,* scilicet in templo, in doctrina, et in operibus quibus manifestetur Pater meus; quasi dicat : Potius debeo respicere eum cujus sum æternus Filius secundum naturam divinam, quam te cujus sum filius secundum naturam humanam, et Joseph cujus tantum sum filius nutritius; unde non debetis mirari, si vos dimisi propter Patrem æternum, cui plus teneor. Magis afficiebatur Jesus ad Patrem naturalem et æternum, quam ad matrem naturalem et patrem putativum. Quamvis enim parentes diligeret et eis obediens esset, tamen principalius Deum honorare voluit.

12 Deus parentibus præferendus. — In quo datur doctrina, quod pietas ad Deum, pietati respectu parentum est præferenda. Discas igitur et tu Deum et parentes diligere et honorare, eis obedire, sed in omnibus Deum præferre. Nota etiam moraliter, quod per hoc quod Christus interrogationi respondit, quasi corrigendo verbum Matris, quæ ipsum cum dolore inter cognatos et notos quæsierat, omissionem vinculorum sanguinis aperte suggerit, ostendens quod non contingit metam perfectionis attingere eum, qui adhuc vagatur in his quæ corpori conferuntur; et quod homo deficit a perfectione, propter affectum cognatorum. Et hoc innuit per primam clausulam, cum ait : *Quid est quod me quærebatis?* scilicet inter cognatos, et carnaliter propinquos. Per hoc vero quod addit : *Nesciebatis,* etc., docet nos, non debere per infima gradi, sed ad superiora debere mentis oculos attollere. Moraliter per hoc quod Christus cum correptus esset hic a Matre, se dulciter et humiliter excusavit, alibi autem, scilicet in nuptiis cum invitatus est, ad miraculum dure respondit, dedit nobis exemplum et formam humilitatis ut malimus corripi quam laudari.

13 Primum verbum Christi scriptum hic habemus. — Et nota quod istud fuit primum verbum quod ab ore Salvatoris prolatum esse legitur, in quo suam divinitatem expressit. Et ipsum verbum tantæ fuit altitudinis, quod Maria et Jo-

Digitized by Google

sepli ipsum non intellexerunt. Et hoc est quod subditur : *Et ipsi non intellexerunt verbum quod locutus est ad illos,* scilicet quod de Patre dixerat, et quid per hoc verbum innuere vellet. Volebat enim eis innuere, quod sicut ad Patrem, ita ad ipsum pertineret cura templi, et spiritualium et omnium quæ Patris sunt gubernatio; quia amborum una est majestas, gloria, et operatio, ac una sedes, et domus, non solum materialis, sed et spiritualis. Cum Maria et Joseph Jesum Dei Filium crederent, non tamen animadvertunt quid dicat, nec divinæ naturæ arcanum intelligunt, quia talia ab eo audire adhuc assueti non erant, et de divinitate sua nondum ad eos loquentem audierant; vel intellexerunt quid dixit, sed non ita plene, ut postmodum. Ipse vero ad Matris requisitionem et voluntatem rediit cum illis Nazareth, ad eorum consolationem, ubi erat conceptus et educatus, unde et *Nazarenus* est vocatus. Nam quia Deus et homo est, utramque suam naturam nobis hic commendat, et nunc excelsa deitatis, nunc infirma humanæ fragilitatis præfert. Itaque quasi homo cum parentibus Jerusalem ascendit, sed quasi Deus, illis nescientibus, in templo remansit; quasi homo seniores interrogabat, sed quasi Deus quæ seniores mirarentur respondebat; quasi Dei Filius in templo Patris et suo commoratur, sed quasi filius hominis cum parentibus quo jubent revertitur.

14 De Christi submissione in parentes. — *Et erat subditus illis,* ad nostram instructionem et superbiæ nostræ confusionem, qui frequenter renuimus subjici superioribus nostris. *Erat* quippe *subditus illis,* scilicet in ea natura qua Patre minor est. Quia, ut dicit *Augustinus,* secundum formam servi puer Christus minor erat etiam parentibus suis. Et tu ergo subditus esto propter illum, ut ad eum per obedientiæ laborem redeas, a quo per inobedientiæ desidiam recesseras. Hic enim exemplum, et formam obedientiæ et humilitatis Christus nobis præbuit et ostendit, dum ipse imperator mundi, et cui mundus subjectus est, parentibus suis et eorum imperio humiliter subdi voluit. Audiant ergo hæc subditi, et subditi esse non dedignentur, siquidem omnibus prælatis subditus fieri non est dedignatus. Prælati quoque non superbiant, et in Joseph prælato, et in Christo subdito intelligant quia sæpe fit ut majoris meriti sint subditi quam prælati. Quod si intellexerit, non elevabitur superbia, qui est sublimior dignitate, sciens meliorem sibi subjectum esse. Et adverte quanta fuit dignitas Virginis, quod ei ille subjectus est, cui omnis creatura subjicitur. Unde *Augustinus :* « Hoc singulare privilegium habuit Virgo, ut haberet sibi subjectum, quem non solum humana creatura, verum etiam Angelica reveretur, et adorat multitudo. » Unde *Bernardus,* pertractans hoc idem verbum, *et erat subditus illis :* « Mirare, inquit, utraque, et elige id quod amplius mireris, sive Filii benignissimam dignationem, sive Matris excellentissimam dignitatem. Utrumque stupor, utrumque miraculum! Quod feminæ Deus obtemperet, humilitas absque exemplo; quod femina Deo principetur, sublimitas sine socio. » Et subdit : « Disce ergo, homo, obedire; disce, terra, subdi; disce, pulvis, obtemperare; erubesce, superbe cinis. Deus se humiliat, et tu te exaltas; Deus se hominibus subdit, et tu dominari gestiens hominibus, tuo te præponis Auctori! Quoties enim hominibus præesse desidero, toties Deum præire contendo, et tunc vere

Digitized by Google

non sapio ea quæ Dei sunt : » hæc *Bernardus*. Et nota quod filius multa debet parentibus : primo, amorem cordis; secundo, honorem operis; tertio, in necessariis sustentationem; quarto, in obsequiis famulationem; quinto, reverentiam in verbis; sexto, obedientiam in honestis; septimo, veniam in offensis; octavo, tolerantiam in adversis.

15 CHRISTUS MENDICASSE ASSERITUR IN HOC TRIDUO. — Sed quid fecit puer Jesus, in illo triduo? Conspice eum, attende quomodo se ad aliquod hospitale pauperum reducit, et cum verecundia se ibi hospitari petit, et ibi cum pauperibus Jesus pauper hospitatur, et comedit. Mendicat etiam ostiatim cum pauperibus, quod et alias quandoque fecisse creditur. Unde *Bernardus*, hoc quærens a Domino, eum alloquitur : « Domine, inquit, quis te in triduo sustentavit? » Et respondet sibimet, sic dicens : « Ut te, Domine Jesu Christe, nostræ paupertati per omnia conformares, quasi unus in turba pauperum stipendia per ostia mendicans quæsisti. Quis dabit mihi buccellarum illarum mendicatarum participem fieri, et illius sacri edulii reliquiis saginari? » hæc *Bernardus*. — Conspice eum etiam inter doctores, vultu placido, sapienti et reverenti, et quomodo eos quasi ignorans interrogat, et audit : quod ex humilitate facit, et etiam ne illi super mirabilibus responsis ejus verecundarentur.

16 MORALITER, TRIA NOTANDA VOLENTI DEO ADHÆRERE. — Considerare autem potes moraliter in prædictis tria valde notabilia. Primum est, quod qui vult Deo adhærere, non debet inter consanguineos conversari, sed potius ab eis discedere. Nam et puer Jesus dimisit a se dilectissimam Matrem, cum operibus Patris intendere voluit, ac etiam postea inter cognatos et notos quæsitus inventus non fuit; quia caro et sanguis eum non revelavit, nec invenitur in carnali societate. Unde *Bernardus* : « Puer Jesus inter cognatos et notos quæritur, nec invenitur. Fuge fratres tuos et tu, si tuam vis invenire salutem. *Et obliviscere populum tuum, et domum patris tui, et concupiscet rex decorem tuum.* » Et iterum : « O bone Jesu, si non inventus es inter cognatos tuos, quomodo te inveniam inter meos? Qualiter te inveniam in gaudio, quem vix Mater tua dolens invenit? » hæc *Bernardus*. Nec inveniri potest in comitatu multorum; quia non invenitur in multiplicitate mundanorum, sed in intimo corde mentis, ubi Dei est templum. — Secundum, quod qui spiritualiter vivit, non miretur si aliquando mente arida remanens videatur sibi quod a Deo derelictus sit, cum etiam hoc Matri Dei contigerit. Non ergo mente tabescat, sed per continuum exercitium in sacris meditationibus et orationibus, ac bonis operibus persistendo diligenter eum quærat, et eum si sollicitus fuerit, reinveniet. Nam, secundum *Origenem*, oportet eum qui quærit Jesum, non negligenter et dissolute transire, sicut multi quærunt et non inveniunt, sed cum labore et dolore. Unde *Bernardus* : « Si nolumus frustra quærere, quæramus veraciter, ut non pro illo aliud; ferventer, ut non cum illo aliud; perseveranter, ut non ab illo ad aliud convertamur. Facilius enim cœlum et terra transire possunt, quam ut sic quærens non inveniat, sic petens non accipiat, sic pulsanti non aperiatur. » — Tertium, quod non debet quis esse proprii sensus, vel propriæ voluntatis. Nam cum Dominus Jesus dixisset, oportere eum operibus Patris intendere, mutavit consilium, et Matris voluntatem secutus, recessit cum ea et nutritio

Digitized by Google

suo, *et erat subditus illis.* Hinc etiam perpende quantum debent homines obedire Deo, quandoquidem ipse Deus obedit hominibus. Si enim exemplo Domini obediendum est hominibus, multo magis oportet obedire Deo. Obediamus igitur non solum Deo, sed et hominibus; quia Dei Filius obedivit non solum Deo Patri cœlesti, sed et parentibus.

17 MARIA OMNIA IN CORDE SUO CONSERVAT. — *Et Mater ejus conservabat,* quasi magna, *omnia verba hæc,* quæ nunc et alias audierat ab eo, et hoc *in corde suo,* quasi sub sigillo scilicet recondens, et signaculo. Nisi enim ipsa conservasset, nos ea non haberemus : de ejus namque thesauris nos ista suscepimus. Omnia quippe quæ de Domino, vel a Domino dicta vel facta cognovit, sive intellecta, sive nondum intellecta, in corde et memoria, quasi ruminanda et diligentius scrutanda, recondebat, ut tempore suo universa prout gesta erant intelligeret, ac Evangelistis et quærentibus sufficienter explicaret; et his tanquam regula et lege per totam vitam utebatur, docens ut nos crebra factorum et dictorum Domini meditatione importunas cogitationes repellamus, et alios instruere laboremus. Et ideo si quis indiget bonis sermonibus, ad eam recurrat, quia facta et verba Christi in custodia conservat. — Moraliter ex isto habemus exemplum, qualiter audiri debeant verba divina, scilicet ut in corde conserventur, et ibidem ruminentur, non ut intrent per aurem unam et exeant per aliam.

18 PROFICERE IN GRATIA ET SAPIENTIA POTEST ALIQUIS DUPLICITER. — *Et Jesus proficiebat sapientia, et ætate, et gratia apud Deum et homines.* Ætas pertinet ad corpus, sapientia ad animam, gratia ad utriusque salutem; proficiebat utique ætate, sicut carnis est ætatis incrementa suscipere; quia de infantia ad pueritiam, de pueritia ad juventutem, consueto hominibus crescendi ordine pervenit. Porro in sapientia et gratia potest aliquis proficere dupliciter. Uno modo secundum ipsos habitus sapientiæ et gratiæ augmentatos, et sic Christus in eis non proficiebat; quia ab instanti conceptionis, sapientia et gratia plenus fuit. Alio modo secundum effectus, in quantum scilicet aliquid sapientiora et virtuosiora opera facit; et sic Christus *proficiebat sapientia et gratia,* sicut et *ætate,* secundum quod per processum ætatis perfectiora opera faciebat, in his quæ sunt ad Deum et ad homines; et hoc est quod additur, *apud Deum et homines.* Vel aliter secundum *Ambrosium, proficiebat sapientia* quoad manifestationem et usum ejus, quia suam sapientiam et gratiam paulatim magis et magis patefaciebat. Vel secundum *Gregorium,* proficiebat in illis, qui doctrina ejus et exemplo proficiebant, sicut magister in scholaribus dicitur proficere, quia scholares sub eo proficiunt. Et hoc *apud Deum,* id est, ad laudem Dei, *et apud homines,* id est ad utilitatem hominum; vel secundum *Theophilum, apud Deum et homines,* quia prius debet placere Deo, et postea hominibus. Et licet Jesus in se non proficiebat sapientia et cognitione habituali; quia hæc in eo augmentata non sunt, ab instanti enim conceptionis plenitudinem hujus habuit; proficiebat tamen et in se cognitione sensuali et experimentali, quia sensus ejus convertebatur de novo ad aliquid, ad quod antea non convertebatur. Unde, secundum Apostolum : *Didicit ex his quæ passus est obedientiam.* Non tamen de novo aliquid didicit quod prius

Digitized by Google

nesciret, quia quod didicit, prius noverat scientia divina et inspirata. Unde *Bernardus* : « Ut ob alienam miseriam cor miserum habeas, oportet ut tuam prius cognoscas, ut proximi mentem in tua invenias, et ex te noveris qualiter illi subvenias. » Verus quippe Dei Filius, priusquam se exinanisset *formam servi accipiens*, sicut miseriam et subjectionem expertus non erat, sic misericordiam, vel obedientiam experimento non noverat. Sciebat quidem per naturam, non autem sciebat per experientiam. At ubi minoratus est usque ad illam formam, in qua et pati et subjici posset, in passione expertus est miseriam, et in subjectione obedientiam; per quam tamen experientiam, non illi scientia, sed nobis fiducia crevit, dum in hoc misero genere cognitionis is a quo longe erraveramus factus est propinquior nobis. Quando enim illi appropinquare auderemus in sua impassibilitate manenti? Nunc autem monemur cum fiducia adire ad thronum gratiæ ipsius, quem nimirum languores nostros tulisse et dolores portasse cognoscimus, et in eo in quo passus est ipse, nobis compati non dubitamus : » hæc *Bernardus*. — Moraliter sicut ipse Jesus *proficiebat sapientia, ætate, et gratia, apud Deum et homines*, et passus, et resurrexit, et ita intravit in gloriam suam; sic etiam suos sequaces ostendit proficere virtutibus, et per passiones ad gaudia transmigrare debere.

19 CIVITATIS NAZARETH PRIVILEGIUM. — Hæc autem sancta et Deo amabilis civitas Nazareth, in qua *Verbum caro factum est*, et flos omnia vincens aromata in utero Virginis germinavit, unde et merito *flos* interpretatur; in hoc super omnes alias speciali gaudet privilegio, quod salutis nostræ Dominus in ea principium procreavit, et ipse præterea nutriri, et parentibus subjici dignatus est, cui Pater omnia quæ sunt in cœlo et in terra subjecit.

ORATIO

Domine Jesu Christe, Fili Dei vivi, qui per triduum a parentibus tuis dolentibus quæsitus, tandem in templo es inventus; da mihi misero te desiderare, desiderando quærere, quærendo invenire, inveniendo amare, amando mala mea redimere, redempta non iterare. Et qui petenti largiris, quærenti inveniris, pulsanti aperiris, non deneges mihi minimo, quod omnibus promittis. Quique ad voluntatem parentum Nazareth rediens, et subditus eis existens formam ostendisti obedientiæ, da mihi duro voluntatem propriam frangere, ut subjectus sim tibi, et propter te omni humanæ creaturæ. Amen.

Digitized by Google

CAPUT XVI

Quid fecerit Dominus Jesus ab anno duodecimo, usque ad principium anni trigesimi.

Lucæ cap. 2.

1 QUID CHRISTUS AB ANNO DUODECIMO USQUE AD TRIGESIMUM FECERIT? — Reversus ergo Dominus Jesus a templo et Jerusalem cum parentibus suis in Nazareth, *erat,* ut dictum est, *subditus illis.* Et ibidem cum eis usque ad principium anni trigesimi habitavit : nec in Scripturis reperitur quod in toto tempore isto aliquid fecerit; quod valde videtur mirabile. Quid igitur meditabimur ipsum fecisse? Stetitne Dominus Jesus otiosus tanto tempore, ut nil faceret dignum scriptura et recitatione? Si enim fecisset, cur, sicut reliqua facta sua, non scriptum fuisset? Omnino stupor videtur. Forte ideo Scriptura tacet, ne acta juniorum nimis se publicent. Sed attende hic bene, quia patenter poteris videre, quod nihil faciendo fecit magnifica. Nihil enim de factis ejus a mysterio vacat; sed sicut virtuose loquebatur et operabatur, sic virtuose tacebat et se subtrahebat. Credendum est enim, sicut dicit doctor *Gregorius,* quod ante et deinceps, absque ostensione alicujus famosi et publici miraculi taliter inter homines conversatus fuerit, quasi unus ex illis, donec ad virilem pervenit ætatem. Unde de ipso dicit Joannes Baptista : *Medius autem vestrum stetit, quem vos nescitis.* Et totum istud tempus breviter complexus est Lucas sub his verbis: *Et descendit cum eis, et erat subditus illis.* Unde et *Thomas :* « Medio tempore, scilicet a nativitate usque ad Baptismum nullum miraculum Christus operatus est, sed conformis conversationis aliis erat, et sua virtus ignota omnibus existebat. Ideo autem non fecit miracula medio tempore, ut non putaretur mysterium Incarnationis phantasma esse, si non se habuisset sicut alii ætate infantes, et ideo demonstrationem scientiæ et virtutis suæ ad id distulit tempus, in quo alii homines scientia et virtute vigere consueverunt : » hæc *Thomas.* Magister hic summus, aliquando docturus virtutes et viam vitæ, cœpit a sua juventute opera virtuosa facere, sed modo mirabili et incognito ac retroactis temporibus inaudito, videlicet se in conspectu inutilem et abjectum et insipientem reddendo, ut devote et sine omni temeraria assertione cogitari et meditari potest. Et cum hac modificatione omnia tibi affirmo, quæ per auctoritatem sacræ Scripturæ non probantur, prout etiam supra in prologo recitatur. Subtrahebat ergo se a consortio hominum, et tumultus eorum devitabat, crebrisque orationibus intentus erat. Ibat ad synagogam, id est ecclesiam, et stabat ibi mul

Digitized by Google

tum in oratione, ponens se in loco viliori et magis humili. Redibat domum, et cum Matre ac nutritio suo stabat, et aliquando hos adjuvabat. Pertransibat eundo et redeundo inter homines, ac si non inveniret homines.

2 Modestiæ et humilitatis commendatio. — Mirabantur cuncti, cernentes Juvenem tam speciosum nihil facere, quantum apparebat, laude dignum. Expectabant quod faceret magnifica, et probi viri opera. Cum enim puer erat, *proficiebat ætate et sapientia et gratia apud Deum et homines.* Sed ecce crescens et perveniens usque ad vigesimum annum, et etiam usque ad vigesimum quintum et ultra, nulla faciebat opera, aliquam speciem probitatis et virilitatis prætendentia. Stupebant vehementer eum et deridebant, et apud omnes communiter vilis et abjectus reputabatur. Quod bene per Prophetam in persona ipsius dictum fuerat : *Ego sum vermis et non homo, opprobrium hominum et abjectio plebis. Omnes videntes me deriserunt me, locuti sunt labiis, et moverunt caput.* Reddebat se vilem omnibus et abjectum. Sed an tibi parum hoc videtur? Ipse quidem non indigebat, sed certe in operibus nostris nullum majus aut difficilius reputatur; ad altissimum gradum pervenisse videtur ac difficillimum, qui ad hoc pervenit, ut corde et animo vere et non ficte ita se vincit ac dominatur animo suo, et superbo carnis suæ supercilio, quod nolit alicujus momenti reputari, sed ut abjectus et vilis sperni. Usquequo igitur ad hunc gradum perveneris, nihil tibi fecisse videaris. Nam cum in veritate, juxta verbum Domini, omnes sumus inutiles, etiam cum bene fecerimus, quousque in hoc abjectionis gradu non sumus, nondum in veritate stamus, sed in vanitate consistimus et ambulamus. Unde non seducamus nosmetipsos, quia, secundum Apostolum : *Qui se existimat aliquid esse cum nihil sit, ipse se seducit.* In omni quidem cura quam pro salute tua geris, non est ullum officium vel medicamentum utilius tibi quam teipsum vituperare atque contemnere. Quicumque ergo hoc facit, adjutor tuus est; hoc enim agit quod tu agebas, aut agere debebas ut salvus fieres. Ad eum itaque qui injuriam tibi fecit, privatum magis te exhibe et affabilem; ad eum vero cui tu fecisti, supplicem et erubescentem. Adversarium tuum et eum qui tibi molestiæ aliquid irrogat, amicum et adjutorem æstima; damnum tibi illatum et contumelias, lucrum et profectum tuum deputa, et pro his gratias Deo et inferentibus referre non cessa.

3 Humilis animi indicia. — Nam, secundum quemdam, humilis gaudet cum despicitur, dolet si honoratur, gemit in prosperis, exsultat in adversis, timet in divitiis, luget in deliciis, cruciatur in abundantia, et in penuria gloriatur, laudes contemnit transitorias, et omni honore æstimat se indignum, abhorret hypocrisim, nescit simulationem, sed diligit veritatem, temporalia obliviscitur, et æterna concupiscit; nescit quæ mundi sunt, ut cœlestia mereatur; nunquam de se præsumere consuevit; vires suas vel gratias, si quas habet, nunquam sibi tribuit; merita sua non suis viribus vel suo sensui adscribit, sed divinæ clementiæ dona humiliter recognoscit. Idem latere desiderat, si fieri possit sine damno proximi, ne possit vel modico jactantiæ seu elationis vitio inquinari. *Quis est* talis, *et laudabimus eum?* Unde *Bernardus* : « Appetere de humilitate laudem humilitatis, non est virtus, sed subversio. Verus humilis vilis vult

Digitized by Google

reputari, non humilis prædicari; gaudet in contemptu sui, hoc solo sane superbus quod laudes contemnit : » hæc *Bernardus*. Si ergo quæras quare Dominus sic vivebat, respondeo tibi, non quia indigeret; sed ut nos instrueret. Unde si non discimus, inexcusabiles sumus. Abominabile est prorsus, si se erigit vermiculus, et vermium esca futurus, ubi se humilians abjecit Dominus majestatis. Si autem absurdum alicui videatur quod sic inutiliter staret, et quod Evangelistæ multa de factis ejus omiserint, et alia similia forte dicat, responderi potest, quod non erat inutile facere et præbere tantæ virtutis exercitium ; imo erat valde utile, et omnium virtutum rectum et stabile fundamentum. Hoc autem quod dico videtur etiam *Bernardus* sentire, prout habes infra in tractatu de Baptismo Domini circa finem. Quomodocumque autem se habet veritas rei, pium et utile videtur sic meditari.

4 Christus cœpit prius facere quam docere. — Habes ergo quomodo Dominus *Jesus cœpit* prius *facere* quam *docere*. Docturus enim erat : *Discite a me, quia mitis sum, et humilis corde.* Hoc ergo primo facere voluit, et non ficte, sed ex corde faciebat, sicut vere, et ex corde humilis et mitis erat. Non poterat in eum simulatio cadere, sed potius intima fundavit et profundavit se in humilitate, vilitate et abjectione, et sic se in conspectu omnium annihilavit; quod etiam postquam prædicare, ac divina et altissima loqui, miracula quoque magnifica opere facere cœpit, non eum reputabant, sed vilipendebant, dicentes : *Quis est hic? Nonne hic est fabri filius?* Et multa alia derisoria et despectiva dicebant. Verificatum est ergo, secundum hunc intellectum, verbum Apostoli : *Exinanivit semetipsum formam servi accipiens,* et non solum cujuscumque servi per Incarnationem, sed etiam inutilis servi, per humilem et abjectam conversationem.

5 Quomodo acquiritur humilitas? — Considera singulos ejus actus : semper in eis relucet humilitas. Hic igitur ipsam fabricavit, id est, ostendit qualiter acquiri possit, scilicet per vilificationem et abjectionem suiipsius in conspectu suo et aliorum, ac per continuum exercitium operum vilium et humilium. Si enim vis adipisci humilitatem, oportet quod præcedat humiliatio, et exercitium operum humilium. Unde *Bernardus :* « Humilitas ad quam utique ducit humiliatio, totius est spiritualis fabricæ fundamentum. Siquidem humiliatio via est ad humilitatem, sicut patientia ad pacem, sicut lectio ad scientiam. Si virtutem appetis humilitatis, viam non refugias humiliationis. Nam si non poteris humiliari, non poteris ad humilitatem provehi. Prodest itaque mihi meam insipientiam sciri, et a scientibus jure confundi, cui sæpe contingit a nescientibus injuste laudari. Grande revera periculum, audire quemquam de se, supra quam sentit in se. Quis dabit mihi apud homines tantum de veris digne humiliari, quantum vel de falsis datum est indigne exaltari? Illam vero vocem propheticam jure assumerem : *Exaltatus autem humiliatus sum et conturbatus.* Et illud : *Ludam, et vilior fiam.* Ludam, scilicet ut illudar. Bonus ludus quo Michol irascitur, et Deus delectatur! Bonus ludus, qui hominibus quidem ridiculum, sed Angelis pulcherrimum spectaculum præbet! Bonus, inquam, ludus, quo efficimur *opprobrium abundantibus et despectio superbis.* Hoc casto et religioso ludo ludebat, qui dicebat : *Spectaculum facti sumus mundo,*

Digitized by Google

Angelis et hominibus. Hoc ludo et nos interim ludamus, ut illudamur, confundamur, humiliemur, donec veniat qui deponit potentes, et exaltat humiles, qui nos lætificet et glorificet, et in æternum exaltet. » Et iterum : « Oportet namque humiliter sentire de se nitentem ad altiora, ne dum supra se attollitur cadat a se, nisi firmiter per veram humilitatem fuerit solidatus. Maxima enim nisi humilitatis merito minime obtinentur. Propterea qui provehendus est, correptione humiliatur, humilitate gratiam meretur. Tu ergo, cum te humiliari videris, habeto id signum in bonum, omnino est argumentum gratiæ propinquantis : nam sicut *ante ruinam exaltatur spiritus*, ita et ante exaltationem humiliatur. Sane utrumque legis : Deum scilicet et superbis resistere, et humilibus gratiam dare; ac parum est cum per seipsum humiliat nos Deus, si tunc libenter accipimus, nisi et quando per alium hoc facit, sapiamus similiter. Quamobrem accipe hujus rei mirabile documentum de sancto David. Aliquando maledictum est illi et a servo. At ille nec cumulatam sensit injuriam, quia præsensit gratiam. *Quid mihi*, ait, *et vobis, filii Sarviæ?* O vere hominem secundum cor Dei, qui se ulciscenti potius quam exprobranti succensendum putavit! Unde et secura conscientia loquebatur : *Si reddidi retribuentibus mihi mala, decidam merito ab inimicis meis inanis.* Vetuit ergo prohiberi maledicum convitiantem, quæstum æstimans maledicta. Sæviebat lingua maledicta, et ille intendebat quid in occulto ageret Deus. Vox maledicentis in auribus, et animus inclinabat se ad benedictionem. Et ideo dicit : *Bonum mihi, quia humiliasti me, ut discam justificationes tuas.* Vides, quia humilitas justificat nos. Humilitas dixi, et non humiliatio. Quanti humiliantur, qui humiles non sunt! Alii cum rancore humiliantur; alii patienter; alii et libenter. Primi rei sunt; sequentes innoxii; ultimi justi. Quanquam et innocentia pars justitiæ est, sed consummatio ejus apud humilem; non humiliatis, sed *humilibus dat gratiam.* Est autem vere humilis, qui humiliationem convertit in humilitatem, et hic *cum David* potest dicere Deo : *Bonum mihi, quia humiliasti me :* » hæc *Bernardus.*

6 De exercitio humilitatis per quinque. — Sunt autem plura quæ ad humiliationem, et humilitatis exercitium valent, de quibus ibidem *Bernardus* sic dicit : « Ad exercitium humilitatis quinque prodesse possunt. Amor vilitatis, ut ea quærat homo in quibus et locus quidam videatur injuriæ. Assiduitas subjectionis, ut semper velit esse cum aliquo, quem revereatur et timeat; ut discat frangere suam voluntatem. Tertio, in humilitatis exercitio est comparatio melioris, ut eum semper attendat homo, in quo inveniat gratiam quæ ei desit, oblitus quæ retro sunt, et in ea quæ ante sunt extentus. Quartum est assidua meditatio propriæ conditionis, ut ad omnem elationis motum statim occurrat : *Quid superbis, terra et cinis?* Quintum est consideratio occulti inspectoris. Quomodo enim qui sæpius confessionem fecerit alicui de verbis quæ arroganter dixerit, si forte contingat, ut parvus simile aliquid loquens illum videat audientem, valde confunditur; ita qui considerat occultum inspectorem, cui cogitatio omnis confitetur, non poterit non erubescere, si elatum quid meditetur; propterea non solum contra superbiam, sed et contra vitia universa valde utile est homini semper videre videntem se, et sic attendere ocu-

Digitized by Google

flos ejus in corde suo, ac si hæc sola cura sit Deo contemplari quid agat, aut quemadmodum se habeat ipse ; » hæc *Bernardus*. Humilitatem igitur pro posse sectare, sine qua non poteris proficere, aut virtutem aliquam possidere. Unde iterum *Bernardus* : « Humilitas ceteris virtutibus in tantum est necessaria, ut absque ista illæ nec esse virtutes videantur. Nempe ut charitas sive quæque alia virtus detur, humilitas meretur; quoniam *humilibus Deus dat gratiam*. Servat acceptas; quia non requiescit Spiritus nisi super quietum et humilem. Servatas consummat, nam *virtus in infirmitate*, hoc est, in humilitate, *perficitur* : » hæc *Bernardus*.

7 Tria quæ meretur humilitas. — Humilitas ergo meretur primo gratiæ impletionem; unde in Psalmo : *Qui emittis fontes in convallibus*, id est, gratiam tuam præstas humilibus, *inter medium montium pertransibunt aquæ*. Duo enim montes sunt duæ species superbiæ, quarum una nascitur ex re temporali, alia ex re spirituali, et inter istos duos montes est vallis humilitatis, non declinans ad aliquam speciem superbiæ, et in isto medio transeunt aquæ gratiarum. — Secundo humilitas meretur implere gratiæ augmentationem, et ideo volens ulteriorem gratiam recipere a Deo, non æstimet se magnum; sed humiliet seipsum. Quod autem homo non elevet se de gratia quam habet, sunt tria signa : primum, si non vult ut propter gratiam vel perfectionem quam habet, exhibeatur sibi majus commodum quam alii; secundum, si paratus est contemptum, incommodum, et laborem pati sicut alii; tertium quod facto sibi incommodo, credit in hoc non sibi fieri injuriam, sed justitiam. — Tertio humilitas meretur gratiæ augmentatæ conservationem. Sicut enim cinis conservat ignem; sic humilitas gratiam, quæ est ignis spiritualis. Conservatur etiam ignis per lignorum appositionem; sic et gratia per bonorum operum multiplicationem, quæ est quasi lignorum appositio. Item conservatur ignis per insufflationem; sic et gratia per ferventem meditationem, quæ est quasi quædam insufflatio. Item conservatur ignis per præservationem a contrario; sic et gratia per occasionum et societatum malarum devitationem, quæ est quasi quædam a contrario præservatio.

8 Christus propriis manibus laborat. — Sed redeamus ad intuendum actus et vitam Domini Jesu speculi nostri, quod est principale nostri propositi. Igitur in omnibus exhibeas te præsentem, et considera illam super omnes alias benedictam familiam parvam, sed valde excelsam, pauperem, et humilem vitam ducentem. Felix Joseph senex quærebat de arte lignaminis quod poterat; Domina vero colo et acu pro pretio laborabat, victum sponso et Filio parabat, et alia expedientia domus obsequia, quæ multa sunt, faciebat, quia servientem non habebat. Compatere igitur sibi quam sic oportet laborare, et suis manibus operari. Compatere etiam Domino Jesu, quia eam adjuvat fideliter, et laborat in his, quæ potest : *Filius* enim *hominis*, ut ipse ait, *non venit ministrari, sed ministrare*. Intuere igitur bene eum, humilia obsequia domus facientem, et nihilominus intuere etiam Dominam et Joseph senem pro vitæ necessariis laborantes. Unde *Basilius* : « Ab ipsa autem primæva ætate parentibus obediens, quantum laborem corporeum humiliter et reverenter sustinuit. Cum enim homines essent honesti, et justi, egeni tamen et

Digitized by Google

necessariorum penuriam patientes, teste præsepi, manifestum est quod sudores corporeos frequentabant, necessaria vitæ sibi inde quærentes; Jesus autem obediens illis etiam in sustinendo labores subjectionem plenariam ostendebat : » hæc *Basilius*. Conspice etiam qualiter ipsi tres comedunt ad unam mensam simul per singulos dies, non lautas et exquisitas, sed pauperes et sobrias cœnas sumentes; et qualiter postea simul colloquuntur, non inania et otiosa verba, sed plena Spiritu Sancto et sapientia, nec minus mente reficiuntur quam corpore et qualiter post aliqualem recreationem convertunt se in cubilibus suis ad orationem, non enim erat eis domus ampla, sed parva. Meditare etiam tria cubilia in aliqua camerula, scilicet unum pro quolibet eorum, et intuere Dominum Jesum super unum sero post orationem se componere per singulas noctes, tam longissimi temporis spatio, sic humiliter, sic viliter, sic etiam perseveranter, ut faceret quicumque alius pauperculus de populo. Quolibet sero in hoc strato deberes sibi compatiendo eum aspicere, et te eidem humiliter, et devote recommendare.

9 Lætitia Mariæ de tanti Filii præsentia. — In tanta tamen corporis afflictione et penuria, pia Mater replebatur mentis lætitia de tanti Filii præsentia. Unde *Anselmus* : « Quo vel quali gaudio replebatur tota substantia ejus, quando eum quem tantopere diligebat, quem Creatorem atque Dominatorem omnium rerum esse sciebat, secum degentem, secum edentem, seque quæcumque nosse volebat dulci affatu docentem haberet, quis capiet? Quantumvis mirabilis itaque et ineffabilis amoris affectus considerari queat, inter hunc talem tantæ Matris Filium, et hanc talem tanti Filii Matrem perpendant hi saltem quoquo modo, qui unico dilectionis fervore sæpe altrinsecus amant, Mater scilicet Filium, et Filius Matrem. Nec putetur ab aliquo', vel parum quid sentire in se quemlibet de affectu istius Matris in Filium suum. Nullo siquidem modo crediderim quod is qui ad eum intelligendum provehi meruerit ab amoris ipsius dulcedine extraneus usquequaque fieri possit. Qui autem in hujus dilectionis suavitatem transit, nullo pacto defendendum, quin et in retributionis ejus participium transiturus sit : » hæc *Anselmus*.

10 Sequendum est Christi se humiliantis exemplum. — Vidisti quantam paupertatem, vilitatem et asperitatem, vigilando, dormiendo, abstinendo, et in omnibus suis actibus Rex regum, et Dominus æternus per tam longissimi temporis spatia pro nobis sustinuit. Ubi sunt ergo quærentes otia et commoda, quærentes superflua et ornata, quærentes curiosa et vana? Non didicimus in scholis Magistri hujus, qui talia volumus. Sed numquid sapientiores eo sumus? Ipse nos docuit verbo et exemplo humilitatem, paupertatem, ac corporis et laboris afflictionem. Sequamur ergo summum Magistrum, qui nec fallere vult, nec falli potest, *et habentes*, juxta doctrinam Apostoli *victum, et quibus tegamur* ad congruentem scilicet necessitatem, non superabundantiam, *his contenti simus*. Aliis etiam virtutum exercitiis et studiis spiritualibus, continue, indesinenter et vigilanter, pro posse, insistamus. Ex hoc ergo facto Domini, accipe doctrinam in tuam parvitatem resiliendo; ac teipsum non solum in tuo, sed etiam in aliorum conspectu vilificando et per exercitium vilium et humilium operum abjiciendo. Videas continue defectus

Digitized by Google

tuos, et peccata tua, et ea aggrava quantum potes. Aliorum vero defectus post tergum projicias, et non videas; quod si videris, allevies et excuses, et ipsis compatiaris et succurras pro viribus, cogitans semper quod tu faceres pejus, nisi sola sua gratia te conservaret Jesus Christus. Averte oculos tuos et mentis et corporis ab aspectu aliorum, ut in lumine vultus Dei conspicere possis teipsum. Nihil enim ad te humiliandum utilius reperire poteris, quam si teipsum bene inspexeris. Unde *Bernardus* : « Volo proinde animam primo omnium scire seipsam, quia talis scientia non inflat, sed humiliat, et est quædam præparatio ad ædificandum. Nisi enim super humilitatis stabile fundamentum spirituale ædificium stare minime potest. Porro ad se humiliandam nihil anima invenire vivacius seu accommodatius potest, quam si se in veritate perspexerit; tantum non dissimulet, non sit in spiritu ejus dolus, statuat se ante faciem suam, nec a se avertere abducatur : » hæc *Bernardus*. Unde et *Augustinus* dicit, quod non est parvus ad beatitudinem accessus, cognitio infelicitatis suæ. Teipsum ergo sine cessatione considera, et semper sine simulatione dijudica. In omni actu tuo, in omni locutione tua, et in omni cogitatione tua teipsum reprehende, et in te semper compunctionis materias studeas invenire, cogitando quod etiam bona quæ facis non sunt ad plenum excocta, nec illo fervore quo deberent facta, sed multis inquinata negligentiis, ut merito omnis justitia tua panno menstruatæ comparari debeat mulieris.

11 CONSIDERANDUM QUOD OMNIS APTITUDO AD BONUM PROFLUIT A MISERICORDIA DEI, ET DE SEIPSO DIFFIDENDUM. — Considera etiam diligenter, et cum magno pavore frequentissime rumina, quod omnem aptitudinem ad bonum, et ad omnem gratiam, seu quamcumque sollicitudinem circa virtutum acquisitionem, a teipso non habeas, sed Christus tibi dedit sola sua misericordia : qui si voluisset, potuisset ita conferre cuicumque ribaldo, te in luto fæcis et lacu miseriæ derelicto. Quomodo enim sibi aliquid tanquam suum attribuet, ac si ab ipso proveniat, qui multoties suam impossibilitatem in quibuscumque bonis operibus magnis et parvis est expertus, qui toties cognovit se non posse dum voluit; et quando, ut ita dicam, non voluit, nec curavit, nec super talibus cogitavit, sensit se subito divinitus excitatum, fervore mirabili ad illa opera facienda quæ prius cum omni suo conatu implere non potuit? Nam et talem impossibilitatem idcirco Deus tam longo tempore dominari in homine permittit, ut discat humiliari, et nunquam in seipso inaniter glorietur; sed Deo omne bonum attribuat, non solum consuetudine quadam et labiis, sed potius ex intimo sui cordis. Cogita etiam quod non est ribaldus, vel quicumque peccator, qui non magis assisteret Deo suo quam tu, et qui non magis recognosceret Dei beneficia quam tu, si recepisset gratias quas tu, sola Dei gratuita bonitate, et non propriis meritis, recepisti; propter quod potes teipsum viliorem et inferiorem omni homine judicare; et ne propter ingratitudinem tuam a suo conspectu te Christus foris abjiciat, non immerito formidare, et peccata aliorum in te sub quadam similitudine transformare, sic te in tua conscientia increpando : ecce ille est homicida, et ego miser multoties occidi animam meam; iste fornicator est et adulter, et ego tota die fornicor et adulteror, a Deo meo oculos meos avertendo, et dia-

Digitized by Google

bolicis suggestionibus supponendo; et sic de aliis suo modo. Debes etiam habere in proprio tuo sentimento duo, videlicet quod sentias de teipso sicut de uno corpore mortuo fœtenti, pleno vermibus, et male olenti, et sicut de uno cadavere quod homines dedignantur videre, imo claudunt nares propter ejus pessimum fœtorem, et avertunt facies ut non videant talem ac tantam abominationem. Et quod si quis de tuo corpore justitiam faceret, sentias quod justum esset ut tibi oculos erueret, ac nasum, aures, et os abscinderet, et sic de aliis sensibus et membris corporis; quia Deum offendisti cum eis, et quod tantum de hoc gauderes, ut nunquam aliud de te tantum desiderares, aut velles, et quod omnia vituperia, verecundias, et diffamationes plusquam possent imaginari, vel cogitari, ut vinum biberes, ac cum summo gaudio et lætitia cordis reciperes, imo in facie ridens, splendens, et alacer appareres. Et quod omnes te videntes faceres admirari, et ad seipsos converti, et quod crederent non posse sine Deo hoc fieri. Deinde oportet quod diffidas de teipso totaliter, et de omnibus bonis tuis, et de tota vita tua, et convertas te totum, et reclines super brachia Jesu Christi pauperrimi, humillimi, improperati, despecti, et mortui propter te, usquequo tu sis mortuus in omnibus tuis sentimentis humanis, et quod Jesus Christus crucifixus vivat in tuo corde, et in anima tua, et totus transformatus et transfiguratus et vivus; et hæc cordialiter sentias in te, in tantum ut nunquam videas vel audias nisi solum Jesum stantem in cruce suspensum, et mortuum propter te, ad exemplar beatæ Virginis mortuus mundo et vivens in fide; et quod in illa fide vivat tota tua vita, usque ad resurrectionem, in qua Deus mittet gaudium spirituale et donum Sancti Spiritus in anima tua, et in illis *qui diligunt adventum ejus*.

12. Sic generatur humilitas, omnium virtutum mater. — Ex his præmissis generabitur in te virtus illa, quæ est mater et origo omnium virtutum, scilicet humilitas, quæ interiores oculos aperit ad Dei conspectum, cor humanum ab omni superflua cogitatione purgando. Nam dum homo in suam parvitatem resilit, se vilificando, se increpando, se detestando, suam nihilitatem considerando, sibiipsi intentissime displicendo, per hæc et similia in tantum circa propria occupatur negotia, quod omnis alia inutilis cogitatio arescit, et sic dum omnia alia audita, visa, et temporaliter operata a se repellit, et in oblivionem adducit, incipit ad seipsum redire, et modo mirabili in seipsum revolvitur, et sic ad originalem justitiam et cœlestem quodammodo puritatem incipit propinquare. Sic, dum in seipsum reflectitur, contemplationis oculus dilatatur, et in se scalam erigit, per quam transeat ad contemplandum et angelicum spiritum, et divinum. Ad quod oportet ut anima materialia omnia ab oculis suis excludat, sicut aliquis volens solem visibilem intueri, necesse est ut ab omnibus aliis visibilibus oculos avertat. Et ex tali contemplatione animus ad bona cœlestia inardescit, et omnia temporalia tanquam nihil et de longe prospicit. Per hoc illa charitas in mente fervescere incipit, quæ velut ignis omnem rubiginem vitiorum consumit. Sic totam animam in tantum occupat charitas, quod non est qua intret vanitas. Jam quidquid cogitat, quidquid loquitur vel operatur, totum provenit ex dictamine charitatis. Ut ergo in bono jugiter perseveres, sta

Digitized by Google

jugiter in timore, et a Deo totaliter recognosce, et ab ipso perseverantiam pete. Et si non vis corruere, noli alios judicare, nec contra eos indignationis spiritu movearis, si eos vides in aliquibus deficere, et eis compatiaris ex corde, ac pro eis suppliciter ora, et eos in corde tuo, quantum potes, excusa, cogitando quod non potes aliquid, nec ipsi possunt, nisi quantum Christi gratia manum suam porrigit, qui non pro meritis, sed pro suæ voluntatis beneplacito tribuit. Si hæc cogitaveris, firmus eris. Nam quæ est causa quod multi quandoque incipiunt multa in abstinentia, et in aliis facere, qui non perseverant, corpore languente, vel spiritu frigescente? Certe nulla alia causa, nisi propter eorum elationem et præsumptionem, dum de se præsumentes, aliis indignantur, et eos in cordibus suis judicant, et Deus subtrahit ab eis donum suum, efficiunturque defectuosi plus quam alii, quos primitus judicabant. Nam communiter istud accidit, quod quicumque alium in aliquo judicat, Deus tandem eum in eodem defectu, vel majori cadere permittit. Ergo servias Deo in timore, et si quando te sentias in exaltatione quadam ob memoriam beneficiorum quæ tibi donat Altissimus, *apprehende disciplinam* increpationis et propriæ reprehensionis, *ne quando* tibi *irascatur Dominus, et pereas de via justa,* et cadas, Et breviter sequere utilem *Anselmi* doctrinam: « Omnia, inquit, interiora tua, et ea quæ agis inspicias, et ad quem finem quæque perventura sint videas. Et credo, nisi insanus sis, ea facies unde felicitatem et gaudium recipies; ea vero dimittes, unde tormenta et tristitiam mereris: » hæc *Anselmus.*

ORATIO

O Jesu, mitis et veræ patientiæ forma, et humilitatis exemplum, repelle a me omnes fastus superbiæ, cunctosque appetitus inanis gloriæ, omnia simul genera tantæ pestis, tantæque malitiæ. Non sit, Domine, neque videri possit ullum tanti mali, tantæque perditionis signum in servo tuo, neque in moribus meis, neque in verbis, neque in factis, neque coram te in cogitationibus meis. Funda me in vera et profunda humilitate, ut nullus in me pateat locus inimicorum insidiis, et præsta ut sim parvulus in oculis meis, quatenus plenam gratiam inveniam in oculis tuæ majestatis. Amen.

Digitized by Google

CAPUT XVII

De officio et vita Joannis Baptistæ.

Matthæi cap. 3, et Lucæ cap. 3.

1 TRANSIT AUCTOR AD OFFICIUM JOANNIS BAPTISTÆ. — Prætermissis omnibus aliis infantiæ Salvatoris actibus, cura fuit deinceps ipsis Evangelistis describere facta et dicta Christi, quæ gessit secundum ætatis plenitudinem et secundum virum perfectum; et primo de Baptismo quo a Joanne baptizatus fuit. Præmittendum est igitur mysterium et officium Joannis baptizantis, et Baptismum pœnitentiæ prædicantis.

2 STATUS POLITICUS JUDÆÆ. — *In diebus itaque illis,* quibus adhuc in Nazareth Jesus habitabat, vel quando hæc quæ sequuntur contigerunt, secundum quod dicitur in principio Evangeliorum in Ecclesia, *in illo tempore,* scilicet : *Anno quintodecimo Tiberii Cæsaris,* qui successit Octaviano Augusto, sub quo natus est Christus; *procurante* et regente *Pontio Pilato Judææam; Tetrarcha autem,* adhuc, *Galilææ Herode; et Lysania Abylinæ Tetrarcha; Philippo,* etiam adhuc, *Tetrarcha Iturææ et Trachonitidis regionis.* Ubi sciendum quod, ut supra dictum est, regnum Judæorum in quatuor Tetrarchias divisum fuerat, quarum duas, scilicet Judæam et Abylinam habebat Archelaus, tertiam vero, et quartam Philippus. Accidit autem ut Archelaus, tyrannidem exercens apud Augustum accusaretur, qui ob hæc ab Augusto depositus in exilium est missus decimo anno sui principatus. Et ex tunc una pars principatus sui, scilicet Judæa, cœpit per Procuratores et Officiales Romanorum administrari, quorum quintus Pontius Pilatus fuit, sic dictus a Pontia insula, in qua stetit. Unde non erat princeps ordinarius, sed fuit vicarius, vel delegatus, et ideo Procurator est dictus. Si ergo quandoque legitur Præses fuisse, intelligendum est de Procuratore; quia, ut videtur, nunquam Præses fuit, sed eo Procuratore existente, Vitellius Præses Syriæ, cujus pars Judæa est, extitit. Et forte ideo Præses dici poterat quia quandoque Præsidis officium exercebat. Altera vero pars principatus sui, scilicet Abylina, tradita est Lysaniæ, sub nomine Tetrarchiæ. Istum Lysaniam dicunt quidam fuisse filium Herodis Ascalonitæ, sub quo natus est Dominus; sed Josephus dicit quod fuerit nepos ejus, natus ex Alexandra, sorore ipsius Herodis, et ex patre Ptolemæo de Libano, et hoc magis videtur. Et subditur : *Sub principibus sacerdotum Anna et Caipha.* Isti affinitate erant conjuncti, et vicissim Pontificatum administrabant, sed Annas quo anno Dominus est baptizatus, et Caiphas illo quo est passus, inter quos in illis tribus annis, tres alii, scilicet : Ismael, Eleazarus, et Symon fue-

Digitized by Google

runt, qui hic tacentur; et tangit Evangelista solum illos sub quibus prædicatio incepit Joannis, et passus est Christus. Quod autem prædicatio Joannis tam solemniter describitur, scilicet per Imperatoris, et Pontificum, et Principum tempora, est ad designandum excellentiam ejus quem nuntiare veniebat, utpote qui summus Imperator et Pontifex, et Gubernator omnium existebat.

3 Fit verbum Dei ad Joannem. — Tunc ergo *factum est verbum Domini,* id est, superna mentis inspiratio, quæ dicitur verbum, quia intus in mente loquitur, secundum illud Psalmi : *Audiam quid loquatur in me Dominus* Deus; *super Joannem Zachariæ filium in deserto,* qui tunc in anno erat trigesimo, quod tempus prædicationi debitum est; quia tunc ætas virilis viget; ut baptizans et prædicans Christi adventum, et redemptionis solatium annuntiaret. Audivit Joannes per internam inspirationem, ac revelationem divinam et auditu mentis, verbum Domini sola gratia desuper ei loquentis. Unde, secundum *Chrysostomum,* verbum Domini hic mandatum, seu præceptum Dei dicitur, quia non a semetipso Joannes, sed Deo illum monente, ad ministerium illud accessit. Unde et ipse ait : *Qui me misit baptizare in aqua,* etc. Et ne propter defectum aquæ differretur baptismus eorum, qui in ejus prædicatione convertebantur, et ut prædicando magis proficere posset, exivit de deserto, ubi jam pœnitentiam agendam prædicare cœperat; *Et venit in omnem regionem,* circa Jordanem, ubi copia aquarum et loca populosa erant, baptizans et *prædicans baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum.* Et in hoc dedit exemplum prædicatoribus ut loca fructificationis verbi divini quærant, non recreationis.

4 Baptismus Joannis non mundabat sine pœnitentia. — Baptismus Joannis disponebat homines ad suscipiendum Christum, ideo non baptizabantur ab eo, nisi Judæi, quibus principaliter promissus fuit Christus. Mulieres etiam non baptizabantur, quia ipsæ erant instruendæ a viris. Nec infantes baptizabantur, quia mysterium non intelligebant et cognitio necessaria erat. Baptismus vero Christi datur omni sexui, omni genti, omni ætati in remissionem peccatorum. Quod ergo hic dicitur, *in remissionem peccatorum,* non est referendum ad baptismum Joannis, sed ad pœnitentiam quæ baptismo annectebatur, sola enim ipsa pœnitentia ea remittebat. Baptismus quidem Joannis, baptismus pœnitentiæ erat, quia ad pœnitentiam baptizandos monebat, et non nisi adultos, quos pœnitentes videbat, baptizabat. Unde licet baptismo ipsius non dimitterentur peccata, susceptio tamen illius erat quædam protestatio agendi pœnitentiam, per quam dimittuntur peccata. Erat etiam baptismus Joannis *in remissionem peccatorum,* non effective, sed præparative, quia præparabat ad Christi Baptismum, in quo fiebat remissio peccatorum. Baptismus ergo Joannis erat baptismus pœnitentiæ, quia pœnitentiam delictorum habebat; sed ea relaxare non poterat : Baptismus autem Christi est Baptismus gratiæ, quia in Christo datur, et peccata relaxantur. Unde *Chrysostomus :* « Illud datum est in pœnitentia, hoc in gratia; ibi venia, hic victoria. » Et notandum, secundum *Gregorium Nazianzenum,* quod quintuplex est differentia baptismatum : est enim quoddam figurativum, quo baptizavit Moyses, sed in aqua solum, scilicet in nube et mari; aliud est præparativum, quo baptizavit Joannes, de quo hic dicitur; tertium est perfectivum, ut Baptisma Christi, quod

Digitized by Google

fuit in Spiritu; quartum est supererogativum, quod scilicet fit in sanguine per martyrium, et hoc est venerabilius ceteris, quia iteratis non fœdatur contagiis; quintum est culparum actualium abstersivum, quod fit quotidie in lacrymis, et est laboriosius ceteris.

5 ERAT SOLUMMODO PRÆPARATORIUS ET FIGURATIVUS. — Joannis quidem baptismus erat præparativus, quia necessarium erat homines præparari ad Christum baptismo ejus; et secundum hoc ita se habet baptismus Joannis ad Christi Baptismum, sicut catechismus in quo baptizandi instruuntur de fide, et præparantur ad Baptismum, se habet ad Baptismum verum. Unde *Remigius*: « Baptismus Joannis figuram gerebat catechumenorum. Nam sicut modo catechizantur pueri ut digni fiant ad sacramentum Baptismatis, ita Joannes baptizabat, ut baptizati ab eo, postea devote vivendo digni fierent accedere ad Christi Baptismum. » Unde et *Chrysostomus*: « Apte ergo cum dixisset quod venit *prædicans baptismum pœnitentiæ*, adjecit *in remissionem peccatorum*: Quasi diceret: idcirco suadebat illis pœnitere, ut subsequentem facilius impetrarent credentes in Christum, unde baptisma illud nullam aliam habuit causam, nisi quod præparatorium erat ad fidem: » hæc *Chrysostomus*. Unde et baptizabantur in Jordane, qui *descensio* interpretatur, de superbia veteris hominis ad humilitatem confessionis et emendationis descendentes, quatenus, abdicata vita veteri, renovari mererentur in Christo. Ideo etiam convenienter baptismus Joannis factus est in Jordane; quia erat quædam protestatio pœnitentiæ agendæ, per quam appropinquat regnum cœlorum, et transitus ad terram viventium, sicut filii Israel ad terram promissionis transierunt per Jordanis fluvium. Baptizavit autem Joannes propter plures rationes: prima est, secundum *Augustinum*, ut significaret Baptismum Christi, et sic fuit sacramentum; secunda est, secundum *Chrysostomum*, ut ex nomine baptizandi plures ad Joannem convenirent, quibus de Christo annuntiaret; tertia est, secundum *Gregorium*, ut per baptismum Joannis homines assuescerent ad Baptismum Christi; quarta, secundum *Bedam*, ut per baptismum Joannis homines præpararentur et humiliarentur ad Baptismum Christi; quinta est, secundum ipsum Joannem, ut manifestaretur Christus in Israel in baptismate Joannis, voce Patris et Spiritus Sancti.

6 QUID PRÆDICABAT JOANNES? — Dicebat ergo prius in deserto, et postea circa Jordanem ad eos qui moti conversatione vitæ ejus exibant ad ipsum: *Pœnitentiam agite*, id est, pœniteat unusquisque mala prioris vitæ, *appropinquabit enim regnum cœlorum*: scilicet pœnitentiam agenti. Secundum *Remigium* regnum cœlorum quatuor modis dicitur, scilicet: Christus, secundum illud: *Regnum Dei intra vos est*; sancta Scriptura, secundum illud: *Auferetur a vobis regnum Dei, et dabitur genti facienti fructum ejus*; sancta Ecclesia, secundum illud: *Simile est regnum cœlorum decem virginibus*; supernum solium, secundum illud: *Multi ab Oriente, et Occidente venient et recumbent in regno cœlorum*. Et hoc totum potest hic intelligi. Agenda est pœnitentia et non sera, quæ est damnatorum; non coacta, quæ est latronum; non ficta, quæ est hypocritarum; non desperata, quæ est perditorum; sed vera, quæ, secundum *Chrysostomum*, cor mundat, sensus illuminat, et ad susceptionem Christi humana præcordia præparat. Ut autem ait *Hieronymus*: « Primum Baptista

Digitized by Google

Joannes regnum cœlorum prædicat, ut præcursor Domini hoc honoretur privilegio. » Unde *Petrus Ravennas* dicit, quod post peccatum Adæ, et illius diluvii vastitatem solemnem electa est justorum infinita pluralitas, cum quibus Deus facie ad faciem locutus fuisse dignoscitur. Et enumeratis præcipuis Patriarchis, Patribus, et Prophetis Veteris Testamenti subinfert, quia ab eis nulla mentio facta fuit de regni cœlestis perpetua mansione; et in his omnibus memoria hujus regni nec nominatur, nec auditur, nihilque de cœlestis regni gloria prophetatur. Et subdit : « Quid plura? A principio mundi usque ad Joannem universitatis humanæ electionem recollige, nec in sermone vel opere illius regni cœlestis poteris reperire dulcedinem. Veni ergo ad Joannem, et audi vocem exsultationis, vocem lætitiæ, misericordiæ verbum, sermonem gloriæ, gratiæ largitatem, quod celaverat Deus, tacuerat Angelus, laterat Patriarchas, Prophetæ nescierant. *Pœnitentiam*, inquit, *agite : appropinquabit enim regnum cœlorum*. Verbum pœnitentiæ dulce et gloriosum, verbum regni cœlorum lætum et advocandum illi soli primo conveniens, qui primus Novi Testamenti posuit fundamenta. » Et addit : « A diebus Adæ usque ad Joannem, organum nostrum versum est in vocem flentium, quia ubi peccatorum frequentia, nec pœnitentiæ locus, duplex erat plorandi materia. Joannes natus ostendit medicamen vulneri, peccato pœnitentiam, veniam iniquitati. Hæc est prima vox, quam clamans in deserto proposuit, et *vox turturis audita est in terra nostra, — et* tunc *inmisit in* os nostrum *canticum novum, carmen Deo nostro;* et resonat in ore nostro gratiarum actio, et vox laudis. Superexaltatur misericordia, peccatoribus parcitur, regnat pietas, justitia dissimulatur, et miserendi, non feriendi quærit occasionem *misericors et miserator Dominus* : » hæc *Petrus Ravennas*.

7 SANCTITAS JOANNIS COMMENDATUR. — Et ut ostendatur idoneitas Joannis ad testificandum de Christo, ex sanctitate vitæ describit Evangelista vitam Joannis. Primo ab asperitate vestis, quia utebatur veste aspera, scilicet cilicio seu tunica de duris *camelorum pilis*. In quo monemur, ut ad refrenationem carnis asperis utamur. Unde *Hieronymus :* « De pilis, inquit, habebat vestimentum, non de lana. Aliud austeritatis indicium est, aliud luxuriæ mollioris. » Unde etiam *Chrysostomus :* « Servis autem Dei non convenit habere vestimentum ad speciem visionis, vel ad carnis delectamentum, sed tantum ad nuditatis tegmentum. Habebat enim Joannes vestem non mollem neque delicatam, sed cilicinam, gravem et asperam, et conterentem corpus potius quam foventem, ut de virtute animæ ejus ipse habitus corporis loqueretur. » — Secundo a continentia constringente carnis lasciviam, quia habebat *zonam pelliceam* asperam, id est corrigiam de siccis et crudis animalium pellibus factam, *circa lumbos* in quibus est sedes luxuriæ, ad carnem et luxurias mortificandam, quia *carnem suam crucifixit cum vitiis et concupiscentiis*, quod eorum est proprium *qui sunt* Jesu *Christi*. Unde *Chrysostomus :* « Consuetudo enim erat apud Judæos ut zonis laneis uterentur, ideo iste quasi durius aliquid facere volens zona pellicea cingebatur. » Quid tunica et zona Joannis allegorice significent, patet per *Chrysostomum*, qui alibi sic ait : « Erat Joannes, hoc est Lex in Joanne, vestitus pilis cameli. Non poterat habere tunicam de agno, de quo dicitur : *Ecce Agnus Dei, ecce*

Digitized by Google

qui tollit peccata mundi; sed *zonam pelliceam habebat circa lumbos suos,* quia Judæi hoc solum putant peccatum esse quod opere peccant. Ceterum Dominus noster Jesus Christus in Apocalypsi Joannis qui videtur inter septem candelabra, habebat zonam auream, non in lumbis, sed in pectore. Lex in lumbis cingitur, ceterum Christus, hoc est Evangelium, et monachorum virtus, non solum in libidine, sed et in mente commendatur. Hic nec cogitare quidem expedit, ibi qui fornicatus fuerit tenetur in crimine. » — Tertio ab abstinentia et victus parcimonia, *locustas enim,* id est, herbas sic appellatas, *et mel silvestre edebat,* qui cibus pauperum est in terra illa. Ubi sciendum quod locustæ plura significant, de quibus iste versus extat :

Radices, herbas et aves, dic esse locustas.

Sunt enim parva animalia per modum saltus volitantia, quæ reperiuntur in deserto Judææ, et frixa cum oleo sunt cibus pauperum, sed non videtur quod Joannes locustarum carnes manducavit, qui pane etiam vesci renuit, et quod frixuris usus sit, qui nihil coctum accepit; et ideo magis videtur probabile de aliis intelligi debere, unde in partibus illis quamdam herbam langustæ, id est *locustam,* nominant : quæ dicitur illa esse quam beatus Joannes edebat. *Mel* autem *silvestre* ex apibus in truncis arborum reperitur; vel, secundum *Rabanum,* sunt folia arborum alba et tenera, quæ manibus contrita saporem habent quasi mellis; invenitur etiam ibidem mel ex calamellis, quæ calamellæ sunt calami pleni melle, id est, de succo dulcissimo : vocantur etiam alio nomine *cannamelles,* quod nomen ex *canna* et *melle* componitur, eo quod cannis sive arundinibus hujusmodi calami sunt similes. In hoc itaque beatus Joannes aperte demonstrat, quod pro nihilo mundum istum omnesque ejus blanditias duceret, qui tam vilissimo indumento ciboque tenui, et imparato utebatur. Sola enim hujus vitæ necessaria quærebat qui sic vivere disposuerat. Hujus exemplum illi sequuntur, qui dicunt : *Habentes alimenta, et quibus tegamur, his contenti sumus.* Propterea enim quia pœnitentiam prædicabat, qualiter pœnitentes vivere debeant, ut bonus magister eis in seipso exemplum et regulam dabat. Erat ei terra cubile, antra domus, pilus vestis, pellis zona, aqua potus, locusta cibus. Et sic non solum mundum et blanditias ejus contemnere, sed etiam totius generis humani peccata deflere se ostendit, et exemplum utile posteris dereliquit. Totum ergo quod erat in Joanne, pœnitentiam prædicabat : et nomen, quia *Dei gratia;* et locus, quia desertum; et habitus, quia cilicium; et cibus, quia locustarum; et sermo, quia pœnitentiæ verbum; et operatio, quia baptisma assuefaciens ad bonum.

8 PER IPSUM FIGURATUR PRÆDICATOR EVANGELICUS. — In Joanne describitur Evangelii prædicator : et primo quantum ad doctrinam, debet enim exemplo Joannis prædicare pœnitentiam, et ea quæ recedere faciunt a peccatis, et ea quæ faciunt accedere ad consecutionem regni cœlestis; secundo quantum ad continentiam, quia zona dicitur esse circa lumbos, ut prædicator continentiam habeat, unde Dominus Jeremiam mittens prædicare ait : *Accinge lumbos tuos;* tertio quantum ad vitam, et hoc dupliciter, scilicet quantum ad vestitum et victum, in quibus etiam a Joanne accipiat exemplum. Qui ergo pœnitentiam

Digitized by Google

et aspera injungit vel prædicat et corripit, habitum pœnitentiæ prætendat, aspera veste tegatur, et parce reficiatur, ut in eo vilitas vestis et cibi laudetur, quorum usus in divite arguitur. Austeritas enim vitæ requiritur in Evangelii prædicatore; ideo dicit Apostolus : *Castigo corpus meum, et in servitutem redigo, ne forte cum aliis prædicaverim ipse reprobus efficiar.* Unde *Hieronymus :* « Vestis quippe et cibus et potus totam austeram vitam prædicantium ostendebat. » Ubi et *Chrysostomus :* « Talem esse oportebat Præcursorem Domini Prophetam et Apostolum Christi, qui totum se cœlesti Deo, contemptis rebus mundi, præstaret. Unde non immerito a Domino etiam Angelus nuncupatur, quia in hoc mundo positus mundum ipsum angelica vita calcabat. Si autem ille qui purus ita erat et cœlo clarior, et Prophetis celsior, et quo nullus hominum *major fuit,* quique tanta apud Deum familiaritate gaudebat, ita seipsum ad omnem patientiam durabat laborum, fluxa deliciarum cum divitiis despiciens, atque ad omnem se vitæ rigorem coarctans; quam nos habebimus excusationem, qui post tot Christi beneficia, post tanta et infinita onera peccatorum, neque minimam particulam illius castigationis imitamur; sed commessationibus et ebrietatibus dediti, ac peregrino odore fragrantes, vel potius fœtentes, ac undique nosmetipsos relaxantes et mollificantes in prædam diaboli præparamur, et ei captabiles nos facimus ? » hæc *Chrysostomus.*

9 Concursus populi ad Joannem. — Tunc, audita Joannis fama, *exibat ad eum omnis Jerosolyma,* quantum ad habitantes in civitate illa, *et omnis Judæa,* quantum ad circumjacentes in ea, *et omnis regio circa Jordanem,* quantum ad duas tribus et dimidiam, *omnis,* inquam, id est multi de omnibus, ut sit hyperbolica, id est, multum expressiva locutio, et ponitur ibi continens pro contento : *et baptizabantur ab eo in Jordane* baptismo suo, *confitentes peccata sua,* et se aptantes Baptismo Christi suscipiendo. Baptismus enim Joannis ad hoc erat ordinatus, quasi quædam præparatio et præfiguratio Baptismi ipsius Christi de proximo venturi, et ideo Joannes non solum prædicabat, sed etiam baptizabat; quia sicut sua prædicatione nuntiabat Christum de proximo venturum, sic suo baptismo assuefaciebat homines ad libentius suscipiendum Christi Baptismum. Unde baptismus Joannis erat quædam protestatio credendi in Christum venturum, et faciendi opera pœnitentiæ, ut devotius acciperent ipsum. Et hoc est quod in Actibus dicitur, quod *Joannes baptizavit baptismo pœnitentiæ populum, dicens : In eum qui venturus esset post ipsum, ut crederent, hoc est in Jesum,* et ideo dicitur hic, *confitentes peccata sua,* delenda scilicet per Christum venturum; quia non poterat hoc facere Joannes, sed denuntiabat hoc per Christum fiendum.

10 Quomodo Joannes cum Pharisæis et Saducæis egerit ? — *Videns autem multos Pharisæorum et Saducæorum,* non confitentes peccata sua, *venientes,* cum turbis *ad baptismum,* non ex vera religione, sed populi timore, ac ficte et insidiose, dixit eis : *Genimina,* seu *progenies viperarum,* id est, venenati et venenatorum filii, *quis ostendit vobis,* non pœnitentibus, *fugere a ventura ira,* et evadere severitatem futuri judicii ? Quasi dicat : Nullus, nisi a malitia vestra recedatis, et pœnitentiam faciatis. Licet enim falsitas vestra lateat in conspectu populi, non tamen latere poterit in judicio Dei, quia tunc erunt manifesta abs-

Digitized by Google

condita cordis vestri. Sic eos arguebat, ut a malis suis resipiscentes, per justam pœnitentiam futuri judicii pœnam evaderent; nam, secundum *Gregorium*, ventura ira est extrema Dei vindicta, quam tunc fugere peccator non valet, qui nunc ad lamenta pœnitentiæ non recurrit. Pharisæi dicuntur a Phares, quod est *divisio*, quasi ab aliis divisi, vel se dividentes, scilicet Judæorum sacerdotes, qui in habitu, et in victu, et in gestu erant quodammodo distincti ab aliis in signum majoris religionis. Saducæi dicuntur a Sadoch, quasi *justi*, vel *se justificantes*, qui quinque libros Moysis recipiunt, Prophetas respuunt, resurrectionem et Angelos esse non credunt. Hos quoque, qui inter Judæos majores esse videbantur, videns Joannes ad suum venire baptismum, eos increpabat, et confidenter vitia eorum arguens, utrosque *genimina* et *progenies viperarum* vocabat, quia venenum hypocrisis et erroris a suis traxerunt progenitoribus, et quia malorum acta imitantes eis invident, eos persequuntur, et ita venenati filii de venenatis parentibus sunt nati. Nam, secundum *Remigium*, consuetudo Scripturarum est ab imitatione operum nomina imponere. Sic et isti ab imitatione viperarum *progenies viperarum* dicuntur. Cum igitur pœnitentia et correctione maxime indigerent, increpantur; quia non prius venena deponunt, ut sic ad Baptismum veniant, unde subjungitur: *Facite ergo*, scilicet in præsenti et cito, *dignos fructus pœnitentiæ*, id est, pœnitentiam dignam et fructuosam per contritionem, per confessionem, per satisfactionem, ut fugiatis iram venturam, quia hæc est sola via evadendi illam. Ubi *Chrysostomus*: « Non enim satis est pœnitentibus peccata dimittere, sed opus est pœnitentiæ ferre fructus, secundum illud: *Declina a malo, et fac bonum.* Sicut non sufficit ad sanationem sagittam evellere, sed oportet ulceri medicamentum apponere. Non autem dicit fructum, sed fructus, copiam designans: » hæc *Chrysostomus*. Fructus vero dicit, non qualescumque, sed *dignos fructus pœnitentiæ*, id est, secundum exigentiam culpæ; ut, secundum *Gregorium*, quanto quis gravius peccavit, tanto amplius pro qualitate culpæ pœniteat; et tanto majora quærat bonorum operum lucra per pœnitentiam, quanto graviora sibi intulit damna per culpam. Unde in Apocalypsi: *Quantum glorificavit se, et in deliciis fuit, tantum date illi tormentum et luctum.* Ubi *Petrus Cantor Parisiensis*: « Sed quid faciendum irretito pluribus facinoribus, confitenti tamen et pœnitenti qualitercumque, nolenti autem subire opus et fructum pœnitentiæ dignum culpæ? Ergone a se repelleret charitatem per impositionem gravioris pœnitentiæ, respuens eam per tædium, modicam ei injungere pœnitentiam? Melius enim est ut in purgatorio suppleatur quod minus hic agitur, quam quis in inferno æternaliter puniatur. Aut enim Deus, aut homo punit. Sed quid si confessor mihi non injungit fructum dignum pœnitentiæ, scilicet pro quantitate culpæ? Ego supplebo, quia secundum quantitatem et qualitatem culpæ metiri debet quantitas pœnæ, quod fit ex discretione, quæ necessaria est pœnitenti, sicut et confessori: » hæc *Petrus Cantor*.

11 GLORIATIO ET CONFIDENTIA INANIS REPREHENDUNTUR. — Sed quia Judæi de generis nobilitate et sanctitate gloriantes, scilicet quia de Abraham descenderunt ex promissione facta Abrahæ, sine operibus salutem consequi præsumebant, ideo subjungit Joannes: *Et nolite dicere*,

Digitized by Google

verbo vel mente *intra vos*, per falsam scilicet æstimationem, *patrem habemus Abraham*, de ejus justitia confidendo, et ex hoc vos justos reputando, credentes vos salvari sine operibus pœnitentiæ : quia sine fructu pœnitentiæ nullus Sanctorum poterit peccatores salvare. Sic autem videtur de pluribus Christianis, qui devotionem specialem ad aliquem Sanctorum habentes, per eorum merita salvari credunt sine operibus bonis. Hæc est enim gloriatio quorumdam religiosorum, qui gloriantur de bonitate et sanctitate fundatorum et patrum suorum, quibus dici potest : Si filii Abrahæ estis, opera Abrahæ facite. Hæc etiam est stulta gloriatio quorumdam miserorum, qui vane gloriantur de statu suorum natalium. Ubi *Chrysostomus* : « Quid enim prodest ei quem sordidant mores, generatio clara ? Aut quid nocet illi generatio vilis, quem mores adornant ? Nam et aurum de terra nascitur, et non est terra; aurum quidem eligitur, et terra contemnitur. Melius est enim de vili genere clarum fieri, quam de claro genere contemptibilem nasci. Melius est alicui ut in eo glorientur parentes, quia talem filium habent, quam ut ipse in parentibus glorietur. Sic et vos nolite gloriari dicentes, quia *patrem habemus Abraham;* sed magis erubescite, quia filii estis ejus, et sanctitatis ejus non estis hæredes. De adulterio enim natus videtur qui non assimilat patrem ; et qui sanctitati sui generis non respondent, amittunt generis dignitatem : » hæc *Chrysostomus*. Et ideo non de propagatione carnali, sed de imitatione spirituali est confidendum ; nec in carne, sed in fide gloriandum : non enim qui semen sunt Abrahæ, omnes filii sunt, sed qui fidem ejus imitantur. Nam sanctitas non venit per propagationem naturæ, sed per gratiam virtutis divinæ. Judæi quidem filii Abrahæ erant secundum carnem, sed non secundum fidei imitationem, et quia fidem Abrahæ de Christo respuerunt, ideo nomen filiationis Abrahæ perdiderunt. E contrario Gentiles, quia fidem Christi devote ad prædicationem Apostolorum receperunt, ideo filii Abrahæ facti sunt. Et hoc est quod subdit Joannes : *Dico enim vobis, quia potest Deus de lapidibus istis,* id est, de Gentilibus per hos lapides signatis, *suscitare filios Abrahæ,* fide et imitatione, id est imitatores fidei Abrahæ. Qui enim fidem atque opera Abrahæ fuerit secutus, ille Abrahæ meretur dici filius. *Potest* etiam *Deus de lapidibus filios Abrahæ suscitare,* id est, de duris et peccatoribus devotos facere, quod utinam in me dignetur ostendere.

12 LAPIDES A JOANNE MONSTRATI, ET QUID MYSTICE SIGNIFICENT ? — Dicitur autem quod Joannes digito ad litteram demonstravit et ostendit eis duodecim lapides illos, quos Josue per duodecim duces tribuum Israel de medio et fundo Jordanis in aridam transportari præcepit, qui etiam totidem in ejusdem alveo ex terra reponi fecit : per primos ariditatem et excæcationem figurans Judæorum, per secundos, fidem Gentium per Baptismum; vel per primos emersionem Gentium in lucem fidei, per secundos submersionem Judæorum in infidelitatem. Et merito per lapides signantur Gentiles, vel quia colebant idola de lapidibus facta; unde in Psalmista dicitur : *Similes illis fiant qui faciunt ea;* vel quia habebant corda lapidea, id est, ad intellectum Dei insensibilia. De quibus filii Abrahæ suscitati sunt; quia dum in Abrahæ semine, id est in Christo, crediderunt, ejus filii facti sunt, cujus semini sunt uniti, unde eisdem Gentibus Paulus dicit : *Si*

Digitized by Google

autem vos Christi, ergo Abrahæ semen estis secundum promissionem heredes. Filii ergo Abrahæ de lapidibus suscitati sunt, quando, Judæis per infidelitatem a filiatione Abrahæ decidentibus, Gentiles fidem Christi recipientes in locum eorum substituti sunt. Sic ergo, secundum *Rabanum,* quia præco veritatis ad dignum pœnitentiæ fructum faciendum Judæos incitare volebat, eos ad humilitatem provocabat, sine qua nullus pœnitere potest.

13 Ex arbore sumit similitudinem. — Et quia doctor veritatis non solum debet vitia confidenter arguere, sed etiam pœnam prædicere, ideo quasi rationem assignans, cur ad pœnitentiam in præsenti et cito faciendam monuerit, Joannes subdit, dicens : *Jam enim securis,* id est, severitas divinæ justitiæ, *ad radicem arborum posita est,* ad præscindendum peccatores obstinatos de præsenti vita, et ad comburendum eos in gehenna; vel *securis,* id est, transitus vitæ succedentis, *ad radicem* et nativitatem *arborum,* et cujuslibet hominis posita est; quia ab ipso nativitatis initio incipit homo tendere ad casum. Nam, secundum *Augustinum,* nihil aliud est vivere, quam de vita transire, et ad mortem tendere. Nox enim quasi unus carpentator de dicta arbore tollit unum scopulum, et dies similiter alium; quot enim diebus et noctibus vixit homo, tot minus habet vivere, et ad ultimum necesse habet arbor cadere. Et certe ubicumque ceciderit, ibi remanebit; quia, ut dicit Ecclesiastes : *Sive ceciderit lignum ad Austrum,* scilicet paradisi, *sive ad Aquilonem,* scilicet inferni; *in quocumque loco ceciderit, ibi erit.* Naturaliter vero cadit arbor ad partem, in quam magis inclinant eam rami et fructus; sic homo cadit ubi magis inclinatur, modo per affectiones et opera seu actus. Unde *Bernardus* : « *Sive ad Austrum, sive ad Aquilonem arbor ceciderit, ibi erit;* Austri calor et levitas, in sacra Scriptura bonam solent habere significationem, *ab Aquilone* vero *pandetur* omne *malum.* Porrò homines sicut arbores videt aliquis. Exciditur ergo arbor in morte, et quocumque ceciderit, ibi erit; quia ibi judicabit te Deus, ubi te invenerit. Ibi, inquam, erit immutabiliter, et irretractabiliter. Videat quo casura sit antequam cadat, quia postquam ceciderit, *non adjiciet ut resurgat.* Qua parte casura sit arbor si scire volueris, ramos ejus attende; ubi major est copia ramorum, et ponderosior, inde casuram esse ne dubites, si tamen fuerit tunc excisa. Rami nostri desideria nostra sunt, quibus ad Austrum extendimur, si spiritualia fuerint; si carnalia fuerint, ad Aquilonem. Quæ vero præponderant, medium corpus indicant. Illa præponderant, quæ secum traxerint corpus : » hæc *Bernardus.*

14 Sola officii omissio damnat. — Et subjungit Joannes : *Omnis ergo arbor,* id est, omnis homo generaliter, sine personarum scilicet acceptione, *non faciens,* hic, *fructum bonum,* simpliciter sine criminis admixtione, *excidetur,* a cœtu fidelium sententialiter in morte, *et in ignem,* inextinguibilem, *mittetur,* æternaliter sine redemptione, quæ est pœna contra culpam. Per hoc ergo patet, quod sola omissio damnat. Exemplum de hoc habetur in servo pigro, et inde est quod in judicio fiet contra malos de omissionibus tantum commemoratio. Non ergo sufficit homini declinare a malo, nisi faciat etiam bonum. Nihil enim infructuosum diligit Deus, nihil in horto suo, nihil in vinea sua, nihil in agro suo vult esse infructuosum, sicut nec in paradiso

Digitized by Google

erat arbor infructuosa, quod ex hoc patet, quia primi parentes jubebantur comedere ex omni ligno in paradiso, præterquam de ligno scientiæ boni et mali. Si autem ille qui non facit fructum bonum in ignem est mittendus, quid erit de illo qui malum fecit? Arbor ista est genus humanum, sive homo, qui est quasi arbor conversa. Quædam vero arbores omnino sunt aridæ et steriles, ut pagani et increduli. Quædam virides, ut Christiani, et inter has virides : quædam infructuosæ sunt, et nullum fructum faciunt, ut otiosi, accidiosi; quædam faciunt fructum, sed inutilem, et non bonum seu meritorium, ut hypocritæ; quædam faciunt fructum, non tantum inutilem, sed malum, et venenosum, ut hæretici, qui prædicando fructum pariunt, sed mortiferum : et hæ omnes incendio aptæ sunt et damnabiles; quædam vero bonum fructum faciunt, ut boni Catholici, obedientes verbo Dei. Radices arboris sunt cogitationes quibus plantati, vel sursum cœlo sustolluntur, vel ad ima inferni mittuntur; vel radices sunt voluntas bona et mala, ex qua sicut ex radice prodeunt tanquam fructus, bona et mala verba et opera quæ voluntatis sunt testimonia. Igitur, ut dicit *Ambrosius :* « Faciat fructum qui potest gratiæ, qui debet pœnitentiæ; adest Dominus qui fructum requirat, fœcundos vivificet, steriles reprehendat. »

15 Eleemosynæ faciendæ præceptum. — *Turbæ* vero comminationem gehennæ pro operibus malis, et omissione bonorum audientes territi *interrogabant* Joannem, *dicentes : Quid ergo,* ne excidamur, et in ignem mittamur, *faciemus* et operabimur? Quasi dicerent, vitam nostram corrigere parati sumus. Et *respondens dicebat* turbis : *Qui habet duas tunicas,* id est, vestimentum superfluum, *det* quod superabundat *non habenti ; et qui habet escas* superfluas *similiter faciat;* et ita intelligendum est de aliis rebus quibuscumque quæ superfluunt, considerata convenienti necessitate status personæ. Unde *Basilius :* « Hinc autem docemur, quia ex omni eo quod affluit supra proprii victus necessitatem, tenemur erogare illi qui non habet, propter Deum, qui quæcumque possidemus largitus est. » Unde et *Gregorius :* « Quia enim in Lege scriptum est : *Diliges proximum tuum sicut teipsum,* minus proximum amare convincitur, qui non cum eo in necessitate illius etiam ea quæ sibi sunt necessaria partitur. » Ubi sciendum, quod duas tunicas habere, est ultra necessitatem aliquid superfluum habere; non habens autem, potest intelligi existens in necessitate extrema, vel citra necessitatem, quæ aliter absque periculo potest probabiliter transiri. Tunc dicendum quod habens sic superflua, quod ultra necessitatem sui et suorum, quorum cura et nexus major ex charitate sibi incumbit, ea habet, et absque illis potest transire, ex præcepto tenetur non habenti, existenti in extrema necessitate dare; aliter sibi suum aufert, et vitam, cum in tali necessitate sic superflua illi sint tanquam debita sua, quantum ad ipsius necessitatem pertinet. Si vero non habens sit citra extremam necessitatem, tunc dare non cadit sub præcepto sed sub consilio. Hic probatur homo, et apparet in parvo quid facturus esset in magno. Unde idem *Gregorius :* « Qui tranquillitatis tempore non dat pro Deo tunicam suam, quomodo in persecutione daturus erit animam suam? Virtus ergo charitatis, ut invicta sit in perturbatione, nutriatur per misericordiam in tranquillitate; qua-

Digitized by Google

tenus omnipotenti Domino primum discat sua impendere, postmodum se. » Unde et *Augustinus* : « Charitas ut perficiatur, nascitur; cum fuerit nata, nutritur; cum fuerit nutrita, roboratur; cum fuerit roborata, perficitur; cum ad perfectionem venerit, quid dicitur? *Mihi vivere Christus est, et mori lucrum desiderium habens dissolvi et esse cum Christo.* Incipit ista charitas, fratres, ut de suis superfluis tribuat egenti, in angustiis aliquibus constituto; hanc ita cœptam, si verbo Dei et spe futuræ vitæ nutrieris, pervenies ad illam perfectionem, ut paratus sis animam tuam ponere pro fratribus tuis : » hæc *Augustinus*. Non ergo pigeat divites subvenire pauperibus; quia pro divitum utilitate pauperes Deus fecit, ut per hoc quod eorum miserentur, ipsi misericordiam consequerentur. Unde *Chrysostomus* : « Ne putes, quia propter utilitatem pauperum Deus divites fecit, quos et sine divitibus poterat sustentare; sed propter utilitatem divitum pauperes fecit, quia infructuosi et steriles erant futuri, nisi pauperes facti fuissent : » hæc *Chrysostomus*. Joannes itaque turbis et rudibus nondum difficilia, scilicet : vigilias, jejunia, et hujusmodi imponit; sed opera misericordiæ ad dignos fructus pœnitentiæ injungit, super quibus Dominus in judicio disceptabit, et de quibus alibi dicit : *Date eleemosynam, et ecce omnia munda sunt vobis*. Unde *Beda* : « Ordo prædicandi aptissimus est, ut post pœnitentiam eleemosyna, id est, opus misericordiæ suggeratur. Ille enim juste a Deo pœnitens ut sui misereatur impetrat, qui proximi indigentis quantum valet ipse misereri non tardat. At qui avertit aurem suam ne audiat pauperem, oratio ejus erit execrabilis. Unde et Joannes Baptista cum turbis suaderet ne merito suæ sterilitatis in ignem mitterentur, dignos pœnitentiæ fructus esse faciendos, mox consilium salutis quærentibus adjunxit, atque ait : *Qui habet duas tunicas, det non habenti; et qui habet escas, similiter faciat.* » Inter hæc autem, ut ait *Gregorius*, sciendum est quantum misericordiæ opera valeant, cum ad fructus dignos pœnitentiæ ipsa præ ceteris præcipiuntur. Et bene mentionem facit de tunica et esca; quia tunica, qua interius et de necessitate tegimur plus quam pallium est necessaria, et adhuc magis necessaria est esca. Ad fructus ergo dignos pœnitentiæ pertinet ut non exteriora et minus necessaria, sed etiam ipsa valde necessaria cum proximis dividamus : ut escam qua vivimus, et tunicam qua vestimur. Hinc habetur argumentum, quod si habens duas tunicas, præcipitur unam dare non habenti; ergo multo fortius qui habet duo beneficia, tenetur unum dimittere non habenti; et maxime ideo, quia duobus nequit servire altaribus. Et si habens escas superfluas, jubetur dare non habenti; ergo qui habet duo fercula, quod præter necessitatem est, vel ad minus æquali brya seu mensura tenetur de duobus unum erogare egenti. Per tunicas possunt virtutes quæ sunt animæ vestes intelligi, quas habens debet applicare ad bonum proximi. Et per escam possunt intelligi sacræ Scripturæ, quæ sunt spirituales escæ, quas habens debet proximum spiritualiter inde pascere.

16 Ad Joannem veniunt publicani. — *Venerunt* ergo, *et publicani*, sic dicti quia de negotiis ad publicum pertinentibus se intromittunt, ut qui publica vectigalia, thelonea, pedagia, et tributa colligunt, sive qui horum et redditum fisci, vel rerum publicarum condu-

Digitized by Google

ctores sunt; nec non et hi qui seculi hujus lucra per negotia scilicet : per mercaturas, firmas, et hujusmodi quærunt. Post minores peccatores *venerunt* etiam majores, *ut baptizarentur* ab eo. *Et dixerunt: ad illum: Magister, quid faciemus,* ut scilicet vitam æternam habeamus? *At ille dixit :: Nihil amplius,* scilicet in tributis et vectigalibus ab aliquo exigatis, *quam quod constitutum est vobis;* scilicet a legibus et consuetudinibus approbatis. Hoc autem dixit, quia collectores talium solent esse proni ad plus colligendum quam eis sit permissum, vel mandatum; ut quod amplius fuerit, eis remaneat. Non prius monet eos de eleemosynarum largitione, sed ut caveant a rapina rei alienæ, in quo inruit quod prius declinandum est a malo, et postea faciendum bonum; et sic primo restituenda est res aliena, quam sit facienda eleemosyna. Unde *Beda* :: « Publicanos ab agenda fraude coercet : ut dum primo se ab alienorum temperarent appetitu, tandem ad propria cum proximis communicanda pertingerent. » Per publicanos, possunt intelligi officiales dominorum et præpositi, qui non debent a populo exigere, nisi quod constitutum est secundum ordinem justitiæ.

17 VENIUNT ET MILITES, — *Interrogabant autem eum et milites : Quid faciemus et nos,* scilicet ut salvi simus? *Et ait illis : Neminem concutiatis,* scilicet sub prætextu officii vestri, pauperes qui se defendere non possunt opprimendo, vel corporaliter affligendo, vel indebite terrendo; *neque calumniam faciatis,* falsum crimen divitibus et potentibus imponendo, et eos in causam trahendo, et sic pecuniam et bona eorum, quæ per aliam viam a talibus rapere et habere non potestis, extorquendo; *et contenti estote stipendiis vestris,* quæ pro defensione patriæ et reipublicæ habetis, præter hæc etiam sine oppressione et falsi criminis impositione a nullo tallias, exactiones munerum, vel servitiorum exigendo. Ad prædicta autem inducebat beatus Joannes milites, quia ad contraria proni esse solent, requirentes insidiando prædam ab eis quibus militando prodesse debent. Unde *Petrus Blesensis* : « Hodie militaris disciplina prorsus evanuit. Olim se milites juramenti vinculo obligabant quod starent pro reipublicæ statu, quod in acie non fugerent, et quod vitæ propriæ utilitatem communem præhaberent; sed et hodie enses suos recipiunt de altari, ut profiteantur se filios Ecclesiæ, atque ad honorem sacerdotii, ad tuitionem pauperum, ad vindictam malefactorum, et ad patriæ liberationem se gladium accepisse. Porro in contrarium res versa est. Nam ex quo hodie militari cingula decorantur, statim insurgunt in Christos Domini, desæviunt in patrimonium Crucifixi, et spoliant et prædantur subjectos sibi pauperes, et miserabiliter atque immisericorditer affligunt miseros, ut in doloribus alienis illicitos appetitus et extraordinarias impleant voluntates : » hæc *Petrus Blesensis*. Olim quippe rectores et gubernatores terrarum a milite usque ad Regem et Imperatorem utilitati reipublicæ magis quam privatæ intendebant; pauperes se tueri non valentes, defendebant. Sed, proh dolor! hodie de republica, et pauperibus parum curant, terras et res alienas invadunt et occupant, ut, aliis exclusis, domum suam ditent et augeant. Pauperes miserabiliter affligi permittunt, et, quod plus est, etiam ipsimet immisericorditer eos affligunt. Et ideo timendum est eis ne in posterum a terra viven-

Digitized by Google

tium alienentur, et a regno cœlorum, quod pauperum est, excludantur, ut etiam dicit *Augustinus* : « Quilibet quoque rectores, quilibet clerici, si amplius quam decretum est eis, quærunt; tanquam calumniatores et concussores Joannis sententia condemnantur, milites enim Christi sumus. » Per milites etiam possunt prædicatores intelligi, quos armat Apostolus, dicens : *Accipite armaturam Dei, et gladium spiritus quod est verbum Dei.* Istis dicitur : *Neminem concutiatis,* nimis aspere prædicando; et sic ad desperationem inducendo. Neque calumniam faciatis, prædicationem subtrahendo, reputantes eos indignos exhortationis verbo, et *contenti estote stipendiis vestris,* quæ sunt redditus assignati prædicatoribus, id est, possessiones habentibus, et eleemosynam date mendicantibus.

18 Exhortatio ad sequenda Joannis Baptistæ monita. — O quam felices turbæ, mercatores seu publicani et milites essent, si hanc doctrinam Joannis observarent! Sed quis est qui de duabus tunicis, imo de multis, unam det non habenti? Quis est qui sine fraude mercationes faciat, et qui aliena bona sibi commissa non invadat? Quis est ex majoribus qui minoribus calumniam non faciat, qui servos non concutiat, et qui stipendiis suis contentus existat? Quis est officialium qui ultra suum non accipiat? Certe talis rarus invenitur. Et nota quod Joannes secundum audientium dispositionem effundebat sermonem; ut dum minora perficerent, tandem ad majora pertingerent. Unde *Chrysostomus* : « Volebat autem Joannes, quando publicanis et militibus loquebatur, ad aliam majorem perfectionem eos traducere; sed quoniam nondum erant ad illam idonei, minora reserat, ne si potiora proferret, nequaquam illis intenderent, et his etiam privarentur : » hæc *Chrysostomus.* Majora autem quæ turbis præceperat, etiam ad publicanos et milites, ac communiter ad omnes pertinent. Unde *Ambrosius* : « Singulis quoque generibus hominum conveniens tribuit sanctus Baptista responsum unum omnibus : ita publicanis, ne ultra præscriptum exigant; militibus, ne calumniam faciant, ne prædam requirant. Sed hæc et alia officiorum præcepta singulorum : misericordia communis est usus, ideo commune præceptum; omnibus officiis, omnibus ætatibus necessaria, et ab omnibus deferenda est. Non publicanus, non miles excipitur; non agricola, vel urbanus; dives, vel pauper : omnes in communi admonentur, ut conferant non habenti. Misericordia enim plenitudo virtutum est, et ideo ab omnibus est proposita perfectæ forma virtutis, ne vestimentis alimentisque suis parcant. Misericordiæ tamen ipsius pro possibilitate conditionis humanæ mensura servatur, ut non sibi unusquisque totum eripiat, sed quod habet cum pauperibus partiatur : » hæc *Ambrosius.*

ORATIO

Beatissime Joannes Baptista, præcursor Christi et virgo sanctissime, qui pœnitentiam peccatoribus verbo prædicasti et eam nihilominus exemplo demonstrasti, scilicet austeram in victu et vestitu vitam ducendo, et te a mundi illecebris elongando; obsecro te, obtine pro me, tuis sacris precibus, ut donet mihi Dominus congruentem abstinentiam cibi et potus, cogita-

Digitized by Google

tionis, locutionis atque operis; custodiat me ab omni pollutione mentis et corporis, concedatque mihi, quandiu in hac vita temporali subsisto, segregari a vitiis, ac militare sibi, et ita dignos fructus pœnitentiæ facere, ut valeam omnium peccatorum meorum veniam consequi, et ad vitam æternam pervenire. Amen.

CAPUT XVIII

De eo quod Joannes non per seipsum, sed a Deo missus, venit ad publicum.

Joannis cap. 1.

1 JOANNIS BAPTISTÆ MISSIO DIVINA FUIT. — Quod autem Joannes officium baptismi non propria auctoritate usurpaverit, sed ad testificandum Christi majestatem missus, testatur Joannes Evangelista, dicens : *Fuit homo missus a Deo, cui nomen erat Joannes.* Quia enim Lucas dixerat : *Factum est verbum Domini super Joannem Zachariæ filium in deserto*, quid hoc significet, Joannes hic declarat, cum dicit : *Fuit homo,* id est, vivens vita hominis, secundum dictamen rectæ rationis, *missus a Deo,* scilicet de deserto, ad baptizandum et testimonium perhibendum de Christo. Ubi obedientiæ virtus in Joanne commendatur; non enim a semetipso, id est, a sua præsumptione venit; sed *missus a Deo; cui nomen erat Joannes,* et convenit hoc nomen rei, Joannes enim dicitur *in quo est gratia;* et ideo fuit idoneus ad præcurrendum ante illum qui est Auctor gratiæ. *Hic venit in testimonium,* scilicet, *ut testimonium perhiberet de lumine,* scilicet Christo, *ut per illum,* id est, per ejus testimonium, *omnes crederent* in Christum. Et nota quod Evangelista quandoque hic mutat nomen verbi; nunc enim appellat lucem, nunc lumen; et hoc ideo, quia lux dicit claritatem in puritate sua, sine alterius naturæ adjunctione; sed lumen dicit claritatem cum aliqua re conjuncta, sicut claritas aeris non est lux, sed lumen. Et quoniam Joannes missus fuit ut testimonium perhiberet de Christo, in quo est unio humanæ naturæ cum Verbo, ideo dicit Evangelista eum perhibere *testimonium de lumine.*

2 NON ERAT IPSE LUX. — Sed quia Judæi æstimaverunt de Joanne ne forte ipse esset Christus, ideo eorum falsam opinionem removet Evangelista, dicens : *Non erat ille lux,* scilicet vera per essentiam, et ex se naturaliter lucens, et ad illuminandum alios luce gratiæ per se sufficiens; *sed* lux per participationem, et a luce vera illa, quæ *lucem inhabitat inaccessibilem,* illuminatus, *ut de lumine,* de ea luce vera et Sole justitiæ, scilicet Verbo, quæ

Digitized by Google

est substantia Patris, luxque in quo tenebræ non sunt ullæ, *testimonium perhiberet.* Joannes quidem et Sancti non sunt lux illuminans effective, sed lux illuminata a luce prima. Est enim lux illuminans effective, quæ est lux per essentiam, et sic solus Deus est lux illuminans; et est lux illuminans dispositive, quæ est lux per participationem, et sic Sancti sunt lux, qui illuminant verbo et exemplo. Ipsa autem lux, de qua testimonium perhibebat, *erat* ab æterno *lux vera* sine falsitate, sine umbra, et sine participatione, sed per essentiam; *quæ illuminat* lumine gratiæ *omnem hominem venientem in hunc mundum* tenebrosum, et quemlibet vere illuminandum; quia, secundum *Augustinum,* nullus est de omnibus qui illuminantur, qui non per hanc lucem illuminetur. Vel, secundum *Chrysostomum,* illuminat omnem hominem, quantum in se est, et ad eum pertinet: quia si aliqui non sunt illuminati, hoc ideo est, quia se subtrahunt influentiæ hujus lucis. Si enim quidam, mentis suæ oculos claudentes, nolunt suscipere lucis hujus radios, non a lucis natura obtenebratio est illis; sed a malitia eorum, qui huic illuminationi obicem ponunt, et a luce se avertentes, voluntarie seipsos gratiæ dono privant. Et ideo inexcusabilis est homo, qui se ad gratiam recipiendam non præparat.

3 Soli Verbo Dei hoc nomen convenit. — Et quidem Verbum, et lux illa, id est, Sapientia Dei, per quam factus est mundus, id est, universitas rerum, et omnis creatura, *in mundo erat,* ab ipso, scilicet mundi exordio, sicut causa in effectu, et ars omnipotentis Dei, per quam omnia facta sunt in facto, hoc est in universis creaturis lucebat, ratione creandi et gubernandi eas. Deus enim est præsens ubique per potentiam, quia ejus virtus ad omnia se extendit, sicut est Rex in toto regno; et per præsentiam, quia *omnia nuda et aperta sunt oculis ejus,* sicut est Rex in aula sua, quia omnia quæ sunt ibi, patent ejus aspectui; et per essentiam, quia non solum dat rebus esse, sed rebus creatis inexistens, conservat eas in esse; quod non facit nisi per seipsum ubique, per essentiam præsentialiter existentem, sicut Rex est in suo loco determinato, cui corpus suum est proportionatum. *Mundus,* inquam, *per ipsum factus est,* sua bonitate; ut essent quibus suam gratiam impertiret; *et mundus,* id est homo mundum inhabitans, *eum non cognovit;* et ideo necessarium erat quod ipse Creator per carnem in mundum veniret, ut per seipsum cognosceretur. Vel mundus, id est mundani et mundi amatores, eum non cognoverunt; quia mundanæ impressiones in cordibus talium impediunt a cognitione divinorum. Qui autem Dei amici erant, eum etiam ante corporalem præsentiam cognoverunt. Et ideo, licet esset in mundo, sicut Deus universaliter est in rebus creatis; hoc tamen non suffecit, ut cognosci posset a rudibus et mundanis.

4 Quomodo in propria venit? — Quapropter, ut ad sensum ab omnibus videri posset, carnem induit, et sic per Incarnationem, seu carnis assumptionem, *in propria venit,* scilicet in mundum, qui suus proprius est, sicut creatura sua, quam ipse fecerat, *per quem facta sunt omnia;* quia in mundo apparuit per humanitatem, quem fecerat per divinitatem. Et specialiter venit in Judæam, quæ dicebatur *terra Dei,* et ad Judæos, de quibus oriundus fuerat, quos præ ceteris in populum peculiarem sibi elegerat; quia *semen Abrahæ apprehendit,* dum

Digitized by Google

exivit a patre, et venit in mundum, carnem assumens. In mundo erat per deitatem; sed in mundum venit, per humanitatem. Venire quippe vel abire, est humanitatis; sed manere, deitatis. Unde sensus est : *venit*, id est visibiliter apparuit, et venit non propter se, sed propter nos; et hoc bene innuit Evangelista. Quia enim non cognoscebat mundus sublimitatem divinitatis, apparuit in humilitate humanitatis. *Et sui eum*, per fidem et approbationem, *non receperunt*, id est homines, quos ad imaginem et similitudinem suam fecerat, magna ex parte, in eum credere noluerunt. Vel *sui*, id est Judæi, *eum*, per fidem et charitatem, *non receperunt*. Sic et hodie clerici, qui respectu omnium Christianorum, magis proprie sunt sui, quia de sorte Dei sunt, pro magna parte eum non recipiunt; sed pravis suis moribus magis quam laici, eum abjiciunt. Moraliter, Deus *in propria venit*, quia venit in mentes hominum, qui se totos Deo dedicaverunt, et seipsos abnegantes, Deo se totaliter proprios fecerunt; ut jam non sibi, sed Deo vivant.

5 FILIOS DEI FIERI POTESTAS HOMINIBUS DATA. — *Et sui eum non receperunt*, id est, illi qui sunt suimet, *quærentes quæ sua sunt, non quæ Dei* : tales enim eum non recipiunt, nec venit in tales mentes. Et sic volens Deum in se venire, oportet quod sit filius Dei. Verbum enim, cujus proprium est, quod est Filius, non venit nisi *in propria*, id est in omnes qui sunt filii Dei, *qui credunt in nomine ejus*, cujus nomen proprium est Filius. Aliqui tamen de suis, et pauci, comparative receperunt eum, per fidem charitate informatam, Filium Dei a Patre missum, ac verum Deum et hominem credentes et confitentes, sibique per charitatem inhærentes. Sed quid eis profuit, quod eum receperunt? Multum quippe profuit eis; quia universaliter, *quotquot* absque distinctione status, aut conditionis, sexus aut ætatis, et sine discretione personarum, *receperunt eum* per fidem, *dedit eis potestatem filios Dei fieri* : scilicet adoptionis, per regenerationem Baptismi, et gratiam adoptionis; *his qui credunt in nomine ejus*, id est in re vel veritate nominis, quod est Christus, Deus *ungens*, et homo *unctus* : nomen quoque ejus est Emmanuel, id est *nobiscum Deus*. Et ideo ille credit in nomine ejus, qui credit eum Deum et hominem, et hic est Filius Dei. Unde Joannes : *Omnis qui credit quoniam Jesus est filius Dei, ex Deo natus est*. Et notandum quod non dicit, fecit eos filios Dei; sed ait : *Dedit eis potestatem filios Dei fieri*. Et hoc signanter, secundum *Chrysostomum* : primo, ad ostendendum, quod multo studio opus sit, ut imaginem filiationis Dei, in Baptismo formatam, incontaminatam semper custodiamus; secundo, ad significandum quod hanc potestatem, nullus nobis auferre poterit, nisi nosmetipsi auferamus; tertio, ad ostendendum quod hæc gratia non datur, nisi volentibus et studentibus, ita quod hoc est in operatione gratiæ, et in potestate liberi arbitrii : nam hoc quidem est Dei, scilicet dare gratiam; illud autem hominis, scilicet præbere fidem. *Potestas* ergo *filios Dei fieri* non datur nisi profitentibus fidem Christi per se, si sint adulti; vel per alium, si sint parvuli. Per Filium enim naturalem, et per credulitatem in eum, hujusmodi filiatio acquiritur, non per carnis propagationem. Ecce quantus fructus adventus Filii Dei, quia ex hoc homo fit filius Dei per adoptionis gratiam, quod ipse est per natu-

Digitized by Google

ram! Et hic est magnus fructus; quia, ut dicit Apostolus : *Si filii et heredes; heredes quidem Dei, coheredes autem Christi.* Ubi larga misericordia Dei ostenditur, quando qui servi non fuerunt, digni etiam filii Dei sint et nominentur. Unde *Augustinus :* « Magna benevolentia, Unicus natus est, et noluit manere unus; non timuit habere coheredes; quia hereditas ejus non fit angusta, si multi possederint. »

6 Hæc filiatio tota spiritualis est. — Et ne quis putaret hanc nativitatem carnalem esse, et non spiritualem, subjungit Evangelista modum quo assequimur istam filiationem, dicens : *Qui non ex sanguinibus,* id est ex materia seminum patris et matris. Pluraliter enim secundum Græcos, dicendo *ex sanguinibus,* viri pariter et feminæ communionem ostendit; quod etiam exponendo subdit, *neque ex voluntate,* id est concupiscentia et delectatione *carnis,* id est mulieris. Quia enim caro, minus fortitudinis habet, et ab ossibus sustentatur; ideo per eam sexus infirmior designatur; *neque ex voluntate,* id est concupiscentia et delectatione *viri, sed ex Deo nati sunt,* per Baptismi sacramentum, et spiritualem generationem, et filii adoptionis facti sunt; quia non fit per modum carnalis generationis, sed spiritualis, in quantum homines a Deo recipientes gratiam, trahuntur quodammodo ad naturam divinam; quia per donum gratiæ, efficiuntur *consortes divinæ naturæ.* — Moraliter hinc collige quod nihil humanum, et per consequens nihil mundanum, neque creatum, debet se gignere in nobis; ut non ex illo, sed ex solo Deo nati simus. Deinde ostendit, et manifestat modum, quo Verbum venit in mundum; quia non venit locali adventu, et ubi prius non erat; sed quia novo modo, ibi esse incepit. Sicut Rex qui prius est in aliqua civitate, per solam sui potentiam, quando venit illuc personaliter, incipit ibi esse novo modo, scilicet per sui præsentiam; sic Dei Filius, qui erat prius in mundo per potentiam, præsentiam, et essentiam, venit ibi novo modo, scilicet humiliando se, per carnis et nostræ infirmitatis assumptionem; ut filii adoptivi efficeremur, per Filium naturalem.

7 Verbi Incarnatio. — Et hoc est quod dicitur : *Et Verbum caro factum est,* id est carni unitum est, seu carnem assumpsit; hoc est, hominem assumptum, in unam personam sibi copulavit. Caro enim dicitur homo, accipiendo synecdochice partem pro toto; ac si diceret, *factum est caro,* id est homo. *Factum est* utique *Verbum caro,* non quod Verbum mutaretur in carnem, sed quia carnem, anima rationali animatam suscipiendo, ex divinitate et humanitate, una persona facta est; ut sint duæ naturæ in una persona, inconfusibiliter, integre, et indistincte unitæ; non una in aliam conversa, sed ambæ in una persona, Deus et homo. Natura ergo humana assumpta est a Verbo, non in unitate naturæ, sed in unitate suppositi, vel personæ. Et ideo sensus est : *Verbum caro factum est,* ac si diceretur : Deus homo factus est. Unde *Augustinus :* « Filius hominis habet animam, habet corpus; Filius Dei, quod est Verbum Dei, habet hominem tanquam anima corpus; et sicut anima habens corpus, non facit duas personas, sed unum hominem, sic Verbum habens hominem, non duas personas, sed unum Christum. Quid est homo? Anima rationalis, habens corpus. Quid est Christus? Verbum Dei, habens hominem : » hæc *Augustinus.* Perfectam ergo in se naturam hominis Dominus de-

Digitized by Google

monstravit : quia totum hominem salvare venit. Unde *Chrysostomus :* « Nam quia jam dudum propter peccatum, homo totus sententiam mortis incurrerat, et in corpore, et in anima, necessario Dominus utrumque suscepit, ut utrumque salvaret. » Noluit autem Evangelista nominare totum, ut ostenderet singularem et maximam unionem Verbi ad hominem, quæ tanta est, ut non solum Verbum sit homo, et homo Verbum, sed etiam separatis partibus homlnis, scilicet carne et anima, Verbum est unaquæque partium, et quælibet pars est Verbum. Et licet anima sit nobilior et præstantior carne, nominat tamen carnem magis quam animam; quia ut magis nos certificaret, ideo partem indigniorem expressit, de qua magis dubium esse poterat, quod Verbum ipsam assumpserit. — Moraliter autem maluit dicere caro quam anima, ad commendandum inenarrabilem condescensum benignitatis et humilitatis Dei, unde partem viliorem nominavit : in quo superbiam multorum percutit, qui requisiti de cognatione sua, respondent nominando aliquem, tenentem statum dignitatis, etiam in linea remota, dicentes se esse nepotes talis episcopi, præpositi, vel decani, aut hujusmodi, et tacent de parentibus, et aliis, qui magis sunt propinqui. Exemplum ad hoc fabulosum narratur de mulo, qui requisitus quis esset pater ejus, respondit quod dextrarius ejus esset avunculus, tacens et erubescens, quod asinus esset pater ejus.

8 Ejus inhabitatio in nobis. — *Et* sic Verbum *habitavit in nobis,* id est in nostra natura inseparabiliter, ut amplius nullatenus ab ea disjungeretur. Non est intelligendum, quod habitavit in nobis, quasi in unitate suppositi, in quolibet nostrum, sicut Christo; sed intelligendum in unitate naturæ humanæ, quam communem nobiscum habuit, cum qua mansionem perpetuam iniit; vel *habitavit in nobis,* id est inter nos in mundo, secundum illud Baruch : *In terris visus est, et cum hominibus conversatus est.* — Moraliter potest etiam intelligi de inhabitione mentali, qua Deus mentem inhabitat per gratiam. Et hæc Verbi inhabitatio mentalis bene sequitur ejus inhabitationem carnalem, qua videlicet *factum est caro,* sicut effectus sequitur suam causam : ex eo enim quod Verbum est incarnatum, provenit nobis illud bonum, quod idem Verbum nos inhabitat mentaliter.

9 Manifestatio gloriæ Christi.— *Et vidimus gloriam ejus,* id est cognovimus majestatem gloriosam divinitatis; *quasi,* id est vere *Unigeniti a Patre,* id est unius et ejusdem cum eo naturæ. Videre, accipitur pro visione corporali, et pro cognitione intelligibili; et utroque modo videndi, habuere Joannes et alii Apostoli notitiam Verbi incarnati; quia cum ipso fuerunt corporaliter conversati, et sic viderunt sensibiliter, opera virtutem totius naturæ excedentia, ex quibus visu mentis perceperunt et intellexerunt divinitatis ejus excellentiam in carne latentem, quam pro infirmitate carnis visibilis superbi credere noluerunt. Gloriam quippe Verbi cognoverunt discipuli, in sapientia doctrinæ; et quia *erat docens, sicut potestatem habens,* et propria auctoritate loquens; similiter in miraculorum operatione, et quia creaturæ obediebant ei ad nutum, sicut Domino et Creatori; nec non in transfiguratione, in passione, in resurrectione, in ascensione, et in Spiritus Sancti missione. Propter quod dicens : *Et vidimus gloriam ejus,* subdit quasi exponendo hanc gloriam, *quasi Unigeniti a Patre,* id

Digitized by Google

est, non per adoptionem, sed revera Unigeniti per naturam, et naturaliter ab eo procedentis, et per consequens eamdem naturam numero cum ipso habentis. Et attende quod illud *quasi* non ponitur hic ad significandum similitudinem filiationis divinæ; quia non est hic expressivum similitudinis vel comparationis, sed veritatis et expressionis. Ac si dicat, secundum *Chrysostomum*, vidimus gloriam qualem decebat, et conveniens est habere unigenitum filium. Et est, secundum eumdem, modus loquendi, sicut si aliquis vidisset Regem valde ornatum, et in multiplici gloria incedentem, et incipiens de hoc aliis narrare, nec valens totum apparatum et ornatus claritatem enumerare, diceret aliis sic: Quid oportet multa dicere? Quasi Rex ibat, id est sicut decebat Regem; ita et hic Evangelista, cum non posset sub brevi sermone, omnia quæ de gloria Verbi cognoverat enarrare: puta quomodo Angeli ipsum glorificaverant, ut servi, pastores, Magi adducti per stellam, dæmones de corporibus expulsi, mortui suscitati, infirmi curati, et alia supra jam memorata, et breviter omnis creatura cognovit, et clamavit Regem cœlorum advenisse; imo et Pater de cœlis, et Spiritus Sanctus super ipsum veniens, hoc testati sunt. Hæc et infinita alia, gloriam Verbi attestantia, breviter comprehendens Joannes, dicit: *Et vidimus gloriam ejus, gloriam quasi Unigeniti a Patre*, id est talem qualem decet Unigenitum Dei. Est ergo Dei Filius, juxta divinitatis excellentiam, *Unigentius* a Patre; juxta fraternam vero societatem, *Primogenitus* in gratia. Inde est quod frater nuncupatur, et Dominus: frater, quia primogenitus; Dominus, quia Unigenitus. Cognitio autem Verbi incarnati, quam habuerunt Apostoli et credentes, fuit quantum ad utramque naturam, scilicet divinam, et humanam; quantum ergo ad divinam dicit: *Et vidimus gloriam ejus, quasi Unigeniti a Patre;* sed quantum ad humanam, subjungit, et vidimus eum *plenum gratiæ*, id est charismatibus, quia omnia dona Spiritus Sancti, absque mensura recepit, *et veritatis*, quia promissa adimplevit. Et dicit *plenum gratiæ*, ad exhaurienda peccata, et *plenum veritatis*, ad implenda promissa, et vere plenum, *quia in ipso*, Christo scilicet, *inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter*.

10 Efficacia verborum capitis primi Evangelii secundum Joannem. — Et notandum quod illud Evangelium, cum sit altissimæ intelligentiæ, et contineat profundissima mysteria, et præcipue ubi dicit: *Verbum caro factum est;* cujus mysterii modum explicare, ille sanctissimus Joannes se fatetur indignum, non dubium quin verba sint magnæ efficaciæ. Unde consuetudo laudabilis est, quod in fine missæ, istud Evangelium legatur; de cujus Evangelii efficacia, breviter recito quædam exempla. In Aquitania fuerunt duo dæmoniaci, ambo mendici; et videns unus quod alteri plus daretur, clam uni sacerdoti dixit: Si feceris id quod tibi dixero, scilicet quod illud Evangelium, *In principio erat Verbum*, legeris in aure socii mei, me tamen non audiente, pro certo fugabitur dæmon ab ipso. Intelligens autem sacerdos versutiam dæmonis, alte illud Evangelium legit, et cum diceret: *Verbum caro factum est*, statim dæmones evolaverunt, et ambo liberati sunt. Item narratur diabolum dixisse cuidam sancto homini, esse quoddam verbum Evangelii, valde tremebundum dæmonibus; quo interrogante quod esset illud verbum, noluit dicere. Vir ille, cum produceret in medium plures auctoritates, diabolus respon-

Digitized by Google

dit ad singula, non esse illud. Tandem interrogatus, an esset illud : *Verbum caro factum est*, non respondit, sed cum clamore disparuit. Item quidam Abbati apparuit diabolus, in forma mulieris pulchræ alliciens eum ad concubitum, cum soli essent in quodam viridario; et advertens Abbas malitiam diaboli, signavit se, dicens : *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis*, et mox dæmon, cum magno strepitu, disparuit. Item legitur de quodam monacho, qui cum audiens legi istud evangelium : *In principio erat Verbum*, et pervento ad *Verbum caro factum est*, non genuflecterat, nec aliquam reverentiam faceret, diabolus ei alapam dedit, dicens : Si legeretur, Verbum dæmon factum est, nos nunquam genuflectere cessaremus.

11 QUOMODO CHRISTUS GRATIÆ PLENUS? — *Et*, quod experimento patet, *vidimus eum plenum gratiæ et veritatis;* quia *de plenitudine ejus, nos omnes accepimus gratiam pro gratia.* Quasi dicat, etiam nos omnes duodecim, et omnis plenitudo fidelium, et qui nunc sunt, et futurorum, *de plenitudine ejus accepimus*, et ideo *eum plenum* fuisse dicere possumus. Ubi sciendum quod multiplex distinguitur plenitudo : prima est universitatis, sive numerositatis, et corporeitatis, quæ generaliter secundum diversas personas est in Ecclesia cui nullum donum deest; secunda autem est sufficientiæ, quæ fuit in Stephano, et in aliis Sanctis et est in singulis justis, in unoquoque pro sua capacitate; tertia vero est prærogativæ, sive abundantiæ, quæ fuit in beata Virgine, quæ omnes Sanctos excedebat in donis gratiæ : unde sicut in sole Deus posuit virtutes omnium siderum, ita et in Maria virtutes omnium Sanctorum; quare non sufficit ei habere cum aliis plenitudinem sufficientiæ, nisi habeat eam cum singulari prærogativa, et in tanta abundantia, quod possit superefluere, et redundare super peccatores, cujus tamen gratiæ auctor est Christus; quarta demum est plenitudo consummationis, sive excellentiæ, et superefluentiæ, quæ fuit in Christo, et de qua dicit hic Joannes.

12 DE PLENITUDINE EJUS ACCIPIMUS. — Non solum enim Christus habuit plenitudinem in aliis repertam, sed etiam in alios redundantem; quia *de* hac *plenitudine* donorum quam habuit, *omnes nos* electi, tanquam hujus capitis membra, quasi per parvos rivulos quosdam supra merita nostra *accepimus*, scilicet *gratiam pro gratia* : gratiam reconciliationis et salutis, pro gratia fidei, qua in eum credimus; gratiam vitæ æternæ, pro gratia præveniente et justificante; gratiam remunerationis, pro gratia meriti. Dedit enim nobis gratiam, ut per eam gloriam consequamur, quæ est gratia consummata. Et breviter, quidquid de gratia additur gratiæ prævenienti, totum est gratia pro gratia. Unde est illud :

Quidquid habes meriti, prævenit gratia donat;
Nil Deus in nobis, præter sua dona coronat.

Unde *Augustinus* : « Quam gratiam primo accepimus? Fidem. Vocatur enim gratia, quoniam gratis datur Hanc ergo accipit gratiam primam peccator, ut ejus peccata dimittentur. » Et iterum : « *Gratiam pro gratia*, id est pro hac gratia, in qua ex fide vivimus, recepturi sumus aliam in vitam æternam. Vita enim æterna, quasi merces est fidei. Sed quia ipsa fides gratia est, vita æterna gratia est pro gratia. » Et quia, ut dictum est, *de plenitudine ejus, nos omnes* gratiam *accepimus*, in fonte autem pleno, vas accipere potest aquam

Digitized by Google

quantum potest, secundum suam capacitatem, et si parum accipiat non est defectus fontis, sed vasis; sic in Christo, qui est fons vitæ plenus, nos gratiam recepimus, secundum cordium nostrorum capacitatem. Sed videmus quod plus capit vas bassum et latum, quam vas altum et strictum; sic cor bassum per humilitatem, et latum per charitatem, plus recipit, et magis est capax gratiæ, quam cor altum per superbiam, et strictum per avaritiam. Unde ex parte dantis, non est defectus; sed ex parte nostra, est defectus; si non accipimus per humilitatem et dilectionem quantum possumus. Unde *Isidorus :* « Nullo magis Dei et hominum gratiam meremur, quam si humiles in sinu charitatis esse studeamus. »

13 DIFFERENTIA INTER DUO TESTAMENTA. — Non erat ista gratia, ut dicit *Augustinus,* in Veteri Testamento; quia Lex minabatur, non opitulabatur; jubebat, non sanabat; languorem ostendebat, non auferebat, sed præparabat medico venturo, cum gratia et veritate. Et ideo modum acceptionis gratiæ determinans, subjungit : *Quia Lex per Moysen data est,* quæ est annuntiatio salutis; *gratia* vero quæ datur in virtutibus, et donis, et sacramentis, et qua fit salus hominum; *et veritas,* impletionis figurarum, et promissionum, *per Jesum,* Salvatorem, *Christum,* unctum Spiritu Sancto, *facta est,* in se, et per se sufficienter. Unde idem *Augustinus :* « Mortem enim temporalem et æternam occidit mors Domini tui. Ipsa est gratia, quæ promissa, et non habita, erat in Lege. » Et *Chrysostomus :* « Ea enim quæ in Novo Testamento perficienda erant, in Veteri Testamento figuris præscripserunt, quas Christus veniens adimplevit. Unde figura *data est per Moysen; veritas per Christum facta est.* »

14 QUO MODO VERITAS ET GRATIA PER CHRISTUM. — Qualiter autem hæc gratia et veritas facta est, ostenditur, cum subditur : *Deum,* ut est, *nemo,* id est nulla creatura, *vidit unquam,* id est visione comprehensionis : quia, ut dicit *Chrysostomus,* nec Angeli, nec ipsa Seraphim, essentiam Dei viderunt; vel *Deum nemo,* scilicet mortalium, *vidit unquam.* Unde *Gregorius :* « Quandiu hic mortaliter vivitur, videri per quasdam imagines Deus potest, sed per ipsam naturæ suæ speciem, non potest; ut anima gratia spiritus afflata, per figuras quasdam Deum videat, sed ad ipsam vim ejus essentiæ non pertingat. Si vero a quibusdam potest in hac corruptibili carne viventibus, æterna claritas Dei videri, hoc ab hac sententia non abhorret; quoniam quisquis sapientiam, quæ est Deus, videt, huic vitæ funditus moritur, ne jam ejus amore teneatur. » Et *Augustinus :* « Nisi enim ab hac vita quisque quodammodo moriatur, non in illam rapitur et subvehitur visionem. » Et subditur de eo a quo comprehenditur : *Unigenitus,* scilicet *Filius, qui est* et manet *in sinu,* id est in intimis secretis *Patris* æterni, per quod, secundum *Chrysostomum,* signatur familiaritas, et coæternitas ejus apud Patrem; *ipse enarravit* fidelibus quod vidit; quia eos de secretis divinitatis docuit, ut de mysterio Trinitatis, et de multis aliis, quæ non fuerunt ita explicite tradita, in Lege et Prophetis, sicut Christus explicavit; sicque eos in fide et gratia fidei fundavit, ac viam salutis omnibus ostendit, et in se aperuit. Unde *Beda :* « Homo factus, enarravit quid de Trinitatis unitate sentiendum, qualiter ad ejus contemplationem properandum, quibus actibus sit perveniendum. »

Digitized by Google

ORATIO

Domine Jesu Christe, Fili Dei vivi, qui es lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, ego miser qui tenebris densis obfuscor, te adoro, deprecans misericordiam tuam, ut animam meam illumines, mentem informes, cogitationes disponas, sensus componas, sermones et actus dirigas, quatenus iniquitatis auctor et tenebrarum amator non me surripiat nec in me signum suum reperiat; sed verissimæ lucis fulgore percussus, procul a me recedat, ut, per claram et rectam semitam ad te lucis Auctorem tendens, ad tuam gloriam perveniam sempiternam. Amen.

CAPUT XIX

De eo quod Joannes confessus est se non esse Christum, sed ejus præcursorem et nuntium.

Joannis cap. 1.

1 QUATUOR QUÆSTIONES CUILIBET FACIENDÆ.— Omnibus autem existimantibus, et cogitantibus in corde suo, de Joanne, ne forte esset Christus in Lege promissus: tum propter mirabilem ejus conceptum et ortum; tum propter sanctæ vitæ ejus meritum; tum propter doctrinæ ejus prudentiam efficacem; tum propter baptismi novitatem, Pharisæi, audita opinione, quam turba habebat de Joanne, moti contra eum, quod sibi baptizandi officium, præter ordinem Legis, et traditionem eorum, assumpsisset indebite, et dubitantes an Messias esset, *miserunt ab Jerosolymis* ad Joannem, de stirpe sacerdotali existentem, *Sacerdotes et Levitas,* in Lege sapientes, *ut interrogarent eum quis esset,* et quare baptizaret. Sapientes tamen et scribæ scire poterant eum non esse Christum, quia Christus promissus fuit ex tribu Juda; Joannes autem fuit ex tribu Levi. Joanni in utero sanctificato, movetur quæstio quis sit; ratione cujus, nota quatuor quæstiones cuilibet esse movendas, scilicet: quid sit in natura, quid in persona, qualis in forma, quantus in statura; prius ergo de his te ipsum iuterroga, ut videas quid interroganti Deo possis respondere. Prima ergo quæstio est, quid sis in natura. Ad hoc trina est responsio. Es enim homo: ratione corporis terra, ut humilieris contra superbiam; es ratione animæ spiritus, ut sursum coneris contra avaritiam; es ratione homo, id est animal rationale, ut rationabiliter converseris contra luxuriam. Hæc ergo quærit a te Deus:

Digitized by Google

Tu quis es? O superbe, denaturasti, non es terra te humilians, sed aer te exaltans; non spiritus quærens spiritualia, sed caro sapiens terrena; non homo ratione utens, sed bestia brutaliter vivens. — Secunda quæstio est, quis sis in persona. Et hoc quæretur a te, quando pulsaveris ad januam, dicens : *Domine, Domine, aperi nobis.* Et forte respondebis : Christianus sum; sed, ut dicit *Ambrosius*, mendacium est, se Christianum dicere, et opera Christi non facere. Vel forte respondebis : Amicus est; sed attende quid dicit : *Vos amici mei estis, si feceritis quæ ego præcipio vobis.* Si ergo neuter es, audies : *Amen dico vobis, nescio vos.* — Tertia quæstio est, qualis es, scilicet in forma morum, actionum interius et exterius; ut attendas diligenter quantum proficias, vel quantum deficias. — Quarta quæstio est, quantus sis, scilicet in spirituali statura; quam parvus per humilitatem, ut sciatur an possis per angustam portam intrare ad vitam; quam magnus per charitatem, ut sciatur quantus tibi locus in cœlo debeatur.

2 Confessio vera et humilis Joannis Baptistæ. — Interrogatus ergo *quis esset, confessus est* veritatem, *et non negavit*, hoc enim esset negare ipsum Christum, qui est ipsa *veritas*. Unde sequitur : *Et confessus est, quia non sum ego Christus.* In quo magis ad mentem et intentionem quærentium, quam ad verba et quæstionem respondit. Ad hoc enim quærebant quis esset, ut responderet eis si esset Christus, an non. Unde licet expresse non quærerent an ipse esset Christus; hoc tamen, secundum *Chrysostomum*, intendebant in corde, ut patet ex Joannis responsione. Confessus est se non esse quod non erat; non negavit se esse quod erat. Confessus est se non esse Christum, quod opinio vulgi publica habebat; et non negavit se esse Christi Præcursorem, quod erat. Confessus est se non esse judicem; non se negavit judicis præconem. Confessus est se non esse Ecclesiæ Sponsum; non negavit se Sponsi amicum. Confessus est se non esse Verbum; non se negavit esse vocem. Elegit solide in se subsistere, ne humana opinione inaniter raperetur super se. Magis enim voluit infirmitatem suam humiliter recognoscendo inter membra Christi numerari, quam ejus nomen immerito usurpando, ab ipso Christi corpore abscindi. Hic ergo nobis Joannis humilitas, qua nihil majus est, commendatur, qui cum tantæ virtutis esset et auctoritatis apud Judæos, ut eum crederent Christum, non est tamen elevatus in superbiam, usurpans nomen et honorem alienum. Ut enim ait *Chrysostomus* : « Devoti famuli est, non solum non rapere gloriam domini, sed et oblatam a multis respuere. » Sed hanc Joannis humilitatem Lucifer non habuit, qui gloriam divinitatis usurpare sibi voluit. Hanc etiam humilitatem primi parentes non habuerunt, qui divinæ sapientiæ similitudinem sibi usurpare voluerunt. Hanc igitur humilitatem ille malignus non habebat, qui se extollens, divinum sibi honorem usurpabat. Et adhuc hodie quidam imitantur Luciferum, ut tyranni, qui sæviendo violenter præsunt, et ambitiosi, qui se extollendo nequiter superioritatem quærunt. Quidam imitantur protoplastum, ut hæretici et homines mundanæ sapientiæ, qui volunt plus sapere, quam oportet sapere. Quidam vero præfigurant Antichristum, ut hypocritæ, simulantes sanctitatem, ac mendaces et dolosi, negantes veritatem.

3 Adventus Messiæ tempora adesse sciebant Judæi. — Igitur,

Digitized by Google

quia Judæi æstimabant Joannem esse Christum, in Lege promissum, patet quod secundum Scripturas, scilicet : *Non auferetur sceptrum de Juda,* et hujusmodi, Dominicæ Incarnationis tempus adesse, tunc eis fuit notum. Sed mira cæcitas Judæorum, qui cum crederent Joannem esse Christum, credere nolebant, ipso Joanne attestante, Christum esse Salvatorem tot signis ac virtutibus approbatum! Et quia sicut a populo Judæorum, expectabatur Christus venturus; ita et Elias ipsum præcessurus. Sicut enim adventus Christi fuerat Judæis promissus; ita etiam Eliæ adventus. Et ideo videntes qui missi erant, quod Joannes non confitebatur se esse Christum, quærebant si esset Elias. Propter duo quærebant si esset Elias : quorum unum est similitudo habitus, et vitæ austeritas; aliud similitudo officii, præcedendo adventum Christi.

4 Similitudo Joannis cum Elia. — Et respondit se non esse Eliam. Sicut Joannes fuit Angelus, non natura et persona, sed officio et vita, sic etiam hic se negat Eliam esse corpore et persona; sed alibi Christus dicit eum esse Eliam, officio, et vita. Non fuit ergo Elias in persona et corpore, sed in spiritu et virtute; quia scilicet in suis operibus, ostendebat similitudinem Eliæ. Sicut enim Elias adventum Domini præveniet secundum, ita Joannes prævenit primum. Ille præcursor venturus est Judicis; iste præcursor factus est Salvatoris. Et sicut Elias in deserto morabatur, parco cibo utebatur, et duris vestibus operiebatur; sic Joannes : ambo in deserto conversati, ambo victu parci, ambo vestitu inculti. Et sicut Elias magni zeli fuit; sic et Joannes zelo veritatis, mortuus est : ambo Reges arguebant, ambo Regum insaniam tolerabant. Ille Jordanem cœlum petiturus divisit; hic ad lavacrum, quo cœlum petitur, multos convertit. Et quia Joannes negavit se esse Eliam, quem ante Christi adventum noverant esse venturum, quærebant si Propheta esset, scilicet ille de quo Moyses locutus est, quem etiam fama erat esse venturum ante Christum. Erat enim famosa opinio tunc temporis, quod ante Christum veniret unus magnus Propheta singularis, pro eo quod scriptum est : *Prophetam suscitabit Deus de fratribus vestris : ipsum tamquam me audietis;* quod secundum veritatem intelligendum est de Christo, licet Judæi intelligerent de Propheta alio. Et ideo interrogaverunt eum, si esset ille Propheta; et respondens, negavit se esse illum Prophetam, de quo Scriptura prædicta intelligitur; sed non negavit se esse Prophetam absolute, nec Prophetam missum ante Christum. Si enim fuit plus quam Propheta, sequitur quod fuit Propheta; quia minus includitur in majori. Cum igitur Joannes tam famosus esset, ut posset, si vellet, Christus putari, noluit non solum Christus, sed nec Elias, nec Propheta alius reputari. Et hoc est contra eos, qui se jactant de genere, vita, scientia, et hujusmodi.

5 Quare Joannes *vox* dicitur? — Deinde cum instarent, et quid de se diceret, ne ad illos qui eos miserant, absque responso redirent, respondit dans de Christo testimonium, asserendo se ejus esse præcursorem et dixit : *Ego vox,* non quidem in persona et corpore, sed in officio et similitudine; *vox,* inquam, Verbi et Christi per me, *clamantis in deserto : Dirigite viam Domini, sicut dicit Isaias Propheta,* id est, ego sum ille, de quo Scriptura Isaiæ dicit, quod in deserto Judææ clamare debet; ut homines ad Christi adventum in mundum

Digitized by Google

se præparent. Prænuntius Christi in deserto clamat, quia Judææ a gratia Dei desertæ et destitutæ, seu derelictæ solatium Redemptionis annuntiat. Et bene designatur Joannes in proprietate *vocis*, quia erat annuntiator Verbi divini, id est Christi, qui secundum divinitatem, est Verbum Patris : sicut vox humana est expressiva verbi mentalis. *Vox* ergo vocatur Joannes, quia Verbum vocatur Christus. Sicut enim præcedit vox verbum, ita Joannes præcedit Christum. Nam statim ut ex ore loquentis sonus in qualescumque procedit, vox est; verbum autem nondum est, quia omne verbum aliquid significat. Et sicut vox manifestat verbum, sic Joannes Christum; quia propterea venit, ut eum in Israel manifestaret. Item vox propinquior est verbo, quam sonus; quia primo auditur sonus, deinde percipitur quod vox est, et deinde verbum quod dicitur per vocem. Sic Joannes propinquior est Christo quam alii Prophetæ, quorum prophetia fuit quasi sonus, respectu Joannis; quia illi de remotis, iste de propinquo Christum indicavit, dicens : *Ecce Agnus Dei.* Merito ergo Joannes præcursor Domini vocatur; quia et nascendo, et baptizando, et prædicando, et moriendo, et ipsa sui nominis appellatione, Christum Dominum præcurrebat.

6 Semita Domini quomodo paratur? — Sed quid clamabat, alius Evangelista sic narrat, dicens : *Parate,* id est præparate, *viam Domini,* scilicet quoad mandatorum impletionem; *rectas facite semitas ejus,* scilicet quoad consiliorum supererogationem, ut ipse ad vos venire dignetur, et in vobis habitare, qui nisi per viam et semitas rectas nescit incedere, vel ad homines intrare. Unde Psalmista : *Vias tuas, Domine, demonstra mihi, et semitas tuas edoce me.* Primum clamabat ad omnes, secundum ad proficientes. Et hæ semitæ, per quas cito compendiose pervenitur ad patriam, melius rectificantur in solitudine, id est in mundanorum elongatione, et omnimoda temporalium abstractione, ne per colles devios mundanæ oblectationis, contingat oberrare. Has autem semitas quidam obliquant, qui speciem sanctitatis prætendentes, vel habitum religionis gestantes, in observantiis religionis, et consiliis evangelicis, non recte ambulant, nec seipsos in illis rectificant. Vel per vias quæ aptiores sunt, possunt intelligi actiones; per semitas, quæ magis occultæ sunt, cordis intentiones. Unde *parate viam Domini,* per mali desertionem, et boni operationem; *rectas facite semitas ejus,* id est, intentiones occultas, facite rectas, non distortas, scilicet pro æternis, non pro terrenis faciatis. Reformatio imaginis in mente, in hoc attenditur, quod facies mentis incurvata ad terram, per terrenorum oblectationem, erigatur sursum, et rectificetur per cœlestium considerationem et dilectionem. Unde in Canticis legitur : *Recti diligunt te;* ubi, secundum *Bernardum, recti* intelliguntur, qui a terrenis sunt abstracti, ac contemplatione et dilectione toti ad superna erecti. Unde dicit quod quærere et sapere quæ sunt super terram, curvitas animæ est, meditari vero et desiderare quæ sursum sunt, rectitudo. Cui etiam rectitudini, secundum eumdem *Bernardum,* attestatur statura erecta corporis humani. Quid enim indecentius, quam curvum recto corpore gerere animum? Perversa res est et fœda; luteum vas, quod est corpus de terra, oculos habere sursum, cœlos libere respicere, spiritualem vero cœlestemque creaturam suos e contrario oculos, id est

Digitized by Google

internos sensus atque affectus trahere deorsum in terram!

7 QUOMODO MONS HUMILIATUR ET VALLIS IMPLETUR? — Et subditur : *Omnis vallis*, id est populus Gentilis, vel quicumque humilis, *implebitur*, bonis spiritualibus scilicet gratia in præsenti, et gloria in futuro, *et omnis mons et collis*, id est Judaicus populus, vel quicumque superbus, *humiliabitur*, id est evacuabitur, quia gratiam et gloriam amittet. *Deus enim superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.* Et : *Qui se exaltat, humiliabitur; et qui se humiliat, exaltabitur. Mons* dicit, quantum ad majores; et *collis*, quantum ad minores. *Et erunt prava*, id est corda malorum per injustitiam distorta, erunt *in directa*, id est per æquitatem justitiæ rectificabuntur, et ad justitiæ regulam dirigentur, *et aspera*, id est mentes iracundæ et immites, *in vias planas*, id est per infusionem gratiæ, ad mansuetudinem convertentur, et corda contra Christum indurata mollificabuntur; *et videbit*, oculo corporali in primo adventu, *omnis caro*, id est omnis homo, tam Gentilis, quam Judæus, *Salutare Dei*, id est Christum Dei Filium. Dividebatur enim tunc communitas hominum in duas partes, scilicet in Judæos, et Gentiles; et multi de his omnibus hominibus viderunt eum in mundo, inter homines conversantem. Potest etiam hoc verbum intelligi de visu spirituali, quo vident eum conversi ad fidem catholicam, ex omnibus Gentibus totius mundi. Vel videbit eum in forma humana omnis homo, tam reprobi, quam electi in secundo adventu, scilicet in die judicii.

8 BAPTIZARE POTERAT JOANNES. — Et, cum missi a Judæis, audirent a Joanne, quod non erat aliquis trium prædictorum, quos exspectabant tanquam personas solemnes, quæsierunt ab eo, dicentes : *Quid ergo baptizas*, novum ritum inducendo, et officium alienum usurpando, *si tu non es Christus*, qui potestate propria baptizabit, *neque Elias*, qui in transitu Jordanis baptismum significabat, *neque Propheta*, cujus officium est baptizare, ut patet de Elisæo, qui Naaman baptizari misit? Quasi dicerent : Quare tibi officium baptizandi usurpas, cum vicem personarum, quibus Scriptura baptizare concedit, non geras, sicut proprio ore confessus es? Notandum autem quod licet Joannes non esset Christus, poterat tamen baptizare, quia erat præcursor ejus, et ideodebuit parare viam illius. Item, licet non esset Elias personaliter, erat tamen virtute. Item, si non erat Propheta ille singularis, erat tamen plus quam Propheta communis; et ideo baptizare potuit.

9 BAPTIZABAT IN AQUA, NON IN SPIRITU. — Et respondit eis Joannes, testimonium de Christo iterum perhibendo; quia sicut præcurrebat prædicationem Christi, sua prædicatione et denuntiatione, ita Baptisma Christi præcedebat suo baptismate, sicut et Prophetæ antiquitus aliquando denuntiabant futura, non solum verbis, sed etiam factis. Unde dicit : *Ego baptizo in aqua*, in pœnitentiam, non in Spiritu, *in remissionem peccatorum*, docens vos pœnitere, non potens vos absolvere. *Ego baptizo in aqua*, præparative, corpora tantum lavando, ad significandum illum qui venturus est baptizare in Spiritu Sancto, auctoritative, etiam animas abluendo; quasi dicat : Non debetis imputare audaciæ quod ago, nec mirari si ego qui non sum Christus, neque Elias, neque ille Propheta singularis, baptizo, quia baptismus meus non est completus et perfectus. Nam ad completionem et perfectionem Baptismi, exigitur lotio

Digitized by Google

corporis et animæ, et corpus quidem secundum naturam lavatur aqua, anima vero non nisi Spiritu; unde et *ego baptizo in aqua* tantum, in pœnitentiam, id est in signum pœnitentiæ purgantis animas; corpore lavo corpus, et institutum baptizandi usum, parans viam fortiori me, donec veniat qui abluit animas per Spiritum. Unde *Ambrosius* : « *Ego,* inquit, *vos aqua baptizo.* Cito probavit se non esse Christum, qui invisibili operetur officio. Nam cum ex duabus naturis homo, id est, ex anima subsistat et corpore, visibile mysterium per visibilia consecratur, invisibile per invisibilia : aqua enim corpus abluitur, Spiritu animæ delicta mundantur, et ideo aliud fuit baptisma pœnitentiæ, aliud est Baptisma gratiæ : istud ex utroque, illud ex uno. Nam cum delicta communia sint mentis et corporis, purificatio quoque debuit esse communis. Et bene non verbo, sed opere declaravit non esse se Christum; opus enim hominis est gerere pœnitentiam delictorum, Dei munus est gratiam implere mysterii : » hæc *Ambrosius.* Joannis ergo baptismus umbra et figura erat melioris Baptismi, quia significatio et præparatio quædam erat futuri. Propter quod, ut habetur in *Actibus*, forma baptismi Joannis erat in nomine venturi. Nec putandum est baptismum Joannis parum profuisse hominibus, quia etsi peccata non dimittebat, omnes tamen qui ab illo baptizabantur, sub peccati vinculo constrictos esse sentiebat : et ideo Redemptorem et mundatorem, qui peccata dimittere posset, mox ubi apparuisset, quærere necesse habebant. Unde baptizabat in pœnitentiam, id est, ad hoc ut agerent pœnitentiam; ut sicut ipse eos aqua lavabat exterius, ita ipsi se pœnitentia lavarent interius, ut, mox Christo veniente, parati essent ad ejus Baptismum suscipiendum; quia quos baptizavit, baptizati sunt iterum. Baptismus enim ipsius erat quædam protestatio credendi in Christum venturum, et facienda opera pœnitentiæ, ut devotius reciperent ipsum. Utilis ergo erat baptismus Joannis, propter assuefactionem ad Christi Baptismum, et propter vitæ emendationem; quia baptizabantur confitentes peccata sua, et propter Christi manifestationem.

10 Præsentia Christi ignota. — Unde et subditur : *Medius vestrum stetit,* id est, præsens est inter vos quem prædico, qui est Mediator Dei et hominum, *quem vos nescitis,* nec cognoscitis; et ad illum cognoscendum ego vos præparo, baptizando in aqua. Ista verba exponi possunt : uno modo secundum humanitatem Christi, secundum quam ad litteram Christus fuit in medio Judæorum, quia inter homines communiter est conversatus, quasi unus ex eis, et non cognoverunt præsentem, quem crediderunt futurum; alio modo exponuntur de Christo secundum divinitatem, secundum quam ubique præsens est, et invisibilis. Et secundum hoc medius est omnibus rebus creatis, et tamen nemo scit eum, quia nemo comprehendit. Hic nota quod Christus sæpe legitur locum medium specialiter eligere; quia medium est locus humilitatis, unde ipse ait : *Ego autem in medio vestrum sum, sicut qui ministrat.* Item est locus communitatis; quia uniformiter se habet ad omnes, ut centrum ad circumferentiam; unde Petrus : *In veritate comperi, quia non est personarum acceptor Deus.* Item medium est locus unitatis, quia extrema uniuntur in medio; unde Apostolus : *Ipse est pax nostra, qui fecit*

Digitized by Google

utraque unum. Item est locus stabilitatis, quia medium mundi est fixum; unde Apostolus : *Fundamentum aliud nemo potest ponere,* etc. Item locus proximitatis, quia omnibus partibus approximat; unde in *Actibus : Si forte attrectent eum, cum non longe sit.*

11 JESUS POST JOANNEM QUINQUE MODIS VENIT, ET TAMEN ANTE IPSUM FACTUS EST. — Et subdit Joannes de Christo : *Ipse est, qui post me veniet,* vel *venturus est,* quem ego ut præcursor prænuntio, *qui* tamen *ante me factus est.* Licet jam venisset nascendo, tamen dicit esse venturum; quia nondum venerat ad baptismum, nondum se manifestaverat prædicando, et miracula faciendo, ac nostræ Redemptionis mysterium complendo. Et licet Joannes præcesserit Christum tempore nativitatis et mortis, non tamen resurrectionis et ascensionis. Vel, *qui post me venturus est,* id est, qui prædictus est a Prophetis, post me venturus est. Secundum *Remigium,* quinque modis venit Jesus post Joannem, scilicet : nascendo, prædicando, baptizando, moriendo, et ad inferos descendendo. Et cum hoc quod dicit : *Ante me factus est,* non possit intelligi secundum deitatem, quæ facta non est, nec de humanitate, qua Christus posterior est Joanne factus, oportet quod intelligatur quoad honorem et dignitatem; quia quasi Dominum, sequitur eum Joannes, et vadit post eum. *Ante* enim hoc in loco, non temporis, sed ordinis, habet significationem, et notat divinitatis, non nativitatis prioritatem. Ac si dicat, secundum *Chrysostomum,* non quia prior veni ad prædicandum, ex hoc majorem illo me æstimetis; post me ergo venit tempore, quia postmodum natus; ante me factus est dignitate, quia tanquam clarior et honorabilior, seu major et dignior mihi præpositus est et prælatus. Huic simile est, cum de aliquo dicimus : Hic olim me minor, vel mihi par erat; sed modo ante me factus est honore, modo me præcedit, modo mihi prælatus est. Vel, *factus est ante* sinceritate conscientiæ, innocentia vitæ, famæ decore. Prælationis autem Christi causas Joannes aperit, cum subjungit : *Quia prior me erat.* Pro tanto enim, *ante me factus est,* id est mihi prælatus, et dignitate antepositus est, quia etsi posterior sit in tempore, est tamen prior in æternitate : *quia prior me erat,* non secundum humanitatem, quam acceperat in tempore; sed secundum deitatem, in qua est ab æterno cum Patre; *prior me erat,* quia ipse ab æterno, ego ex tempore. Quoniam qui post me natus est de Matre sine patre, ante omnem creaturam sine ullo initio genitus est ex Patre sine matre. Et fortior me est, quia ipse Deus fortis et potens; ego autem homo et fragilis, et impotens. Ille Dominus, ego servus; ille Imperator, ego miles. Unde *Rabanus :* « Fortis est Joannes, qui Spiritum Sanctum dignus est habere; fortior qui eumdem potest dare. Fortis qui regnum cœlorum prædicat; fortior qui donat. Fortis qui baptizat in peccatorum confessione; fortior qui in eorum remissione. »

12 EX RESPONSIONE JOANNIS HUMILITAS CONTRA ELATIONEM INDUCITUR. — Immensitatem autem excellentiæ ejus subdendo manifestat : *Cujus non sum dignus ut,* procumbens, *solvam ejus corrigiam calceamentorum,* quod humile et vile officium est. Quasi dicat : In tantum est ante me, ut ego neque servire ei, neque in ultimis ministrorum ejus vocari dignus sim; calceamentum enim solvere ultimi ministri res est. Cum Christus calceamenta non por-

Digitized by Google

taverit, patet quod hæc est metaphorica locutio; quia Joannes in hoc dicit se non esse dignum exhibere Christo etiam minimum obsequium, hoc exprimens secundum communem loquendi modum. Cum enim aliquis suam parvitatem, et alterius excellentiam vult exprimere, solet communiter dici : Non sum dignus tangere sotulares ejus, vel aliud hujusmodi. Nec mirum si Joannes hoc dixit, quia homo, quantumcumque magnus, Deo comparatus, nihil est nisi pulvis et cinis; nec etiam aliqua creatura est digna ei servire, nisi per gratiam assumatur. Per hoc ostendit etiam Joannes ipsis Pharisæis, quod officium alienum non usurpabat; sed tantum suum proprium officium, scilicet præcursoris, exercebat. Unde, secundum *Gregorium,* allegorice per calceamentum, humanitas; per pedes, deitas; per corrigiam, unio calceamentorum, scilicet animæ et corporis ad deitatem, intelligi potest : quia nec ipse Joannes, nec aliquis alius sufficiens est, vel potest mysterium et modum illius ineffabilis unionis duarum naturarum, scilicet divinæ et humanæ, qua *Verbum caro factum est,* explicare vel aperire, cum hæc unio tanta esset, quod hominem Deum, et Deum hominem faceret. Unde Isaias : *Generationem ejus quis enarrabit?* Quasi diceret : Nullus est dignus. Ubi *Gregorius :* « Qua in re pensandum nobis est, quomodo sancti viri, ut humilitatis in se virtutem custodiant, cum quædam mirabiliter sciunt, illud ante mentis oculos student revocare, quod nesciunt, ut dum ex parte aliqua infirmitatem suam considerant, ex ea parte qua perfecti sunt, eorum se animus non extollat. Restat ergo ut in omne quod scit, sese mens deprimat, ne quod virtus scientiæ congregat, ventus elationis tollat. Cum bona, fratres, agitis, semper ad memoriam mala acta revocate, ut dum caute culpa conspicitur, nunquam de bono opere animus lætetur. Superiores invicem proximos vestros attendite, quia et quos agere aliqua prava conspicitis, quæ in eis lateant bona nescitis. Quæ licet bona adsint opera, nulla sunt, nisi ex humilitate condiantur: qui enim sine humilitate virtutes congregat, quasi in vento pulverem portat : » hæc *Gregorius.*

13 Annuntiatur Christi Baptismus. — Deinde Joannes subjungit : *Ipse vos baptizabit,* non solum in aqua, sed et *in Spiritu Sancto et igne,* gratiam Spiritus Sancti, et charitatis conferendo, quod non potest facere, nisi Deus. In Baptismo enim Christi confertur gratia Spiritus Sancti, et per ipsum ignis charitatis, si debite suscipiatur vel obex non ponatur; baptismus autem Joannis ista non conferebat, sed Baptismum Christi significabat, et ad ipsum disponebat. Unde *Chrysostomus :* « Aliud fuit baptisma Joannis, aliud Domini. Illud pœnitentiæ, hoc sanctificationis et gratiæ, in quo et Spiritus Sanctus in unoquoque credente, ad decoquenda peccata, modo ignis operatur urens delicta, purgans sordes carnis et animæ. » Unde et *Beda :* « Baptizamur autem a Domino in Spiritu Sancto, non solum cum in die Baptismatis, fonte vitæ in remissionem peccatorum abluimur, verum etiam quotidie, cum per gratiam ejusdem Spiritus, ad agenda quæ Deo placent, accendimur. Est ergo Baptismus fluminis in aqua, flaminis in pœnitentia, sanguinis in martyrio. »

14 Officium Christi in secundo adventu. — Deinde post testimonium Joannis, de primo Christi adventu, addit etiam de extremo, auctoritate et ministerio judicii

Digitized by Google

Christum commendando, et populis comminando, dicens : *Cujus ventilabrum in manu ejus.* Ventilabrum, a ventilandis paleis dictum est, et est instrumentum quo in Palæstina solebat purgari bladum, et est factum sicut pala, qua projicitur granum paleis commixtum in altum, et ventus paleas tollit, et granum in area cadit. Joannes ergo metaphorice loquens, per ventilabrum, intelligit discretionem justi examinis, seu divinum judicium, et potestatem discernendi bonos a malis, sicut ventilabro dividuntur grana a paleis, et fructuosa ab infructuosis, quod est *in manu*, id est in potestate et arbitrio ejus, quia judicandi officium sibi traditum est a Patre, *quia omne judicium dedit Filio.* Subdit ergo : *Et permundabit,* id est perfecte mundabit, *et purgabit* in futuro *aream,* id est Ecclesiam suam a paleis, in qua nunc grana cum paleis, id est boni cum malis, commixti sunt; sed in judicio separabuntur ab eis. *Et congregabit triticum* modo pluribus locis dispersum, id est bonos et justos, qui ad modum tritici sunt interius candidi, per munditiam, exterius rubei, per patientiam, graves moribus, utiles sermonibus, multiplicabiles aliorum conversionibus, *in horreum suum,* id est, cœleste habitaculum. *Paleas autem,* id est malos et reprobos, leves per superbiam, pallidos per invidiam, fragiles per iracundiam, aridos per avaritiam, infructuosos per accidiam, viles per carnalem concupiscentiam, *comburet igne,* gehennæ, *inextinguibili,* et pœna sensibili. In hac etiam præsenti vita, Dominus Ecclesiam purgat, dum ob manifesta peccata, perversi et mali de Ecclesia per sententiam ejiciuntur, vel per mortem de hac vita abscinduntur; sed hæc purgatio in fine perficietur, quando per Angelos de regno suo omnia scandala colligentur. Vel modo mundat, discernendo merito, non numero; sed tunc et numero et merito. *Multa quidem et alia exhortans,* et docens Joannes *evangelizabat,* et annuntiabat *populo.* Ex quo patet quod non omnia facta et dicta Joannis scripta sunt, sed pauca respective, sicut et de Christo dicitur Joannis ultimo.

15 Moraliter Joannes dat formam vivendi, prædicandi et fructificandi. — Moraliter Joannes dat formam vivendi, prædicandi et fructificandi. Nam ejus vita austera, et quoad victum durum, et quoad vestitum asperum, et quoad locum desertum; ejus doctrina vera, sive de Deo, sive de seipso, sive de proximo; ejus operatio fructuosa, quia multos vocando, baptizando, et rectificando. In primo fuit exemplar Religiosorum, in secundo Doctorum, in tertio Prælatorum. Si enim talis esset prædicator, omnis Jerosolyma, quoad claustrales, Judæa, quoad clericos, et Regio, quoad laicos, venirent confitentes peccata sua, tam venialia, quam mortalia, veniret et Jesus cum eis, ad sanctificandum eos, et verbo, et remedio, et exemplo.

16 De Bethania. — Ad majorem autem expressionem prædictorum, locus ubi facta sunt, determinatur consequenter, cum subjungitur : *Hæc in Bethania facta sunt trans Jordanem, ubi erat Joannes baptizans.* Ut enim dicit *Chrysostomus :* « Non in domo, neque in angulo Christum prædicabat; sed Jordanem transiens, in media multitudine, præsentibus omnibus qui ab eo baptizabantur. In Bethania, quæ *domus obedientiæ* interpretatur, Joannes baptizare dicitur, ut quod ex obedientia Dei venerat Christum nuntiare immolandum pro redemptione mundi, ostendatur et intelligant homines, quia si a peccato

Digitized by Google

originali, quod per inobedientiam primi parentis contigit, absolvi desiderant, submisso corpore, et credulo corde, Baptismi sacramentum suscipere, et per obedientiam fidei, omnes ad Baptismum pervenire debent, et ut significetur, quod baptizatis obedientia convenit. Est autem duplex Bethania : una est quædam villa citra Jordanem, ad duo milliaria de Jerusalem, scilicet in latere montis Oliveti, ubi Lazarus fuit suscitatus; alia, de qua dictum est, sita supra Jordanem, ex altera tamen parte fluminis, scilicet in sorte duarum tribuum, et dimidiæ, a Jerusalem itinere diei unius, ubi erat Joannes baptizans, scilicet in confinio Gentium et Judæorum, ut his et illis ostenderetur Baptismus communis. Et bene *trans Jordanem* baptizabat, quia Gentes, communius quam Judæi, Baptismum receperunt. »

ORATIO

Joannes, beatissime præcursor Christi, præco Judicis, amicus Sponsi, vox Verbi divini, qui solatium nostræ Redemptionis annuntiare meruisti, impetra mihi misero apud eumdem Dominum nostrum Jesum Christum, tuis sanctissimis precibus, ut, purgato a vitiis pectore, et ornato virtutibus, parem secundum salubria tua monita viam Domini, et rectas faciam semitas ejus, quatenus in extremo judicio, cum aream Ecclesiæ suæ mundaverit, et triticum a paleis separaverit, merear inter grana tritici, et electos suos inveniri, et in horreum cœlestis mansionis cum eis reponi. Amen.

CAPUT XX

De Pœnitentia facienda.

1 Pœnitentia duo requirit. — Quia vero de pœnitentia, per quam regnum cœlorum appropinquat, et via Domini paratur, tactum est in præcedentibus, nunc consequenter de ipsa aliquantulum latius videamus. Ad veram itaque pœnitentiam, quam amor Dei et odium peccati facit, ante omnia duo requiruntur, scilicet quod peccator de peccatis præteritis doleat et nunquam iterata vice peccandi, firmam voluntatem habeat. Sine his duobus, pœnitentia vera non est, quia sine eis, nec Deus peccata dimittit, nec sacerdos absolvere a peccatis potest. Unde *Bernardus* : « Vera siquidem pœnitentia est, sine intermissione temporis, de præteritis malis dolere, et sic plangere commissa, ut non committat plangenda. Irrisor namque est, et non vere pœnitens, qui adhuc agit quod pœniteat. Si ergo vis verus pœnitens esse, cessa a peccato, et amplius noli peccare. Quoniam inanis est pœnitentia, quam sequens coinquinat culpa. » Unde et *Gregorius* : « Pœ-

Digitized by Google

nitentiam quippe agere, est et perpetrata mala plangere, et plangenda non perpetrare; nam qui sic alia deplorat, ut tamen alia committat, adhuc pœnitentiam agere, aut ignorat, aut dissimulat. » Unde etiam *Augustinus:* « Inanis est pœnitentia, quam sequens coinquinat culpa. Nihil prosunt lamenta, si replicantur peccata. Nihil valet a malis veniam poscere, et mala denuo iterare. » Et iterum : « Pœnitentes, pœnitentes; si tamen estis pœnitentes, et non irridentes, mutate vitam, reconciliamini. Pœnitentiam agis, genu figis, et rides; subsannas patientiam Dei. Si pœnitens es, pœnitet te, si non pœnitet, pœnitens non es; si ergo pœnitet, cur facis quod male fecisiti? Si fecisse pœnitet, noli facere; si adhuc facis, pœnitens non es. »

2 PŒNITENTIA DE QUIBUS AGENDA. — De quibus autem pœnitentia sit agenda, notat idem *Augustinus,* dicens : « Tres sunt actiones pœnitentiæ. Una est quæ novum hominem parturit, donec per Baptismum salutare, omnium præteritorum fiat ablutio peccatorum. Omnis enim qui jam suæ voluntatis arbiter constitutus est, cum accedit ad sacramenta fidelium, nisi eum pœniteat vitæ veteris, novam inchoare non potest. Ab hac pœnitentia, soli parvuli, cum baptizantur immunes sunt, nondum enim uti possunt libero arbitrio; quibus tamen ad consecrationem remissionemque originalis peccati, prodest eorum fides a quibus offeruntur, ut quascumque maculas delictorum, per alios ex quibus nati sunt, contraxerunt, aliorum etiam interrogatione et responsione purgentur. Ceterorum hominum nullus transit ad Christum, ut incipiat esse quod non erat, nisi pœniteat eum fuisse quod erat. — Altera vero pœnitentia est, cujus actio per totam istam vitam, perpetua supplicationis humilitate subeunda est. Primo, quia nemo vitam æternam desiderat, nisi eum vitæ hujus temporalis pœniteat. Quis dubitet, in quacumque temporali felicitate versemur, pœnitere tamen nos debere hujus vitæ, ut ad illam incorruptionem tota aviditate curramus? Quis ergo festinat atque exoptat ad patriam remeare, nisi quem peregrinationis suæ pœnitet? Quis itaque sanæ mentis non ingemiscit, cui non per pœnitentiam sic esse displiceat? Deinde multa sunt peccata, quæ quamvis singula non lethali vulnere ferire sentiantur, tamen simul omnia congregata, quæ plura sunt necant, nisi medicamento quotidianæ pœnitentiæ desecentur. Quisquis itaque si diligenter attendit, satis intelligit cum quanto periculo peregrinetur a Domino. — Tertia actio pœnitentiæ est quæ pro illis peccatis subeunda est, quæ legis Decalogus continet. In hac ergo pœnitentia majorem in se quisque severitatem debet exercere, ut a se ipso judicatus, non judicetur a Domino. Adscendat itaque homo adversum se tribunal mentis suæ, constituat se ante faciem suam. Atque ita constituto in cordis judicio, adsit accusatrix cogitatio, testis conscientia, carnifex timor. Inde quidam sanguis animi confitentis per lacrymas profluat. Postremo, ab ipsa mente talis sententia proferatur, ut se indignum homo judicet participatione Corporis et Sanguinis Domini, ut qui separari a regno cœlorum timet, per ultimam sententiam summi Judicis; per ecclesiasticam disciplinam a sacramento cœlestis panis separetur. Judicet ergo seipsum homo in istis; voluntatem dum potest, et mores convertat in melius, ne cum jam non potuerit, etiam præter voluntatem, a Domino judicetur. Sed si jam de sanitate desperans addis peccata peccatis, sicut scriptum est :

Digitized by Google

Impius cum in profundum venerit peccatorum, contemnit; noli contemnere, noli desperare, clama de profundis etiam ad Dominum. De tali profundo, Ninivitæ clamaverunt, et propitiationem invenerunt. Faciliusque est evacuata comminatio prophetiæ, quam humiliatio pœnitentiæ. Quidquid enim feceris, quæcumque peccaveris, adhuc in hac vita es, unde te omnino, si sanare nollet, auferret. Cur ergo ignoras, quia patientia Dei ad pœnitentiam te adduxit? » hæc *Augustinus.* Non solum ergo de magnis, sed et de parvis peccatis, ut dictum est, quotidiana pœnitentia est agenda, et quamvis parva videantur, non tamen propter hoc sunt negligenda. « Quia, ut ait *Gregorius,* nullum peccatum adeo parvum, quod non crescat neglectum. » Et iterum : « Peccatum quod pœnitentia non diluit, ipso suo pondere, mox ad aliud trahit. » Unde dicit *Ambrosius,* quod minimum peccatum, scienter commissum, gravius est toto mundo. Unde et *Augustinus :* « Sed ista levia quæ dicimus, noli contemnere; si contemnis, quando appendis, expavesce; quando numeras levia, multa faciunt unum grande. Multæ guttæ implent flumen; multa grana faciunt massam : » hæc *Augustinus.* Non itaque levia sunt contemnenda, nec propter gravia est desperandum. Quia, ut ait idem *Augustinus,* nullum peccatum criminale est, dum displicet; nullum veniale, dum placet.

3 Pœnitentia agenda sine dilatione, sera enim securum non facit. — Agenda est autem pœnitentia sine dilatione, et dum possumus, ne subito præoccupati, quæramus spatium pœnitentiæ, et invenire non possimus. Unde *Augustinus :* « Remedia conversionis ad Deum nullis sunt cunctationibus differenda, ne tempus correctionis pereat tarditate. Qui enim pœnitenti indulgentiam promisit, dissimulanti diem crastinum non spopondit. » Et iterum : « Si quis autem positus in ultima necessitate ægritudinis suæ voluerit accipere pœnitentiam, et accipit, et mox reconciliatur, et hinc vadit, fateor vobis, non illi negamus quod petit, sed non præsumimus quia hinc bene exit. Non præsumo, non vos fallo, non præsumo. Fidelis bene vivens securus hinc exit; baptizatus ad horam securus hinc exit; agens pœnitentiam ad ultimum, et reconciliatus; si securus hinc exit, ego non sum securus. Unde securus sum, et do securitatem; unde non sum securus, pœnitentiam dare possum, securitatem dare non possum. Non dico, damnabitur; sed nec dico, liberabitur. Vis te dubio liberare? Vis, quod incertum est, evadere? Age pœnitentiam, dum sanus es. Si enim agis veram pœnitentiam dum sanus es, et invenerit te novissimus dies currentem ut reconcilieris; si sic agis, securus es, quia egisti pœnitentiam eo tempore, quo et peccare potuisti. Si autem tunc vis agere pœnitentiam, quando jam peccare non potes, peccata te dimiserunt, non tu illa. Duæ res sunt, aut ignoscitur tibi, aut non ignoscitur. Quod horum tibi sit futurum, ego nescio. Ergo dimitte incertum, et tene certum : » hæc *Augustinus.* Ideo autem *Augustinus* dubitat de his qui pœnitent in extremis, quia tales potius videntur pœnitere timore pœnæ, quam amore justitiæ, et ideo eorum pœnitentia videtur esse dubia. Non ergo tardes vel dissimules, in sanitate pœnitentiam agere, et cito peccati onus deponere. Quia, ut ait *Augustinus,* stultum est in illo statu vivere, in quo quis non audet mori. Et audacior est, qui cum uno peccato mortali dormit, quam qui cum septem hostibus. Sæpe quidem pro-

Digitized by Google

mittunt sibi homines vitam longam, ex eo quod sunt juvenes, vel bonæ complexionis, aut fortes; nescientes quid superventura pariat dies, nec attendentes quod raro quis moritur morte naturali, sed frequenter ex accidentibus : puta febre, apostemate, et hujusmodi, vel quandoque morte improvisa et casuali, et tamen creditur quod quilibet in statu meliori moritur. Unde *Hugo* de Sancto Victore : « Sciendum quod nec justus, nec impius, nec puer, nec senex ante solvuntur a corpore, quam sint in illo puncto bonitatis, vel malitiæ, ultra quam si semper viverent, nunquam transirent : » hæc *Hugo*. Sed propter vanam longæ vitæ spem, multi decipiuntur, et pœnitentiam quam exspectant, non consequuntur. Unde *Chrysostomus :* « Nihil tantum decipit homines, quantum vana spes longioris vitæ. » Et *Augustinus :* « Experti sumus multos expirasse, exspectantes reconciliari. »

4 PŒNITENTIÆ TEMPUS NON PRÆTERMITTENDUM. — Et posito quod homo certus esset de vita longa, adhuc tamen pœnitentia non esset usque ad senectutem et senium prolonganda; quia tunc invalidi sunt homines ad laborem, et vix in his ætatibus reperitur quis, qui se a peccatis quæ consuevit, evellat per pœnitentiam. Optimum ergo consilium, summa prudentia, et maxima providentia in hoc consistit, ut per veram contritionem, et puram ac integralem confessionem, et per satisfactionem condignam, homo sanus et fortis se disponat, cunctaque noxia, eum a salute æterna retrahentia ac impedientia projiciat, et se jugiter omni tempore sic teneat, ac si hodie vel cras, vel ad longius in hac septimana, discessurus sit de hoc mundo. In extremo quippe vitæ suæ potest homo pœnitere, quia usque tunc potest peccare, et ergo usque tunc potest de peccatis, per divinam misericordiam, consequi veniam, quia misericordia Dei vincit humanam malitiam. Sed talis pœnitentia tarda raro est vera et fructuosa, quia in ea non habetur distinctiva et sufficiens de peccato displicentia. Contritio enim sufficiens requiritur quod peccatum dimittatur; sed vehemens passio, et dolor in parte sensitiva, qualem habent communiter illi in articulo mortis, impedit in pœnitente usum rationis, ne bene deliberet de peccatis. De pœnitentia ergo injuncta, aut voluntarie assumpta, gaude, et Deo gratias age, qui te ad eamdem decrevit misericorditer exspectare; non sis ingratus, quia hodiernum diem habes, in quo corrigaris. Heri malus fuisti; hodie bonus esto. Considera quoniam multi modo moriuntur, quibus, si una hora ad agendam pœnitentiam concederetur, quæ tibi concessa est, quomodo per altaria, et quam festinanter currerent, et ibi, flexis genibus, vel certe toto corpore in terram prostrato, tamdiu suspirarent, plorarent, et orarent, donec plenissimam peccatorum suorum veniam a Deo consequi mererentur. Tu vero comedendo, bibendo, jocando, ridendo, et otiose vivendo, tempus perdis, quod tibi Deus indulsit ad requirendam gratiam, et ad promerendam gloriam. Cogita etiam quod animæ in inferno cruciantur, sine spe veniæ misericordiæ. Si amor Dei te tenere et mulcere non potest, saltem teneat et terreat timor judicii, metus gehennæ, laquei mortis, et omnia mala. Sed heu! multi hodie abutentes Dei patientia, parum hæc attendunt, et tempus, quo nihil est pretiosius, inutiliter transire permittentes, miserabiliter amittunt. Unde *Bernardus :* « Hodie filii hominum animæ curam negligunt, carnis

Digitized by Google

curam perficiunt, in omni desiderio. Neque enim peccare metuunt, sed puniri; nec virtuti cordis opera datur, sed valetudini corporis, imo etiam voluptati. De schola Hypocratis et Epicuri didicerunt hæc. Tempus hoc animabus, non corporibus est assignatum; dies salutis utique, non voluptatis. » Et iterum : « Nihil pretiosius tempore, sed heu! nil hodie vilius æstimatur. Transeunt dies salutis, et nemo recogitat, nemo sibi non reditura momenta periisse causatur : » hæc *Bernardus*.

5 De purgatorii pœna. — Et revera, nihil in hac vita pretiosius est tempore, quia brevi hora posset quis veniam et gratiam, ac gloriam obtinere et plus quam totus mundus valeat promereri. Non est enim hora tam brevis, in qua non spiritualia lucra, suo valore incomparabiliter omnia terrena excedentia, comparare posset. Attende etiam quia plus valet hic in patientia dies unus, quam in purgatorio annus. Unde in Ezechiel : *Diem pro anno dedi tibi.* Pœna tamen purgatorii excedit omnem pœnam temporalem hujus vitæ. Dicit enim *Augustinus* quod ille ignis purgatorii durior est quam quidquid in hoc seculo pœnarum, aut sentire, aut videre, aut cogitare quis potest. Igitur magis est curandum de bona vita, quam de longa. Unde *Seneca* : « Quam bene vivas refert, non quamdiu. Actu vitam metiamur, non tempore. »

6 Tres sunt pœnitentiæ partes. — Sunt autem tres partes pœnitentiæ, scilicet : cordis contritio, oris confessio, et operis satisfactio. Præcepit enim Scriptura scindere *corda, non vestimenta*, confiteri *alterutrum peccata*, et *facere dignos fructus pœnitentiæ*. Nam cum omne peccatum committatur corde, opere, vel ore, justum est ita curari per contrarium, ut peccator culpam animo detestetur, verbo accuset, et facto pœniteat. Istæ tres partes pœnitentiæ sunt trinæ dictæ, quibus ad terram promissionis itur. De quibus in Exodo dicitur : *Deus Hebræorum vocavit nos, ut eamus viam trium dierum in solitudine, et sacrificemus Domino Deo nostro, ne forte accidat nobis pestis,* id est culpa in præsenti, aut gladius, id est pœna in futuro. In hoc triduo, quæsivit Virgo Maria Filium suum, et invenit eum. In quo felici triduo similiter et tu si quæsieris, invenies Jesum, id est salutem æternam. Hæc est scala, cum tribus gradibus, quam vidit Jacob, erectam a terra usque ad cœlum, et Dominum innixum scalæ propter tria : primum, ut eam fortiter sustineat; secundum, ut ascendenti per eam, manus, si necesse fuerit, porrigat; tertium, ut ascendens, cum laboraverit, et fatigatus fuerit, in ipsum respiciat, et totam suam curam in eum jactet : non enim ita crudelis est quod eum cadere permittat.

7 De contritione cordis. — Prima ergo pars pœnitentiæ est cordis contritio. Est autem contritio dolor voluntarie assumptus pro peccatis, cum proposito, seu intentione confitendi et satisfaciendi, quia nullus vere censetur contritus, nisi habeat propositum hujusmodi. In qua contritione, homo sigillatim omnia peccata sua ante tribunal conscientiæ suæ adducat, ut ibi seipsum accusans, in amaritudine animæ suæ de singulis conteretur, et postea confiteatur. De singulis quippe peccatis mortalibus requiritur contritio singularis. Diversorum enim morborum diversæ sunt medicinæ, sed contritio est medicina singularis contra unum tantum mortale; ergo non sufficit una communis de omnibus peccatis, sed de quolibet

Digitized by Google

mortali, tenetur homo specialiter conteri, si habet distinctam peccatorum memoriam. Nam, secundum *Chrysostomum*, sicut in radiis solaribus videntur atomi minuti in aere, qui nequaquam extra radios solares apparent; ita menti radio circumspectionis propriæ illustratæ, apparent seu defectus minutissimi, qui aliis desidiosis, ac per hoc tenebrosis mentibus, occultantur. Si vero quæritur, quamdiu quis de peccatis dolere debeat, dicendum quod Deus, quando absolvit hominem a vinculo peccati, seu a culpa et a pœna æterna, ligat eum vinculo perpetuæ detestationis peccati. Unde utile est quod sacerdos aliquam pœnitentiam, quantumcumque parvam, perpetuam injungat, ut homo per hoc, peccatorum suorum præteritorum, aliquando in contritionis spiritu rememoretur. Sed detestatio peccati perpetua est duplex. Quædam in actu, ad quam homo non tenetur semper; si quis tamen faceret, perfectionis esset, non tamen omnino de essentia. Sicut beatus Petrus legitur semper flevisse, et sanctus David qui dicebat: *Peccatum meum, contra,* id est coram *me est semper*. Alia est in habitu, ad quam homo semper tenetur, etiam post perfectam peccati remissionem. De hac secunda, dicit *Augustinus* loquens de pœnitente : « Pœnitens omnes fructus pœnitentiæ suæ parvos habeat, nunquam sufficiat, et semper doleat, et de dolore gaudeat; non semper doluisse se doleat, semper pro Domino, ante quem peccavit, erubescat, dolorem cum vita finiat. » Et iterum : « Aut continui dolores cruciabunt pœnitentem vitam meam; aut æterni cruciatus vexabunt puniendam animam meam : » hæc *Augustinus*. Iste ergo dolor cessare non debet in pœnitente, nec finiri in hac vita, sed sicut homo in Deum, qui æternus est, peccavit; ita in æterno suo, scilicet quamdiu vixerit, dolere debet. Sed multi gemunt pro peccatis non quod peccata eis displiceant propter Deum, sed propter pœnam. Nonnullos etiam pœnitet peccasse, pro solo peccati turpitudine. Fructuosa ergo contritio est, cum quis de peccato, quo Deum offendit, dolet, et inde turbatur et gemit; quia iniquitas, amore justitiæ, sibi displicet. Et quantocius aliquis sic vere pœnitet, tantocius Deus peccatum dimittit. Est autem Dei peccata dimittere, id est æternam pœnam pro illis debitam, per collationem præsentis gratiæ relaxare. Sic quoque actualis peccati, per vivificationem mentis, æterna pœna relaxata, relinquitur temporalis, in quam æterna est commutata, ut quod illicita animæ delectatione, sive etiam carnali voluptate commissum est, satisfactionis dignæ amaritudine purgetur ab homine, dum licet, ne districtius a Deo puniatur in futuro, quia nullum malum præterit impunitum. Est autem duplex pœnitentiæ gemitus, vel dum plangimus quod male gessimus, vel dum plangimus quia non egimus quod agere debuimus.

8 De confessione oris. — Secunda pars pœnitentiæ est oris confessio. Est autem confessio, per quam morbus latens, spe veniæ aperitur. Et est confessio duplex quædam mentalis, quæ fit coram Deo, et hæc est de jure naturali; quædam vocalis quæ fit homini, et hæc non est de jure naturali. Igitur ante Incarnationem Christi sufficiebat mentalis confessio, facta Deo soli, quia Deus nondum erat homo. Sed postquam Deus homo factus est, requirit ab homine quod confessio sibi tanquam homini fiat. Et quia ipse in forma humana, nobiscum ubique præsens esse non potest, vicarios suos constituit homines,

Digitized by Google

quorum primus fuit Petrus et ceteri Apostoli, ac consequenter sacerdotes, quibus ipse dixit : *Quæcumque alligaveritis super terram,* etc. Per hoc enim quod ministris sacramentorum dedit potestatem ligandi et solvendi, insinuavit confessionem eis tanquam judicibus debere fieri. Sic ergo Christus instituit confessionem tacite, sed Apostoli promulgaverunt eam expresse. Ideo etiam confessio facienda est homini, Christi vicario, ut per hoc peccata nostra celentur diabolo. Unde *Augustinus* : « In omnibus Scripturis divinis, fratres charissimi, utiliter, ac salubriter admonemur, ut peccata nostra debeamus jugiter ac humiliter, non solum Deo, sed etiam sanctis hominibus et Deum timentibus confiteri. Non enim ideo vult Deus ut confiteamur peccata nostra, quod ipse ea scire non possit; sed quia diabolus hoc desiderat, ut inveniat quod nobis ante tribunal æterni Judicis objiciat, ideo vult ut magis defendere peccata nostra velimus. Contrario Deus noster, quia pius et misericors est, vult ut ea confiteamur in hoc seculo, ut pro illis non confundamur in futuro. Sciens ergo diabolus virtutem puræ confessionis, toto nisu impedire conatur hominem ne confiteatur. Et sicut suggessit prius ut homo caderet, sic post casum impedit ne resurgat, quia scit nos non resurgere posse sine confessione : » hæc *Augustinus*. Pejus est confiteri nolle, quam Legem contemnere. Pejus est Dei offensam satisfactione nolle placare, quam peccando Dei bonitatem offendere. Quamvis enim in contritione dimittatur peccatum, tamen confessio vocalis necessaria est, vel in re, quando habetur opportunitas, vel in proposito, quando articulus necessitatis eam excludit, et non contemptus religionis; et ita necessitas confitendi post contritionem non est in tali casu propter necessitatem remedii, sed propter obligationem præcepti.

9 SÆPIUS EST FREQUENTANDA. — Est autem confessio convenienter instituta, ut qui in sua potestate positus, a Deo discesserat; sub alio positus, cum humilitate et devotione rediret. Ideoque Deus instituit sacerdotem sui vicarium, et quasi medicum, cui peccatorum vulnera detegerentur, ut peccator non a se, sed ab alio, majoris humilitatis causa, satisfactionis medicinam susciperet. Sunt enim sacramenta quasi quædam emplastra. « Igitur, ut ait *Augustinus,* ponat se omnino pœnitens in potestate judicis, in judicio sacerdotis, nihil sibi reservans; sed omnia paratus sit facere, eo jubente, pro recipienda vita animæ, quæcumque faceret pro evitanda corporis morte. Homines etiam ad peccandum efficerentur proniores, si turpitudines suas non æstimarent revelandas. Et quia initium operum bonorum est confessio, operum malorum valde est utile confessionem frequentare. Evenit enim cor prius contritum et humiliatum confirmari in confessione; et plerumque peccator solo timore, vel Ecclesiæ consuetudine, sacerdoti præsentatus, per sacerdotale officium vere compungitur, ac plenus charitate recedit. Nonnulli etiam, nec ex corde redeunt; sed tamen forma pœnitentiæ, quam suscipiunt paulatim, in eis humilitatem cum charitate nutrit. Nec ob pudorem cessas a confessione : quia erubescentia et pudoris anxietas, ac confitentis humilitas, maxima pars est pœnitentiæ. » Unde *Chrysostomus* : « Confessio peccatorum est signum bonæ mentis, et testimonium conscientiæ Deum timentis; perfectus enim timor solvit omnem pudorem. Illic autem turpitudo confessionis aspi-

Digitized by Google

citur, ubi futuri judicii pœna non creditur. Et quia ipsum erubescere pœna est gravis, ideo jubet nos Deus nostra confiteri peccata, ut verecundiam patiamur pro pœna : nam et hoc ipsum, pars divini judicii est. » Unde et *Valerius* : « Venia dignus est, qui peccati excusationem non quærit. Ubi enim est confessio, ibi est remissio, quia proximum ad innocentiam locum tenet verecunda confessio. » Unde *Augustinus* : « Quoniam verecundia magna est confiteri peccata, qui erubescit pro Christo, fit dignus misericordia. Et quanto pluribus confitetur quis in spe veniæ turpitudinem criminis, tanto facilius consequetur gratiam remissionis. » Et iterum : « O stulte, cur erubescis homini dicere quod non erubuisti in conspectu Dei facere? Remove a te pudorem, curre ad sacerdotem, revela secretum, confitere peccatum; alioquin nihil tibi proderit, contritio cordis, nisi sequatur confessio oris, si possis. » Et iterum : « Confessio est salus animarum, dissipatrix vitiorum, restauratrix virtutum, oppugnatrix dæmonum. Quid plura? Obstruit os inferni, portas aperit paradisi : » hæc *Augustinus*. Unde et *Gregorius* ad commendationem confessionis sic dicit : « Mirentur qui volunt in quolibet justo castitatis continentiam, mirentur integritatem justitiæ, mirentur viscera pietatis; ego non minus admiror confessionem humillimam peccatorum, quam tot sublimia gesta virtutum : » hæc *Gregorius*.

10 CONFESSIONEM EORUMDEM ITERARE VALDE UTILE EST. — Utile est etiam et valde salubre confessionem etiam eorumdem peccatorum frequenter iterare, et pluribus confiteri, quia confessio iterata, licet ad salutem non sit necessaria, tamen multum est proficua; tum quia nescit homo, an in prima confessione sufficienter contritus fuerit, tum quia major humilitas et erubescentia meritum causat et acquirit; tum quia per quantamcumque confessionem, tollitur virtute sacramenti aliquid de pœna, et confertur aliqua gratia. Quia enim sacerdos virtute clavium aliquid relaxat de pœna debita, posset aliquis, toties confiteri, quod tandem nihil remaneret de pœna. Et licet aliqui dicant, quod sola prima absolutio effectum habet vi clavium, aliæ autem non, cum nihil inveniant absolvendum; secundum benigniorem tamen opinionem aliorum, non reputatur inconveniens, quin homo posset toties idem peccatum corde contrito confiteri, et ab eo absolvi, quod per hoc dilueret totam pœnam purgatorii, et talis moriens, statim evolaret; cum virtute clavium quæ semper aliquid relaxat, etsi talis absolutio non inveniat culpam, invenit reatum pœnæ. Et dato quod nihil pœnæ inveniat; tunc ex vi contritionis, facit ad augmentum gratiæ, nec tamen peccatum tunc remaneret sine pœna, non enim modica pars pœnæ est dolor contritionis, et erubescentia confitentis, quæ in sequenti confessione iteratur. Quid igitur melius quam frequenter confiteri, quousque per centesimam, vel millesimam confessionem tota pœna relaxetur confitenti? Et notandum quod confessio generalis, quæ fit ante missam in ecclesia, purgat peccata venialia, et delet peccata mortalia oblita.

11 CONFESSOR SIT SECRETUS. — Valde autem cautus debet esse confessor, in tenendo secretum confessionis, ita ut nec illud revelet, etiam de licentia confitentis. In casu enim quo confitens renuntiat sua secreta, et dat confessori licentiam dicendi cui voluerit, vel loquendi de eo, non potest ipse confessor revelare dictum sibi in confessione, quia

Digitized by Google

ipse confitens non potest in præcepto Legis divinæ et Evangelicæ, sub quo secretum confessionis cadit, dispensare. Et ideo si confessor non habet potestatem absolvendi, vel indiget consilio saniori, debet sibi iterum extra confessionem, ob hanc tantum causam dici facere', et tunc potest exprimere Superiori, vel alteri consulenti. Sed nec in casu mortis sibi imminentis, nec sub sigillo confessionis, potest vel debet quis secretum confessionis aliis revelare; nec debet ipsi confitenti, post confessionem peccatum improperare, nec ab eo peccatum, ad denudandum, vel detrahendum cautelose, post confessionem extorquere.

12 De satisfactione operis per contraria. — Tertia pars pœnitentiæ est operis satisfactio. Est autem satisfactio, qua pro qualitate culpæ pœna digna exsolvitur. Hinc est illud Baptistæ : *Facite dignos fructus pœnitentiæ.* Unde *Gregorius :* « Non solum fructus pœnitentiæ, sed *dignos pœnitentiæ fructus* admonet esse faciendos. Neque enim par fructus esse boni operis debet ejus qui minus, et ejus qui amplius deliquit, aut ejus qui in nullis, et ejus qui in quibusdam facinoribus cecidit. Per hoc ergo cujuslibet conscientia convenitur, ut tanto majora quærat bonorum operum lucra per pœnitentiam, quanto graviora sibi intulit damna per culpam. » Et iterum : « Nam cogitandum summopere est, ut qui se illicita meminit commisisse, a quibusdam etiam licitis studeat abstinere, quatenus per hoc Conditori suo satisfaciat; et qui commisit prohibita, sibimet abscindere debeat etiam concessa. » Unde *Bernardus :* « Pro eo quod ab ipsis licitis abstinemus, ea nobis quæ prius commisimus illicita condonantur. Patet ergo ex istis, quoniam ad pœnitentiam pertinet operari contraria his quæ aliquis peccavit. » Unde *Chrysostomus :* « Pœnitentiam vero dico non solum, ut a malis prioribus desinamus, verum etiam ut bonorum operum fructibus impleamur. *Facite,* inquit, *fructus dignos pœnitentiæ.* Quo autem modo fructificare poterimus? si utique peccatis adversa faciamus. Aliena rapuisti, incipe donare jam propria; longo es tempore fornicatus, a legitimo quoque te usu suspende conjugii, ac perpetuam continentiam sæpius paucorum dierum castitate meditare. Injuriam cuiquam, vel opere vel sermone fecisti, refer benedictionis verba convitiis, et percutientes te, nunc officiis, nunc etiam beneficiis placare contende. Neque enim vulnerato sufficit ad salutem tantummodo spicula de corpore evellere; sed etiam remedia adhibere vulneribus. Deliciis autem et temulentia diffluebas, jejunio et aquæ potu utrumque compensa, ut famem superes imminentem. Vidisti impudicis oculis alienam decoram feminam, jam omnino ne videas, majore tactus cautione post vulnera. *Declina,* inquit, *a malo, et fac bonum.* Et alibi : *Inquire pacem et persequere eam.* Non tantum hanc dico pacem, quæ cum hominibus, verum etiam quæ cum Deo est copulanda. Et bene ait, *persequere.* Exagitata est undique, et prorsus explosa, ac terras relinquens in cœlum profecta. Sed tamen possumus eam rursus revocare, si volumus, id est, si iracundiam, superbiam, atque jactantiam omniaque abjicientes impedimenta pacis, modestam hanc vitam, puramque sectemur : » hæc *Chrysostomus.*

13 Satisfactio Deum honorat et peccata prævenit. — Satisfactio autem debet fieri per opera pœnalia. Per satisfactionem enim, oportet peccati vulnus sanare perfecte; sed peccaminum medicinæ sunt pœnæ : et ergo ad satisfaciendum sunt ne-

Digitized by Google

cessariæ. Nam licet Deo nihil posset subtrahi, tamen peccator peccando, quantum in eo est, subtrahit quod est ad honorem Dei; et ideo cum satisfactio sit quædam recompensatio, oportet quod per eam sibi ipsi pœnitens aliquid subtrahat, quod ad honorem Dei cedat. Hoc autem non potest esse, nisi sit opus bonum, quantum ad Dei honorem; et pœnale opus, quantum ad peccatorem pœnitentem, cui est subtrahendum. Sic et Deo satisfacit, et etiam a vitiis et futuris malis, in quantum pœnale, præservat. Satisfactio ergo debet esse talis, per quam aliquid nobis ad honorem Dei subtrahamus. Sed non habemus nisi tria bona, scilicet : bona animæ, bona corporis, et bona fortunæ, scilicet bona exteriora. Ex bonis quidem fortunæ, subtrahimus nobis aliquid, per eleemosynam; ex bonis corporis, per jejunium; ex bonis autem animæ, non oportet quod aliquid nobis subtrahamus, quantum ad diminutionem bonorum animæ, quia per ea efficimur Deo accepti, sed per hoc quod submittimus ea, scilicet tam animam, quam ejus bona, totaliter Deo, et hoc fit per orationem. Iste etiam numerus operum satisfactoriorum videtur esse ordinatus contra radices peccatorum, quæ sunt concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum, et superbia vitæ, quia contra concupiscentiam carnis ordinatur jejunium; contra concupiscentiam oculorum, eleemosyna; contra superbiam vitæ, oratio. Igitur, ut dictum est, secundum exigentiam culpæ, faciendi sunt *fructus pœnitentiæ;* quod est contra illos, quorum culpa est multa, et pœnitentia modica. Unde *dignos fructus pœnitentiæ facit* ille qui, secundum modum culpæ, facit æqualitatem pœnæ, ut qui plus peccat, plus pœniteat, et quot invenit in se oblectamenta in culpa, tot de se faciat holocausta in pœnitentia, et qui amisit Deum in peccati delectatione, quærat eum in peccati abominatione, recogitando omnes annos suos, *in amaritudine animæ suæ.*

14 QUALITATES SATISFACTIONIS UT SIT SUFFICIENS. — Et ideo quando condignam pœnitentiam sacerdos non injungit, vel si injungit, non tamen impletur, non absolvitur pœnitens a pœna condigna, sed a tanta quantam hic facit, non autem a residua. Unde *Bernardus :* « Nec tibi blandiaris, si graviter peccanti levior pœna, vel a dissimulante dictatur; cum in purgatoriis ignibus perficiendum sit, quidquid hic minus feceris, quia dignos fructus pœnitentiæ quærit Altissimus : » hæc *Bernardus.* Digna vero pœnitentia, non tantum carnis maceratione, vel temporis longitudine, quantum cordis contritione compensatur; quia apud Deum non tam valet mensura temporis, quam doloris, nec tantum abstinentia ciborum, quantum mortificatio vitiorum. Propter quod mensuram temporis in agenda pœnitentia, canones in arbitrio sacerdotis intelligentis statuunt, et pœnitentiæ tempora, fide et conversatione pœnitentium abbrevianda, vel negligentia protelanda existimant. Tanta etiam contritio potest esse, quod totaliter tollat reatum pœnæ, quia Deus plus acceptat cordis affectum, quam exteriorem actum, sed per actus exteriores absolvitur homo a pœna et a culpa; ergo et similiter per cordis affectum, quæ est contritio, absolvitur ab ea, quia intentio contritionis potest attendi dupliciter. Uno modo, ex parte charitatis, quæ displicentiam causat; et ideo, mediante charitate, meretur non solum culpæ amotionem, sed etiam ab omni pœna absolutionem. Alio modo, ex parte doloris sensibilis, quem voluntas in contritione exer-

Digitized by Google

citat. Et quia ille dolor est etiam illi pœnitenti quædam pœna, quæ tantum potest intendi, quod sufficit ad deletionem culpæ et pœnæ.

15 SATISFACIENTIA PRO PECCATORE CUM IPSO. — Et si homo per se non possit satisfacere pro peccatis, potest tamen per adjutorium alterius: quia enim pœna quam peccator debet sustinere, excedit vires ejus; ideo ordinavit Deus, ex magna misericordia, ut cum eo et pro eo, primum satisfaciat meritum Passionis Christi, qui per suam Passionem, non solum mundum redemit, sed etiam suum meritum pro peccatoribus satisfecit. Secundo, satisfacit pro peccatore meritum totius Ecclesiæ: dicit enim *Augustinus,* quod eleemosynæ, et orationes quæ fiunt in Ecclesia, subveniunt recognoscenti mentem suam, ad veniam. Tertio subvenit peccatori propria satisfactio. Ex his tribus, scilicet: merito Dominicæ Passionis, et totius Ecclesiæ, et propriæ pœnitentiæ, componitur talentum præponderans culpæ. Et sciendum, secundum *Hieronymum,* quia similiter circumvenit Satanas per nimiam duritiam, ut peccatores pereant desperando, quomodo in nimia remissione corrigendo. Unde Salomon : *Ne declines ad dexteram, neque ad sinistram.*

16 CULPÆ GRAVITAS CONSIDERATA PŒNITENTIAM EXCITAT. — Ut autem ad agendam pœnitentiam congruam magis accendaris, considera si unum peccatum Adæ tam districte punitum est, ut nongentis annis et amplius vitæ hujus miseriam lugeret, et in augmentum miseriæ multis subsidiis et solatiis mechanicorum, quibus nunc utimur, careret, ac fere quatuor millibus annorum inferni tenebras sustineret; qualiter punientur transgressiones nostræ tam multæ, tam magnæ, cum supernus Judex, cui reddituri sumus de singulis rationem, et multitudinem numeret, et magnitudinem ponderet, et diuturnitatem mensuret! Et ideo multis lacrymis et orationibus, multisque jejuniis est opus, ut peccata nostra, quibus mors æterna debebatur, satisfactione condigna deleamus. Considera etiam et attende quid per peccatum perdidisti, quid incurristi, quis sit quem offendisti. Perdidisti amicitiam totius Trinitatis, Angelorum, Apostolorum, et omnium Sanctorum; decorem animæ; suffragia Ecclesiæ. Incurristi laqueos fortissimos, hostes crudelissimos, statum periculosum, horribile præcipitium, defectum gratiæ, et mortem animæ. Offendisti eum qui te creavit, pro te mortem sustinuit, multa beneficia contulit, et æterna præmia repromittit. Si hæc jugiter cogitares, utique doleres, et pro peccatis fleres. Et quia in modo agendi pœnitentiam, raro pœnitentes docti sunt, non omnes pœnitentiam veram agunt. Nam, secundum *Ambrosium* et *Gregorium,* facilius inveniuntur qui innocentiam servaverunt, quam qui veram pœnitentiam egerunt. Et ideo pauci sunt qui igne purgatorii non indigent. Unde *Bernardus :* « Judicent et sentiant alii ut volunt, ego certe adhuc nullum pœnitentem novi, quem non æstimem igne et flammis purgatorii indigere. Mecum felicissime actum credam, si usque ad diem judicii, ita me purgatorium, id est conflatorium, omni scoria permundabit, ut audeam Judici purgatus occurrere : » hæc *Bernardus.* Ecce quid sperare possunt multi miseri, si ille vir tam sanctus, de se sic tremuit et expavit !

17 CONSILIUM RECTÆ PŒNITENTIÆ AGENDÆ. — Ut igitur pœnitentiam veram agas, et perfectam remissionis gratiam consequaris, cautela magna est adhibenda, ut scilice

Digitized by Google

circumcisus et purgatus per confessionem de peccato, maneas, secundum Josue, in eodem castrorum loco, donec perfecte saneris. Quod fiet si panem doloris et pœnitentiæ, cum silentio extra turbam manduces, subtrahendo te a ludis et spectaculis mundanis, et aliorum consortiis, et ab omni occasione peccandi. Circumcide itaque omnem causam, et omnem occasionem, et suspicionem peccati, ac personas, et loca, et consortia eorum, cum quibus conversabaris peccans. Circumcide sensus tuos, quibus transgressor fuisti, et intra in cubiculum tuæ mentis, et ostio clauso, contra omnes rivulos peccatorum, ora in abscondito Patrem tuum, qui est in cœlis. Sedere enim et in uno loco manere pœnitentium est, non vagari, non discurrere ad convivia, ad spectacula, et hujusmodi, maxime in crepundiis pœnitentiæ agendæ, dum recentia sunt vulnera circumcisionis tuæ. Unde Josue non sinebat castra moveri, antequam perfecte vulnera circumcisorum sanarentur. Maria sedit ad pedes Domini, lacrymis rigavit, et capillis tersit, quousque audivit : *Remittuntur tibi peccata.*

18 Exempla pœnitentiæ in Sanctis. — Et ut minus tædeat te laboris pœnitentiæ, recordare, obsecro, Jacobi minoris, qui licet Spiritum Sanctum tanquam pignus accepisset, et sic confirmatus, de vita æterna certus esset, nihilominus tamen in pœnitentia, et vita dura, usque in finem perseveravit, ac verus etiam ipse carnalis desiderii supplantator fuit, et adeo magni meriti, ut ab omnibus vocaretur justus, qui etiam merito filius Alphei, id est *docti,* est cognominatus. Unde quando Jerosolymam Paulus ingressus est, ut cum ceteris Apostolis, de dogmatum veritate conferret, continuo ad hunc intravit. Hic epistolam canonicam scripsit. Hic, ut testatur *Chrysostomus,* et *Hegesippus,* vicinus Apostolorum temporum historiographus, tam mirabilis fuit, ut statim post Passionem Domini episcopatum Jerosolymorum, ordinantibus Apostolis, primus acceperit. Hic de utero matris sanctus vocatus fuit. Vinum et siceram non bibit, carnem nullam comedit, nunquam attonsus est, neque unctus est unguento, neque usus est balneo, die noctuque flexis genibus orabat, in tantum ut genua ejus obduruisse callo, et camelorum duritiam traxisse dicerentur. Tantamque aiunt in eo fuisse carnis incuriam, et ipsum duræ vitæ tantum intendere, quod membra omnia mortificaverit, ut adhuc viventis, omnia fere membra morerentur, atque assiduitate orationis, jugique ad pavimentum prostratione corporis, frontem quoque ejus, callo similiter obductam et obduratam, ut nihil fere a cameli genibus discreparet. Reduc etiam diligenter ad memoriam, cilicium et locustam Joannis Baptistæ, labores Pauli, vigilias Bartholomæi, saccum et, panem Hieronymi, tunicam et vepres Benedicti, sudarium et lacrymas Arsenii, mattulam Eulalii, columnam et vermes Simeonis, nuditatem et radices herbarum peccatricis Ægyptiacæ. David etiam regem de solio descendisse, ac in cinere et cilicio, humiliter et abjectum, in terra sedendo, pœnitentiam egisse, donec audivit a Domino per Nathan Prophetam : *Transtulit Dominus peccatum tuum a te.* In sessione humiliatio demonstratur; in cinere vero, consideratio mortis, per quam tota humani generis massa in pulverem est redigenda; in cilicio, quod de pilis contexitur, memoria peccati aspere pungentis significatur. Unde *Gregorius :* « In cilicio quippe asperitas et compunctio peccatorum;

Digitized by Google

in cinere autem, pulvis ostenditur mortuorum, et idcirco utrumque hoc adhiberi ad pœnitentiam solet, ut in compunctione cilicii, cognoscamus quid per culpam fecimus, et in favilla cineris, perpendamus quid per judicium facti sumus : » hæc *Gregorius*.

19 PIA EXHORTATIO AD PŒNITENTIAM. — Consolationem ergo in his habe, et teipsum in his exerce; quia cinis et cilicium sunt arma pœnitentium. Maxime enim in cibo et veste consistit labor pœnitentiæ. Circa præmissa vero his versibus poteris edoceri :

Sit tibi potus aqua, cibus aridus, [aspera vestis;
Dorso virga, brevis somnus, durum [que cubile.
Flecte genu, tunde pectus, nuda [caput, orans,
Hæreat os terræ, mens cœlo, lingua [loquatur,
Cor dictet; sit larga manus, jejunia [crebra;
Mens humilis, simplex oculus, caro [munda, pium cor,
Recta fides, sit firma spes, dilectio [semper
Ferveat assiduis precibus, justus [tamen ora;
Hæc peccator age, quem vere pœ- [nitet a te
Nunc potius pœnas, peccatis exige [dignas,
Quam te perpetuis, addicat Judicis [ira.

Audi etiam *Bernardum*, qui dicit : « Vere pœnitens de tempore nihil perdit, quia et præteritum restaurat per contritionem, et præsens tenet per bonam operationem, et futurum tenet per boni propositi constantiam et firmitatem : » hæc *Bernardus*. Viriliter ergo agant pœnitentes, et non deficiant, tempore enim suo metent, non deficientes. Nam *qui seminant in lacrymis, in exsultatione metent.* Confortetur cor eorum in pœnitentia, et consolentur in ea, sperantes cum Martyribus partem habere. Quia, secundum *Chrysostomum*, viventes in pœnitentia possunt Martyribus comparari. Gravior est enim longa fuga, quam velox mors. Sed et ipse Dominus eos beatos prænuntiat, eisque consolationem promittit, cum dicit : *Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur.* Pœnitentium enim luctum Dominus perpetui gaudii consolatione compensat. De pœnitentiæ quoque laudibus, sic dicit *Cyprianus* : « O pœnitentia, quid de te novi referam? Omnia ligata tu solvis; omnia clausa tu reseras; omnia adversa tu mitigas; omnia contraria tu sanas; omnia confusa tu lucidas; omnia desperata tu animas. »

ORATIO

Terret me vita mea, nam diligenter discussa, apparet mihi aut peccatum, aut sterilitas et infructuosa; et si quis fructus in ea videtur, aut est simulatus, aut imperfectus, aut aliquo modo corruptus. Quid ergo mihi restat peccatori, nisi ut in tota vita mea plorem totam vitam meam? Certus sum, Domine, quia peccata mea æternam merentur damnationem; certior, quia pœnitentia mea non sufficit ad satisfactionem; certissimus, quia misericordia tua superat omnem offensionem. Fac ergo mecum misericordiam, et concede mihi peccatorum meorum indulgentiam, quia meritum meum indulgentia tua est, Domine Deus meus. Amen.

Digitized by Google

CAPUT XXI

De Baptismo Domini.

Matthæi cap. 3.

1 Locus Baptismi Christi.— Completis autem vigintinovem annis ætatis suæ, quibus Dominus Jesus sic pœnose et abjecte vixerat, et trigesimo jam incepto, *et in diebus illis,* scilicet quibus Joannes baptizabat, et prædicabat, antequam clauderetur in carcere, dicit Jesus Matri suæ, quia tempus est ut vadat et glorificet, ac manifestet Patrem suum, et se mundo ostendat, qui diu latuerat, et operetur animarum salutem, pro qua Pater ipsum huc miserat. Et reverenter se licentians ab ea, et nutritio suo Joseph, *venit a Nazareth Galilææ,* ubi nutritus fuerat, quæ respectu Jerusalem est ad Aquilonem; et ivit versus locum Jordanis, ubi Joannes baptizabat, non longe a Jericho, quæ respectu Jerusalem est ad Orientem. De Jericho enim, similiter ad Orientem, sunt quasi duo milliaria usque ad capellam sancti Joannis, ubi ipse habitabat, et inde quasi unum milliare, usque ad locum Jordanis, ubi Christus dicitur baptizatus inter Ennon et Salim, non longe a monte Gelboe in Bethania, quæ est supra Jordanem, tribus leucis de Jericho, sed duabus de capella sancti Joannis, secundum *Remigium,* quia Galilæa *transmigratio,* et Jordanis *descensus* interpretatur. Per hoc quod Jesus de Galilæa venit ad Jordanem, significatur quod ejus membra, si velint baptizari, et per gratiam lavari, oportet ea transmigrari de vitiis ad virtutes, et descendendo humiliari.

2 Cur anno trigesimo suæ ætatis baptizatus est Christus? — Ut au autem ait *Beda* : « Jesus annorum triginta baptizatus, incœpit apertius signa facere et docere, legitimum tempus ostendens, his qui omnem ætatem, vel ad sacerdotium, vel ad docendum putant opportunam. Nec contra hoc movere quempiam debet quod Jeremias, atque Daniel prophetiæ Spiritum Pueri acceperunt, quia miracula in exemplum operationis non sunt trahenda. Tricennalis autem baptizati Salvatoris ætas conveniens fuit, et nobis convenit, propter mysterium Trinitatis, et operationem Decalogi. Qui ergo baptizatur, vel gaudet se esse baptizatum, tricennalis sit in hunc modum, ut in fide sanctæ Trinitatis intelligat, et compleat Decalogum : » hæc *Beda.* Hic ergo, secundum *Rabanum,* instruimur nullum debere sacerdotem, aut prædicatorem fieri, vel Ecclesiæ præfici, nisi virilis et perfectæ ætatis fuerit. Sed heu! nunc tales præficiuntur regimini Ecclesiæ, qui seipsos nesciunt regere, tales procuratores patrimonii Crucifixi, qui suarum rerum tutores esse non possunt; aliis etiam præesse volunt, qui pædagogo adhuc

Digitized by Google

indigent. Secundum vero *Chrysostomum* : « Triginta annorum venit Jesus ad Baptisma, quia scilicet post Baptisma illud, Legem Veterem erat soluturus, propterea usque in hanc ætatem, quæ omnia potest capere peccata, in Legis observatione permansit, ipsam universam implens, ne quis diceret, ideo illum solvisse Legem, quia eam non valuisset implere. Propterea igitur omnem hanc Christus exspectavit ætatem, per quæ omne tempus justitiæ implevit, ac tunc demum venit ad baptisma, quasi cumulum illud cunctis observationibus Legis imponens : » hæc *Chrysostomus*.

3 Humilis Christi ad baptismum accessus. — Vadit ergo Dominus mundi solus, pedibus nudis, per spatium tam longi itineris. Intuere eum diligenter et devote, eidemque vehementer et ex corde compatere. Non ducit secum militum, aut equorum, aut alterius comitivæ frequentiam; necdum habebat discipulos, vel sequelam aliam. Non habet qui præcedat ad hospitia, ad necessaria præparanda. Nec sunt ibi honores et pompæ, quibus nos vermiculi utimur et delectamur. Sed ille cui in regno suo millia millium ministrant et decies millies centena millia assistunt, sic solus incedit, terram pedibus nudis calcando, et usque ad fatigationem laborando. Nam regnum suum *non est de hoc mundo,* qui *exinanivit semetipsum, formam servi,* non Regis *accipiens.* Factus est servus, ut nos reges faceret; factus est advena et peregrinus, ut nos ad patriam et regnum suum perduceret. Viam posuit ante oculos nostros, per quam illuc ascendere valeamus. Sed quare ipsum negligimus? Quare nosipsos non humiliamus? Quare honores et pompas, caduca et vana, sic avide quærimus et tenemus? Certe quia regnum nostrum est de hoc mundo, nec consideramus nos advenas et peregrinos, et propterea mala ista incurrimus. O vani filii hominum! cur vana pro veris, caduca pro certis, temporalia pro æternis acceptamus, et sic studiose amplectimur? Cur ista transitoria non spernimus, et quasi transacta non reputamus? Vadit ergo Dominus Jesus, scilicet dator salutis, et non indigens salute, sic humiliter et continuatis diebus, quousque perveniat ad Jordanem.

4 Rationes cur Christus baptizari voluit. — Cum autem venit ad Jordanem, invenit Joannem peccatores baptizantem et turbam magnam quæ illuc ad ipsius prædicationem concurrerat, quia eum quasi Christum habebant. Cum famulis Dominus, cum reis Judex baptizandus venit, non tamen aquis mundari, sed ipsas mundare cupiens. Venit quidem Jesus ad Joannem, major ad minorem, id est Deus ad Joannem, Dominus ad servum, Rex ad militem, lux ad lucernam, sol ad luciferum, ut et ipsius prædicationem Joannis confirmaret, et ut testimonium a Joanne acciperet, ut exteriori ablutione baptizaretur ab eo, scilicet fons a rivo, plenitudo a stilla, Auctor Baptismi a baptismi ministro; non purgatione indigens, sed nostram faciens; non necessitate ablutionis, ut ipse remissionem peccatorum per baptismum acciperet, sed ut Baptismate suo, baptismum Joannis approbaret, et ipsum a Deo ordinatum ostenderet; ut nobis mysterium Baptismi insinuaret, ut quia homo natus erat, omnem justitiam Legis, et omnem humilitatem impleret, et implendo doceret; ut Trinitatis mysterium revelaret; ut nemo, quantum libet sanctus, Baptismi gratiam superfluam judicaret; ut prius faceret, quod postea faciendum imperabat, ut cognoscerent servi quanta alacritate debeant currere ad Bapti-

Digitized by Google

smum Domini, quando ipse Dominus non dedignatus est suscipere Baptismum servi, et nemo refugiat lavacrum gratiæ, quando Christus non refugit lavacrum pœnitentiæ; ut caput draconis in aqua contereret, peccata deleret, et veterem Adam sepeliret; ut contactu mundissimæ suæ carnis et corporis, aquas sanctificans, vim abluendi et regenerativam aquis conferret, et sanctificatas aquas baptizandis postmodum relinqueret; ut per descensionem columbæ in lavacro credentium Spiritus Sancti adventum super baptizatos monstraret; ut populus testimonium Joannis de Christo, et etiam Dei Patris audiret, et ut per hoc quod ipse Filius Dei baptizatus est, omnes per Baptismum renatos, filios Dei, et fratres sibi faceret et ostenderet. Quem et tu fidelis, ut jam in Christo regeneratus, concomitare, ejusque sacramenta, et cuncta quæ aguntur, scrutare. Volens ergo Dominus operari nostram salutem, *cœpit* prius *facere,* quam *docere.* Et primum inchoans a janua sacramentorum, et fundamento virtutum, voluit a Joanne baptizari.

5 Joannis Christum baptizare renuentis humilitas. — Dixit itaque Joanni, tunc peccatores baptizanti : Rogo te ut me cum istis baptizes. Joannes vero intuens eum, et Spiritu per divinam revelationem cognoscens eum esse verum Deum et hominem, nullum peccatum habentem, et ob hoc lavacro non indigentem, alios a peccato lavantem, timuit et expavit; et ut humilitatem Regis imitaretur miles, ex reverentia eum prohibens, dixit : Domine, *ego* terrenus *a te* cœlesti, qui non eges, *baptizari debeo,* quia egeo baptizari, *et tu,* cujus generatio non est vitiosa, *venis ad me* baptizari? Tu major es et Dominus, et ego minor et servus; et tu non ad me, sed ego potius debui ire ad te. Tu mundus es, et omnia mundas; non tu a me, sed ego a te, et mundari, et baptizari debeo. Ego homo sum; tu Deus. Ego peccator, quia homo; tu sine peccato, quia Deus. Quid vis a me baptizari? Non recuso obsequium, sed ignoro mysterium. Ego peccatores baptizo in pœnitentia; tu quid vis baptizari, qui non habes peccati causam? Imo potius quid vis ut peccator baptizari, qui venisti peccata perdonare? Unde *Bernardus :* « Baptizari vis, Domine Jesu? Ut quid enim, aut quid tibi opus Baptismate? Numquid sano opus est medicina; aut mundatione mundo? Unde tibi peccatum, ubi baptisma sit necessarium? Quam maculam habere potest Agnus sine macula? » Unde et *Chrysostomus :* « Ut tu me baptizes, est idonea ratio, ut justus efficiar, et dignus cœlo; ut autem ego te baptizem, quæ est ratio? Omne bonum de cœlo descendit in terram, non de terra ascendit in cœlum. » Unde etiam *Leo* Papa : « Quid facis, Domine? Ecce quasi mendacem me lapidabunt. Ego magna de te prædicavi, et tu tam simplex velut hospes advenisti! Tu sursum Filius Regis, et deorsum Filius Regis, et nusquam sceptrum regale ostendis! Ostende dignitatem tuam. Cur solus tam humilis advenisti? Ubi Angelorum agmina? Ubi ministratio Cherubim sex alarum? Ubi ventilabrum? Tu Moysen glorificasti in nube lucida, et columna ignis, et tu mihi caput inclinas? Renue, Domine, caput es omnium. Ostendisti humilia, ostendisti sublimia. Baptiza omnes præsentes, et me ante omnes. Quid baptizari vis, sordem non habens? Et si baptizare voluero, Jordanis non suscipit, cognovit te Factorem suum, convertit fluenta retrorsum : » hæc *Leo.* Non mirum si Baptista contremuit quando sub

Digitized by Google

manibus suis humiliatur, cui omne genu, cœlestium, terrestrium, et infernorum curvatur. Unde *Bernardus* : « Inclinatur sub Baptistæ manibus caput adorandum Angelis, reverendum Potestatibus, tremendum Principatibus. Quid mirum, si tremit homo, nec audet attingere sanctum Dei verticem? Quid vel ipsa cogitatione non contremiscit? O quam altum erit in judicio caput istud, quod modo sic inclinatur; et vertex qui modo tam humilis videtur, quam sublimis et erectus tunc apparebit! » hæc *Bernardus*.

6 Quid sit justitia in sensu lato? — Dominus vero probat quidem famuli sui, fidele servitutis obsequium, sed dispensationis suæ manifestat mysterium, dicens : *Sine,* id est, permitte, *modo,* scilicet me a te baptizari in aqua, ut tu postmodum a me baptizeris in Spiritu, quia mysterium est quod ago. In quo, secundum *Chrysostomum,* ostendit quia postea Christus Joannem baptizavit. *Sine modo,* ut qui formam servi assumpsi, expleam et humilitatem ejus. Et subjungit : *Sic enim* faciendo, dum ego Superior et non indigens a te suscipio baptismum, *decet nos* me suscipiendo, et te baptizando, *implere* et dare exemplum implendi *omnem justitiam.* Et accipitur hic justitia, non prout est virtus specialis, vitio avaritiæ opposita, sed generaliter prout includit omnem virtutem, seu omnium virtutum perfectionem, secundum *Chrysostomum,* quod dicit tale est : Omnia jam legalia complevimus, nec ullum transgressi sumus aliquando mandatum; unum adhuc deest solummodo, oportet etiam istud adjungi, sicque a nobis justitia omnis implebitur. Justitiam vero hic complementum cunctorum nomina[illegible] mandatorum ostendens hanc v[illegible]n esse justitiam, ut ipse Dominus ac Magister omne in se salutis nostræ sacramentum impleret. Mandatum siquidem erat hominibus, baptismum subire Prophetæ. Vel *omnem justitiam,* faciendo unicuique quod suum est. Qui enim Christi Baptismum suscipit, miseretur animæ suæ placens Deo, salutis medelam suscipiens, et humiliter subditur Creatori suo, ejus institutioni obediens, proximumque exemplo ædificat, eum ad bonum inducens. Sic ergo *omnem justitiam implet,* quia Deo, et sibi, et proximo facit quod debet. Vel *omnem justitiam,* faciendo prius quod postea fieri debet ab aliis, quasi diceret : Ideo me nunc subdo tibi minori, ne dedignentur majores a minoribus baptizari vel regi. Unde *Ambrosius* : « Quæ est justitia, nisi quod alterum facere velis, prior ipse incipias, et tuo alios horteris exemplo? » Unde et *Chrysostomus* : « Non ergo sui causa baptizari Dominus voluit, sed causa nostri, ut impleret omnem justitiam. Justum est enim ut quod quis docet alterum facere, prior incipiat. Quia igitur Dominus magister humani generis venerat, exemplo sui docere voluit quid esset faciendum, ut discipuli Magistrum, servi Dominum sequerentur. » Unde etiam *Augustinus* : « Voluit facere quod faciendum omnibus imperabat, ut Dominus et Magister doctrinam suam non tam verbis insinuaret, quam actibus exerceret. » Vel, secundum *Rabanum,* sic decet nos exemplum dare omnis justitiæ implendæ in Baptismo, sine qua non aperitur aditus regni cœlestis, ut discant homines neminem sine funda Baptismi perfectum esse. Vel *omnem justitiam,* id est, omnem et superabundantem humilitatem; major enim pars justitiæ est humilitas.

7 Quid in sensu stricto? — Est quippe debita et sufficiens humili-

Digitized by Google

tas omni justo necessaria, majori se subdere propter Deum, et non præferre se æquali; abundans, se subdere æquali, et non præferre se minori; perfecta et superabundans, subdere se minori, et non præferre se alicui; et hunc tertium gradum Christus hic tenuit, ideo omnem humilitatem implevit. Unde *Bernardus* : « Est autem quædam justitia stricta et angusta valde; ita ut quam cito pedem verteris, in peccati foveam cadis, nec præponere se æquali, nec æquare præposito. Hujus diffinitio est, reddere unicuique quod suum est. Est altera latior et amplior justitia, nec æquare se pari, nec inferiori præponere. Sicut enim grandis et gravis superbia est præferre se æquali, aut æquare Prælato; sic grandis humilitas est inferiorem se exhibere æquali et æqualem inferiori. Maxima et plena justitia est, inferiorem se exhibere etiam ipsi inferiori. Sicut enim summa et intolerabilis superbia est, superiori se præponere; ita inferiori se subdere, summa est et plena justitia. Quod ergo Joannes ait: *Ego a te debeo baptizari,* de prima fuit qua superiori se subdidit. Quod autem Christus fecit, de plena justitia fuit; siquidem ille servuli sui se manibus inclinavit. Videat nunc quilibet quem imitetur, hunc, an eum, *qui extollitur supra omne quod creditur aut colitur Deus.* » Et iterum : « *Nonne Deo,* inquit, *subjecta est anima mea?* Aut parum est esse subjectum Deo, nisi sis et omni humanæ creaturæ propter Deum? *Sic enim decet nos,* inquit, *implere omnem justitiam;* id est, consummationem profecto justitiæ, in humilitatis perfectione consistentem. Vade et tu ad minorem, si vis justitia esse perfectus; defer inferiori, et minori te inclinato : » hæc *Bernardus.* In hoc apparet justitia in humili, quia alienum non surripit, nec sibi attribuit quod non debet; sed unicuique jus suum reddit. Non surripit honorem et sibi attribuit; sed Deo honorem, et sibi retinet vilitatem. Non lædit proximum, nec eum dijudicat, nec præfert se alicui vel comparat; sed minorem omnibus se reputat, et locum novissimum sibi eligit et optat.

8 Novum humilitatis exemplum in Christo. — Vides itaque quomodo augmentata est Domini humilitas a præcedentibus. Ibi enim parentibus subditus erat; hic vero se etiam servo subjicit, seque vilificat, ac servum justificat et magnificat. Sed et in alio considera quomodo ejus crevit humilitas. Nam usque modo conversatus est humilis, quasi inutilis et abjectus. Hic autem etiam peccator voluit apparere hominibus. Peccatoribus enim prædicabat Joannes pœnitentiam, et eos baptizabat, et Dominus Jesus inter eos et coram eis baptizari voluit, tanquam unus ex illis. Et licet idem dici posset de circumcisione, quia voluit peccator apparere; tamen hic plus est; quia coram turba publice, sed ibi magis occulte. Sed nonne timendum fuerat, cum ipse se amodo vellet intendere ad prædicandum, ne tanquam peccator sperneretur? Non propterea dimisit humilitatis magister, quin profundissime se humiliaret. Ipse ergo propter nos instruendos voluit apparere quod non erat, in sui abjectionem et despectionem; at nos e contra volumus apparere quod non sumus, in nostram gloriam et laudem. Si quid in nobis videtur esse probitatis, ostendimus; defectus vero, qui in nobis sunt, celamus. Ex hoc etiam poteris ejus humilitatem considerare, quod in suscipiendo baptismum, et in aliis quæ secundum Legem debebantur, Dominus Legis et supra Legem existens faciebat ut

Digitized by Google

ceteri homines, nec volebat ullas habere prærogativas speciales. Non sic multi in communi congregatione positi faciunt, qui præ ceteris prærogativas singulares habere volunt.

9 BAPTIZATUR CHRISTUS CORPORIS TACTU AQUAS AD BAPTISMUM CONSACRANS. — Cum ergo Joannes cognovisset justitiam, sic et tali ordine debere compleri; Spiritus enim in momento eum docuit quod prius nescivit, *tunc*, consensit et *dimisit eum*, a se baptizari, id est, non ulterius restitit, non ulterius contradixit, quinimo ut baptizaretur acquievit, et eum secundum suam voluntatem facere permisit. Quasi tenebat eum Joannes, et reverentia prohibendo, sed *dimisit eum*, obediendo; vera enim est humilitas quam comes obedientia non deserit; et ideo officium quod prius timens et expavescens humiliter recusavit, postea consentiens et obediens devote implevit. Unde *Bernardus* : « Acquievit Joannes et obedivit, baptizavit Agnum Dei et aquis lavit. Nos abluti sumus, non ille; quia nobis lavandis aquæ cognoscuntur ablutæ : » hæc *Bernardus*. Nunc ergo bene ipsum Dominum conspice. Spoliat se Dominus majestatis sicut quilibet alius homunculus, et Creator elementorum subjicit se humili elemento aquæ, et mergitur in aquis frigidis, tempore magni frigoris, pro nostro amore. Operatur nostram salutem, tactu sacri corporis aquas mundans et consecrans, ac vim regenerationis et jus Baptismatis eis conferens, sacramentumque Baptismatis sanctificans et constituens, ac crimina nostra lavans et purgans, desponsat sibi universalem Ecclesiam, et omnes animas fideles; nam in fide Baptismatis desponsamur Domino nostro Jesu Christo, Propheta in persona ipsius dicente : *Sponsabo te mihi in fide;* unde hæc solemnitas et hæc operatio valde utilis est et magna, et ideo lætanter cantat Ecclesia : *Hodie cœlesti Sponso juncta est Ecclesia, quoniam in Jordane lavit Christus ejus crimina.* Unde *Anselmus* : « At vero ubi robustioris ætatis plenitudo advenit, missurus manus ad fortia, egressus es in salutem populi tui, ut gigas fortis *ad currendam viam* totius nostræ miseriæ. Et primum quidem ut per omnia te fratribus assimilares, servum tuum baptizantem peccatores in pœnitentiam, tanquam peccator adisti, baptizari quoque te postulasti. Innocens Agne Dei, quem nulla peccati stilla vel cogitatio unquam maculavit, baptizatus es, non te in aquis, sed aquas in te sanctificans, ut per eas sanctificares nos.» Unde et *Chrysostomus* : « Baptizatus est Christus Joannis baptismo, ut ex ipsa natura Baptismatis scias, quia neque peccati causa, neque propter indigentiam doni Spiritus baptizatus est. Judaicum quidem baptisma aboletur ac desinit, nostrum vero sumit exordium; quodque in Paschæ mutatione factum est, idipsum efficitur etiam innovatione Baptismatis. Nam et Pascha Dominus cum utrumque celebraverit, illi quidem terminum posuit, huic vero principium. Hic ergo postquam Judaicum implevit baptisma, continuo et januas Ecclesiæ reseravit. Sicut ergo in una tunc mensa, ita in uno nunc flumine, et recepit umbram, et addidit veritatem. Sancti enim Spiritus gratia in Christi Baptismate est; Joannis vero baptisma hac donatione privatur. » Et iterum : « Quia ergo novum Baptisma daturus erat ad humani generis salutem et remissionem peccati, prior ipse baptizari dignatus est, non ut peccata deponeret, qui peccatum solus non fecerat, sed ut aquas Baptismi so-

Digitized by Google

lus sanctificaret ad diluenda peccata credentium. Nunquam enim aquæ Baptismi purgare peccata credentium potuissent, nisi tactu Dominici corporis sanctificatæ fuissent. Ille ergo baptizatus est, ut nos lavaremur a peccatis. Ille tinctus est aqua, ut nos a delictorum sordibus purgaremur. Ille lavacrum regenerationis accepit, ut nos ex aqua et Spiritu Sancto renasceremur. Baptismus ergo Christi ablutio est peccatorum nostrorum, et renovatio vitæ salutaris. Per Baptismum enim peccato morimur, sed Christo convivimus; vitæ pristinæ sepelimur, sed novæ vitæ resurgimus; vetusti hominis errore exuimur, sed novi hominis indumenta suscipimus : » hæc *Chrysostomus.*

10 Cur Christus in aqua et in Jordane baptizari voluit? — Congrue autem voluit Dominus in Jordane baptizari, ut ibi aperiretur janua regni cœlestis, ubi datus est aditus filiis Israel intrandi terram promissionis; quia sicut per illud flumen filii Israel transierunt ad terram promissam eis per Dominum, sic per Baptismum fideles transeunt ad terram viventium. Et etiam ideo, quia Jordanis est fluvius medius Gentium et Judæorum, et Baptismus communis est Gentibus et Judæis venientibus ad fidem et Christum. In Jordane quoque Baptismus Domini, per Eliam et Elisæum, Josue et Naaman præfiguratus fuit; quia in his figura Baptismi præcessit. In aqua vero baptizatus est, quia aqua est contraria igni, et peccatum est ignis, unde et igne supplicii punitur. Ut ergo hic ignis extinguatur, in aqua baptizatus est. Aqua etiam sordes abluit, sitim extinguit, imaginem reddit; ita gratia Spiritus Sancti in Baptismate sordes peccatorum abluit, sitim animæ verbo Dei restinguit, imaginem Dei per culpam amissam restituit. Et ex hoc quod Dominus in aqua est baptizatus, trahitur argumentum quod in alio liquore quam in aqua non potest fieri Baptismus. In aqua etiam uniformiter Baptismus consecratur; quia a dextro latere aqua manavit, et quia nullus liquor adeo ad abluendum valet, et apud omnes faciliter acquiritur, ne se aliquis propter inopiam excuset. Et licet Spiritus mundet interius, tamen necessaria est aquæ lavatio; quia sicut ex duobus est homo, scilicet et corpore et anima, sic ex duobus renascitur, scilicet Spiritu Sancto et aqua.

11 Cœlum quomodo apertum in Baptismate Christi. — *Factum est autem ut cum baptizaretur* a Joanne, fere *omnis populus*, terræ illius, id est, multi de omni populo; *et Jesu*, a Joanne, *baptizato*, ac post baptismum de aquis ascendente, et pro baptizandis, ut Spiritum Sanctum acciperent, *orante, apertum est cœlum*, id est, inæstimabilis splendor factus est circa Christum, et tantus fulgor circumfulsit eum, ac si cœlum empyreum apertum videretur, cœloque aereo et sidereo reseratis splendor cœli empyrei terris infunderetur. Non quod cœlum tunc divisum fuerit; non enim illa apertio in corpore cœlesti, sed in aere fuit, sed quia aperiri videbatur sicut in coruscatione solet fieri, in qua cœlum aperiri videtur; et per hoc significabatur gloriam cœlestem aperiri credentibus in Christum, et quod renatis aperitur, et patet janua regni cœlestis, et aditus in cœlum, qui præclusus fuit homini per peccatum. Unde *Chrysostomus* : « Siquidem in ejus baptismo aperti sunt cœli, ut discas etiam cum tu baptizaris hoc invisibiliter fieri, jam Deo te ad cœlum vocante, nihilque in terra commune habere suadente. » Et iterum : « Dicit autem, *apertum est cœlum*, tanquam hactenus re-

Digitized by Google

clusum fuisset. Jam autem ovili superno et infimo in unum redacto, et uno existente omnium Pastore, cœlum patuit, et homo terricola ovis aggregatus est Angelis. » Unde et *Beda* : « *Jesu* autem *baptizato et oranțe apertum est cœlum;* quia dum corporis humilitate Dominus undas Jordanis subiit, divinitatis suæ potentia cœli nobis januas pandit ; dumque caro innoxia frigentibus tingitur aquis, opposita quondam noxiis romphæa extinguitur ignea : » hæc *Beda*. In hoc etiam quod, *Jesu baptizato et orante, cœlum apertum est,* significatur quod oratio mundi et sancti hominis cœlum penetrat. Oravit autem Christus, ut nos informaret ad orandum post Baptismum, et ut ostenderet nobis orandi ordinem et necessitatem : ordinem, quia ad hoc quod placeat oratio, oportet prius mundari et baptizari quam orare; necessitatem, quia baptismalis gratia indiget per orationem conservari; et ut daret exemplum quod in receptione sacramentorum, debet mens hominis in Deum elevari. Unde *Beda* : « Quod Jesus, cujus omnia quæ Patris sunt, baptizatus orasse memoratur, ad nos informandos actum non dubitatur, quibus post lavacrum Baptismatis, ut aula cœli pandatur, ideo non otiose vivendum, sed jejuniis, precibus atque eleemosynis est insistendum ; quia, etsi peccata sunt omnia in Baptismo laxata, non adhuc tamen est carnis fragilitas solidata. Nam quasi transito mari rubro gratulamur submersos Ægyptios, sed in deserto mundanæ conversationis hostes occurrunt alii, qui, duce Christi gratia, nostro sudore vincantur, donec perveniamus ad patriam : » hæc *Beda*.

12 SUB SPECIE COLUMBÆ DESCENDIT SPIRITUS SANCTUS. — *Et descendit Spiritus Sanctus* visibiliter in columbæ specie, ac requievit super eum, sedens super caput ipsius. *Descendit,* inquam, non per gratiam, quia primo instanti conceptionis suæ plenus fuit Spiritu Sancto ; sed descendit in signo visibili, et hoc triplici ratione : primo, ad indicandum aliis, quod in ipso esset plenitudo gratiæ; secundo, ad innuendum quod in Baptismo datur Spiritus Sanctus accedentibus non ficte; tertio, ad ostendendum quod ipse est, qui per Spiritum Sanctum baptizat, mundando a sorde. Apparuit autem in corporali specie columbæ, quatenus mitem et simplicem sine felle omnique amaritudine eum esse, et nos per mansuetudinem colligere eum venisse, seque mansuetos et humiles inhabitare ostendere. Ideo etiam in columbæ specie apparuit, ut in hominibus habentibus charitatem Dei, quæ præcipue in columba est, Spiritum Sanctum esse designaret. Unde *Chrysostomus* : « Ideo autem Spiritus Sanctus speciem columbæ suscepit, quoniam præ omnibus animalibus hæc cultrix est charitatis. Omnes autem species justiciæ, quas habent servi Dei in veritate, possunt habere servi diaboli in simulatione ; solam autem charitatem Sancti Spiritus non potest immundus spiritus imitari. Ideo ergo hanc privatam speciem charitatis sibi servavit Spiritus Sanctus, quia per nullius testimonium sic cognoscitur ubi est Spiritus Sanctus, sicut per gratiam charitatis. » Et secundum eumdem *Chrysostomum,* respondet etiam figuræ Veteris Testamenti, Sicut enim in diluvio columba apparens, et ramum virentis olivæ deferens, ostendit signum clementiæ Dei, his qui residui fuerunt ex aquis diluvii, et omnem orbis terrarum tranquillitatem annuntiavit; ita et nunc in Baptismo veniens Spiritus Sanctus in columbæ specie, ostendit signum divinæ clementiæ, qua virtute Ba-

Digitized by Google

ptismatis et peccata remittit, et gratiam confert, et liberatorem nobis demonstrans, pro ramo olivæ adoptionem generi humano affert. Nihilominus tamen omnis baptizatus septem virtutibus in columba significatis debet repleri et perfici. Quicumque enim est perfectus, debet esse perfectus quantum ad seipsum, quantum ad proximum, quantum ad Deum; et omnia ista significantur per proprietates in columba repertas. Quantum ad seipsum, duplici proprietate : quia columba habet gemitum pro cantu, et caret felle; sic homo debet habere in se contritionem pro peccatis, et gemitum cum lacrymis, et debet carere felle amaritudinis peccati, et ira irrationabili. Quantum ad proximum triplici proprietate : quia columba rostro non lædit, sic nec Sanctus cuiquam detrahit; unguibus nil rapit, sic Sanctus aliena non recipit; pullos alienos tanquam suos pascit, sic Sanctus per suam compassionem indigentibus sua tribuit. Quantum ad Deum duplici proprietate : quia columba super aquas residet, ut umbra accipitris in aqua prævisa, mergat se et evadat, sic Sanctus super fluenta divinæ Scripturæ residere et oculum habere debet, ut diaboli versutias et incursum evadere queat; meliora grana eligit, et mundo vescitur, sic Sanctus sanas sententias quibus pascatur eligit, et in solo Deo, in quo puritas summa est, recreatur. Unde sicut columba in cavernis petræ nidificat, sic Sanctus in plagis mortis Christi, qui petra firma est, nidum, id est, suum refugium et spem ponit.

13 Vox Patris Filium commendantis. — *Et ecce vox* Patris, testimonium Filio præbentis, *de cœlis* audita est, scilicet de nube, *dicens : Hic est Filius meus dilectus*, præ ceteris; quia non adoptivus, ut ceteri, sed naturalis. Unde *Chrysostomus :* « Suus utique non per adoptionem gratiæ, neque per electionem creaturæ, sed suus proprietate generis et veritate naturæ. » Et ut ait *Hieronymus :* « Sedit columba super caput ejus, ne quis putaret vocem Patris ad Joannem factam, non ad Dominum. *In quo mihi complacui,* id est, in quo voluntas mea complebitur de salute generis humani. Alius vero Evangelista sic dicit : *Tu es Filius meus dilectus, in te complacui mihi,* id est, in te et per te constitui quod mihi placet facere, et quæ agenda sunt agere, id est, genus humanum redimere. Vel mihi complacuit, id est, complete et totaliter placuit. Nihil enim unquam Deo displicuit in eo, sicut in nobis, qui prius fuimus *natura filii iræ.* » Unde *Bernardus :* « Vere enim hic est, in quo non est quod Patri displiceat, quod oculos majestatis offendat; unde et ipse ait : *Omnia quæ placita sunt ei, facio semper.* Donet nobis Dominus Jesus qui semper placet Patri, ut nos per ipsum mereamur placere sibi. » Secundum *Bedam*, tantum duravit splendor, quamdiu paterna vox audita est, et cum ea terminatus est.

14 Audiendus est Christus. — Ipsum autem Filium audire, huic credere et obedire, Pater nos admonet, dicens : *Ipsum audite.* Cui enim nisi sapientiæ, justitiæ, et veritati credere debemus? Unde *Bernardus :* « *Ipsum*, inquit, *audite.* Ecce, Domine Jesu, vel nunc jam loquere, licentiam loquendi habes a Patre. Quamdiu virtus et Dei sapientia quasi infirmus aliquis, et insipiens lates in populo? Quamdiu nobilis Rex, et Rex cœli, fabri filium te pateris appellari pariter et reputari? O humilitas virtutis Christi! o sublimitas humilitatis! quantum confundis stultitiam meæ vanitatis! Parum aliquid scio vel magis

Digitized by Google

scire mihi videor; et jam silere non possum, impudenter et imprudenter me ingerens, et ostentans, promptus ad loquendum, velox ad docendum, tardus ad audiendum. Et Christus cum tanto tempore silebat, cum seipsum sic abscondebat, numquid inanem gloriam metuebat? Quid timeret ab inani gloria qui est vera gloria Patris? Utique timebat, sed non sibi; nobis timebat ab illa, quibus noverat esse timendum. Nobis tacebat, et nos instruebat; tacebat ore, sed instruebat opere, et quod postea docuit verbo, jam clamabat exemplo : *Discite a me, quia mitis sum, et humilis corde.* Nam de infantia Domini parum aliquid audio; ex tunc jam usque ad hunc trigesimum annum nihil invenio. Nunc vero jam non potest latere, qui tam manifeste demonstratur a Patre : » hæc *Bernardus.* Et hæc est auctoritas quam supra allegavi, per quam apparet quomodo siluit Dominus Jesus ad nostram instructionem; et tacendo ore, instruxit opere. Ipsius igitur exemplo stude et tu taciturnitati; quia qui de omnibus tacet, de omnibus pacem habet. Stude, inquam, et nitere; quia, ut ait *Ambrosius :* « Rarior est tacendi virtus, quam loquendi. Vidisti ergo ubique in Domino Jesu humilitatem redolere, quæ est virtus magnifica, et valde necessaria, eo quod studiosius quærenda, et etiam affectuosius amanda est, quia Dominus in singulis actibus suis studuit eam signanter observare, et exemplum inde aliis ostendere. »

15 Trinitas post Christi Baptismum quomodo differenter apparuit. — Sic ergo in hoc opere excellentissimo tota Trinitas modo singulari se manifestando apparuit, large apparitionem accipiendo; et sic Trinitatis præsentia Baptismus consecratur. Pater apparuit in voce, Filius in homine seu carne, Spiritus Sanctus in columba. Differenter tamen, quia Filius apparuit in homine in unitate suppositi; sed in apparitione aliarum personarum erat unio per modum signi. Caro enim unita erat Filio in unitate suppositi; vox autem et columba non habebant unitatem suppositi cum Patre et Spiritu Sancto, sed tantum in præsentatione signi. In columba ergo fuit Spiritus, non Spiritus fuit columba, quæ ei tamen non fuit unita; non enim fuit incolumbatus, quia præter naturam humanam nunquam unquam creatura fuit Deo personaliter unita; nec infuit ei per gratiam, sed per apparitionem et signum; quæ, peracto officio suo post apparitionem, in primordialem, et præjacentem materiam rediit, unde sumpta fuerat, sicut etiam sentitur de aliis figuris in quibus Dominus apparuit. Apparuit autem mysterium Trinitatis Domino baptizato, et non cum baptizaretur; quia cum non egeret gratia mundante, non est baptizatus Baptismate suo, sed Joannis. Baptismus autem Joannis dabatur in nomine venturi; Baptismus vero Christi datur in nomine Trinitatis; et ideo non decuit in actu Baptismi, sed postea nomen Trinitatis explicari, ut distantia pateret inter baptismum Joannis, qui non in nomine Trinitatis dabatur, et inter Baptismum Christi, cui hæc forma servabatur. Et per talem apparitionem Trinitatis baptizato Christo factam, significatum fuit quod Baptismus deberet conferri in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. In primitiva tamen Ecclesia ad tempus collatus fuit Baptismus in nomine Christi, ut nomen Christi in reverentia haberetur majori, ad excludendum illorum errorem qui virtutem Baptismi attribuebant ministris, dicentes : *Ego sum Pauli, ego autem Cephæ,* etc., sed illis causis cessantibus, rediit Ecclesia ad for-

Digitized by Google

mam prædictam. Et ponitur hic triplex effectus Baptismi quem Baptismus causat, maxime post Passionem Christi, scilicet : cœli apertio, quia cœlorum regna patent renatis in Baptismo; Spiritus Sancti missio, cujus gratia ac donum confertur in eo; et paterna locutio, quæ baptizatos regenerat in filios adoptionis, qui sibi complacent, quia per Baptismum de filiis iræ fiunt filii gratiæ, et regenerantur in spem vitæ æternæ. Considera hæc singula diligenter et erige animum, ut, aperto jam Trinitatis cœlo, sursum feraris in Deum. In humilitate quoque mentis persiste, ut Spiritus Sancti dono et paterno colloquio munerari merearis. Unde *Anselmus* : « In Jordane, sub manu Joannis se ad Baptismum inclinans, paternam vocem audivit, et Spiritus Sancti adventum in columba suscepit, ut nos doceret in humilitate mentis, quæ per Jordanem notatur, Jordanis enim *descensio* eorum interpretatur, debere consistere, ibique superni Patris honorari colloquio, de quo dicitur : *Quia cum simplicibus sermocinatio ejus;* et Spiritus Sancti præsentia sublimari, qui super humiles requiescit, et hoc sub manu Joannis, qui *Dei gratia* dicitur; ut eidem gratiæ quidquid a Deo percipimus, non nostris meritis adscribamus : » hæc *Anselmus*.

16 Figuræ Baptismi. — Fuit autem Baptismus in mari æneo, id est, in lavatorio præfiguratus, quod ante templi introitum Jerosolymæ erat collocatum. Sacerdotes enim qui templum Domini ingressuri erant, in lavacro illo se lavare necesse habebant; ita omnes qui volunt intrare in cœleste templum Domini, necesse habent prius per Baptismum lavari. Duodecim boves ænei mare portaverunt; quia duodecim Apostoli Baptismum Christi per totum mundum dilataverunt. Lavatorium circumtectum et ornatum erat speculis mulierum, ut ingressuri templum viderent, si aliquam maculam vel indecentiam haberent; sic Baptismus requirit conscientiæ perfectionem, peccati displicentiam, et cordis contritionem. Istud etiam figuratum est in Naaman Syro gentili et leproso, qui ad jussum Elisæi septies in Jordane baptizabatur, et sic ab omni lepra sua mundabatur. Per septenam aquæ Jordanis lotionem præfiguravit Elisæus septem mortalium peccatorum in Baptismo ablutionem; caro Naaman facta est ut caro pueri, ita peccatores efficiuntur mundi sicut parvuli. Istud etiam præfiguratum est in transitu Jordanis, quando filii Israel intraverunt terram promissionis; quia prius transierunt Jordanem, figuram Baptismatis. Sic oportet omnes per lavacrum Baptismi transire, qui desiderant ad terram promissionis pervenire. Arca Testamenti, quæ in medio Jordanis stabat, Christum, qui in Jordane baptizandus erat, figurabat. Duodecim lapides quos populus tulit de Jordanis alveo, pro memoriali perpetuo, sunt duodecim Apostoli, qui per orbem terrarum testificati sunt Baptismum Christi.

17 Sacramenti Baptismatis insinuatio, institutio et confirmatio.— Circa præmissa est sciendum quod Dominus Baptismum suum insinuavit, instituit, institutumque confirmavit. Instituendum insinuavit verbo et facto : verbo, cum dixit Nicodemo : *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto,* etc.; facto, quando baptizatus est a Joanne. Instituit facto et verbo : facto, quando discipuli baptizabant ejus auctoritate; verbo, quando misit discipulos ad prædicandum, et baptizandum. Institutum confirmavit, et facto et verbo : facto, quando de ejus latere, sanguis et

Digitized by Google

aqua exierunt; verbo, quando post resurrectionem misit discipulos in mundum universum, prædicare et baptizare.

18 ALIA SACRAMENTA QUANDO ET CUR INSTITUTA? — Hic gratia hujus tanti sacramenti, scilicet Baptismi primo a Christo incitati, de sacramentis aliquid videamus. Circa quæ sciendum, quod cœlestis medicus humani generis reparativus tali modo sanavit ægrotum, sicut optime competebat. Ægrotus homo est, morbus autem originalis culpa est. Origo vero illius culpæ, licet principaliter fuerit ex consensu rationis, occasionem tamen sumpsit ex sensibus carnis. Ad hoc ergo quod medicamen respondeat morbo, oportuit quod non tantum esset spirituale, verum etiam aliquid haberet de sensibilibus signis; ut sicut sensibilia fuerunt animæ occasio labendi, ita essent ei occasio resurgendi; propterea medicina nostri vulneris convenit in ecclesiasticis sacramentis. Instituit autem Deus sacramenta diversimode: quædam scilicet ante adventum suum, ut Matrimonium, et Pœnitentiam; sed hæc duo confirmavit in Lege Evangelica, et consummavit dum nuptiis interfuit, et dum pœnitentiam prædicavit. Alia quinque sacramenta solus Christus initiavit: Baptismum quidem, ipsum suscipiendo, et deinde formam dando; Confirmationem, manum parvulis imponendo; Unctionem discipulos ad curandum mittendo, qui infirmos ungebant oleo; Ordinem vero, potestatem ligandi et solvendi, ac confitendi; sacramentum altaris, tribuendo Eucharistiam, conficiendo et dando discipulis, imminente Passione, sacramentum Corporis et Sanguinis sui. Instituta quoque sunt sacramenta, multiplici de causa: primo, propter humiliationem; magna enim humilitatis exhibitio est in istis visibilibus, et homine multum inferioribus a Deo quærere salutem, quam superbia perdidit. — Secundo, propter eruditionem, qua rapitur et promovetur. — Tertio, propter congruentiam: quia homo per peccatum se subdidit per affectum rebus corporalibus; ideo decens fuit ut Deus per quædam signa corporalia spiritualem adhiberet hominibus medicinam. — Quarto, propter excitationem qua homo otium et noxiam occupationem devitet, et se in bona missam audiendo, Eucharistiam suscipiendo et similia faciendo exerceat. — Quinto, propter congruitatem medicinæ: quia cum medicus sit Deus et homo, congruenter medicina debet continere aliquid divinum, scilicet invisibilem gratiam; et aliquid humanum, scilicet visibilem gratiæ formam. — Sexto, est congruitas ex parte infirmi: quia cum infirmus sit homo constans ex corpore et spiritu, spiritus autem in corpore non bene capiat spiritualia, nisi in corporalibus; congruum fuit dare medicamenta spiritualia in rebus corporalibus; sic pilulæ dantur in nebula. — Septimo, propter augmentum meriti; multum enim valet ad meritum, quando Deo creditur in his ubi humana ratio non præbet experimentum.

19 NOTITIA SACRAMENTORUM. — Consistit autem sacramentum in rebus et factis, ac dictis: res sacramentales sunt, ut aqua, oleum, etc.; facta, ut baptizandorum submersio, sufflatio, et hujusmodi; dicta, velut sanctæ Trinitatis invocatio, oratio, etc. Sacramentum est visibile signum invisibilis gratiæ, ut cum quis baptizatur, ipsa exterior corporis ablutio, quam videmus, signum est interioris ablutionis animæ, quæ consistit in peccatorum remissione, quam non vide-

Digitized by Google

mus. Educti quidem sumus de Ægypto per Baptismum, tanquam per mare rubrum, quia sanguine Christi consecratum, mortuis inimicis, id est, peccatis nostris. A morte quippe Christi et sanguinis effusione habet Baptismus virtutem et efficaciam, sicut et alia sacramenta, sive ante Legem, sive in Lege. Per hunc enim Christus peccata quæ facta sunt dimittit, adjuvat ne amplius fiant, perducit ubi omnino fieri non possunt. Ratio numeri sacramentorum est, quia ordinantur contra triplicem culpam, et quadruplicem pœnam. Unde Baptismus ordinatur contra peccatum originale; Pœnitentia contra mortale; Extrema-Unctio contra veniale; Confirmatio contra impotentiam; Ordo contra ignorantiam; Eucharistia contra malitiam; Matrimonium contra concupiscentiam, quam temperat et excusat. Quia vero character est signum distinctivum indelebile spirituale, ideo non confertur in sacramentis quæ solent iterari, sicut est Pœnitentia, Matrimonium, Unctio, et Eucharistia; Baptismus vero, et Confirmatio, et Ordo characteres imprimunt, per quos indelebiliter impressos, semper distinguuntur, qui recipiunt. Per Baptismum enim fit distinctio fidelium ab incredulis, per Confirmationem fortium ab infirmis, per Ordinem clericorum a laicis; unde nullatenus possunt iterari. Et quamvis hæc tria sacramenta propter characteris impressionem non iterentur, tamen commune est hoc omnibus non iterari super eamdem personam et materiam, et ex eadem causa, et hoc est ideo ne fiat contumelia sacramento. Ex hoc enim credi posset quod sacramenta prius dispensata fuissent inefficacia et inepta.

ORATIO

Clementissime Jesu, qui per manus Joannis baptizari voluisti, quia fidem, quam in primo lavacro promisi, irritam feci peccando, ad secundum recurro lavacrum, pœnitendo. Confiteor tibi, Deus, ego peccator et reus, me graviter peccasse, cogitatione, locutione, opere et omissione; innumerabilia sunt peccata mea, et circumstantiæ eorum, non tantum me in laqueis adduxi peccatorum, sed et multos qui mea suasione, exemplo, negligentia, vel occasione aliqua peccaverunt, pro quorum et meis obnixe deprecor peccatis, ut omnia nobis indulgeas misericorditer et abstergas. Amen.

Digitized by Google

CAPUT XXII

De jejunio et tentationibus Domini.

Matthæi cap. 4, et Lucæ cap. 4.

1 CUR CUM DÆMONE PUGNATURUS CHRISTUS DESERTUM ELEGIT? — Postquam Dominus *Jesus* fuit baptizatus, *regressus est a Jordane plenus Spiritu Sancto,* plenitudine superabundantiæ, *de cujus plenitudine nos omnes accepimus.* Et *tunc,* id est incontinenti ac sine mora, *ductus est,* spontanee, *in desertum,* super quemdam montem miræ altitudinis, dictum Quarantena, qui est inter Jericho et Jerusalem, distans a Jericho duobus milliaribus, et a Jerusalem duodecim vel circa. In prædicto deserto latrones morari solebant, qui locus vocatur Domyn, quod *sanguinem* sonat, propter effusionem sanguinis quam ibi latrones faciebant. Specialiter Domyn est casale, ubi ille qui descendit a Jerusalem in Jericho incidit in latrones, quasi circa medium in via quæ de Jericho ducit in Jerusalem a parte australi deserti Quarantenæ; deinde est Bethania, et Bethphage, et Jerusalem; et transit via in latere australi montis Oliveti. Quia ergo homo qui ibi incidisse dicitur in latrones, gerebat figuram Adæ qui a dæmonibus est victus, conveniens fuit ut ibi historialiter et secundum rem, Christus superaret diabolum, ubi figuraliter et secundum similitudinem diabolus dicitur hominem superasse primum. Unde dicitur quod Samaritanus eadem via descendit; quia carne indutus Filius Dei, qui est custos hominum, easdem tentationes ibi sustinuit. Pugnaturus quidem Dominus cum diabolo, in desertum secessit, ut nobis ostenderet, quod qui perfecte laqueos tentationum ejus vult superare, non solum turbas dæmonum, sed etiam societatem malorum hominum, aliquando quidem corpore, semper autem mente, debet vitare et fugere; exemplo illius qui in regali aula, et inter turbas populares positus, dicebat: *Ecce elongavi fugiens, et mansi in solitudine.* Nos ergo exemplo Christi et Joannis agitemur a Spiritu Sancto, non per hypocrisim a maligno in desertum loci et solitudinis, vel saltem in desertum nostri pectoris et contemplationis, ut quieti a strepitu mundi melius Deo vacemus, et in mente seculum deserentes, quasi manna deserti sola æterna gaudia esurire discamus. *Ductus est* igitur *Jesus a Spiritu Sancto,* quia humanitas Christi erat organum divinitatis, et ideo ad omnia agenda movebatur instinctu Spiritus Sancti.

2 QUANDO ET CUR CHRISTUS TENTARI VOLUIT? — Hoc ergo motu ivit in desertum locum, ut ibi spiritum in oratione pro nobis Deo Patri offerret, et per jejunium carnem innocentem pro nobis ma-

Digitized by Google

ceraret, exemplumque fidelibus daret, ut se Deo per jejunium et orationem offerant. Non ivit invitus; sed voluntate pugnandi, et *ut tentaretur a diabolo,* per quod insinuatur quod aggrediens desertum pœnitentiæ fortius tentatur ab hoste, juxta illud : *Fili, accedens ad servitutem Dei, sta in justitia et timore, et præpara animam tuam ad tentationem,* id est, ad resistendum tentationi quæ imminet tibi. Ideo autem ductus est a Spiritu Sancto, qui eum designaverat in Baptismo; quia quos ille replet, mittit ad pugnam, et præbet eis fortitudinem. Ideo duci voluit *in desertum,* id est, locum certaminis, et in quo pugnatur asperis, quoniam Adam in paradiso deliciis affluens, victus est oblectamentis. Ideo tentari voluit, ut tentationes superando nobis potestatem superandi tribueret; sicut et mori voluit, ut morte sua nostram destrueret. Et hoc post Baptismum et jejunium, per hoc nobis insinuans quod post lavacrum regenerationis et gratiæ perceptionem, post laborem jejunii et sanctæ vitæ propositum, statim diabolus tentator accedit, et acrius in nos surgit, ut nos a proposito religionis avertat; et quod proficientibus et ad meliorem tendentibus invidet et insidiatur, propter quod tunc magis cavendum est; quodque bonos magis quam malos tentat. Quia, secundum *Gregorium,* illos tentare negligit, quos se quieto jure possidere sensit. Et, secundum *Isidorum :* Tunc maxime impugnaris, cum te impugnari nescis. Hæc enim quatuor, scilicet : baptismus, desertum, jejunium, et tentatio sic ordinata fuerunt in Christo, quod primo fuit baptizatus; secundo, in desertum ductus; tertio, jejunavit; quarto, tentatus fuit. In quo significatur quod prius debet esse in nobis ablutio a peccatis, secundo subtractio a mundi illecebris, tertio exercitatio in jejuniis, quarto est oppugnatio ab hostium insidiis. In figura hujus, quatuor etiam occurrerunt populo Israelitico : primo, mare rubrum; secundo, desertum; tertio, sitis et fames; quarto, hostium insultus.

3 Pœnitentia Christi nobis docendis profuit. — Baptizatus igitur Dominus solitariam ac duram vitam et pœnitentiam constanter assumpsit, ut fidelium mentes ad perfectionis aggressionem erigeret, et ad gravia perferenda firmaret. Non enim propter se, sed propter nos eremum adiit, ut videlicet suis perfectis imitatoribus vitam eremiticam conferat, instruens nos nihilominus, secundum *Chrysostomum,* ut unusquisque baptizatorum, relictis mundi illecebris, et societate pravorum, divinis per omnia debeat servire mandatis. Et hoc reputant quidam fideles devoti tempore isto jejunium observantes, et per hoc se Christo, velut in deserto configurantes. Voluit autem Christus pœnitentiam agere, non quia egebat; sed ut ad pœnitentiam nos moneret, et pœnitentiam nobis exemplo ostenderet. Ubi docet tria, quæ debent esse in pœnitentia vera et fructuosa : primo, debet esse pura, ut Deo placeat, quia post baptismum statim fecit pœnitentiam; secundo, debet esse aspera, ut carnem domet, quia fecit pœnitentiam in deserto, non in loco delicioso; tertio, debet esse discreta, ne nimis excedat, quia Christus ductus est a Spiritu Sancto, non quia ductore indigeret, sed ut nobis ostenderet quod in pœnitentia agenda ductore indigemus discreto.

4 De jejunio Christi et de quinque medicinis quas pro nobis accepit. — Et veniens Dominus in desertum jejunavit, *quadraginta diebus, et quadraginta noctibus,*

Digitized by Google

nihil interim manducans. Ubi signanter noctibus additur, ne in nocte comedisse putaretur; item in signum quod necesse habemus, et diebus prosperitatis, et noctibus adversitatis contra diabolum nos munire, qui nunquam cessat tentando nos impugnare. Jejunavit quidem ut adversus tentationes exemplum jejunandi nobis daret, quia, secundum *Basilium*, volenti pugnas tentationum superare, sobrietas necessaria est; et specialiter ut ostenderet quod innocentia baptismalis periclitatur in vita voluptuosa; quia qui Christi sunt, ut baptizati sunt, qui sunt membra Christi, et Christum induerunt, consepulti morti ejus, debent carnem suam crucifigere cum concupiscentiis suis, et æstimare se mortuos super terram spiritu mortificando facta carnis. Unde *Chrysostomus* : « Ut autem discas quam magnum bonum sit jejunium, et qualiter adversus diabolum scutum est maximum, et quoniam post avacrum non deliciis et ebrietati et mensæ abundanti, sed jejunio intendere oportet, propter hoc et Dominus jejunavit, non eo indigens, sed nos erudiens, quibus peccata quæ ante lavacrum erant, dominatio ventris introduxerat. Quemadmodum enim si aliquis ægrotantem sanum cum fecisset, jubet non facere illa ex quibus ægritudo contigerat; ita utique et hoc post lavacrum jejunium contra vitium edacitatis ipse induxit. Nam et Adam de paradiso incontinentia ventris ejecit, et diluvium quod fuit sub Noe illa commeruit, et fulmina in Sodomitas ipsa deduxit. Ita et Judæi maxima operati sunt ab ebrietate et deliciis mala; propter hoc et ipse jejunavit, nobis utique demonstrans formam salutis. » Unde et *Ambrosius* : « Hoc enim fecit causa salutis nostræ, ut rem utilem non solum doceret verbis; sed etiam exemplis instrueret. Qualis autem Christianus es, cum Christo esuriente, tu reficeris? Ille pro salute tua famem sustinet, tu pro peccatis tuis jejunare formidas? » Et iterum : « Nihil tam cæcum quam secularis suavitatis periculum : quæ dum mulcet animum, vitam obruit, et sensum mentis illudit. Merito igitur Dominus noster Jesus Christus, jejunio suo atque deserto adversus voluptatum informat illecebras, et tentari se a diabolo Dominus omnium patitur, ut in illo omnes voluptates vincere disceremus : » hæc *Ambrosius*. Et sciendum quod Christus, propter infirmitates nostras, ut eas curaret, diversas in se medicinas accepit. Curavit nos : per dietam, quando jejunavit, *quadraginta diebus et noctibus;* per electuarium, quando Corpus et Sanguinem suum dedit in cœna discipulis suis; per sudorem, quando *factus est sudor ejus sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram;* per emplastrum, quando facies ejus sputo illita fuit; per potionem, quando gustavit acetum felle mixtum; per minutionem, quando clavis et lancea vulneratus est.

5 Quatuor ad cordis puritatem inducentia. — Considera hic et attente inspice Dominum Jesum, plurium enim virtutum tibi monstrat exemplum. Nam vadit in solitudinem, jejunat, orat, et vigilat, in terra nuda jacet et dormit, et humiliter ac pacifice cum bestiis conversatur. Compatere igitur sibi, quia semper et ubique, et maxime hic, vita sua pœnosa est, et corporis afflictiva; ac ejus exemplo disce etiam in his exercitari. Quatuor enim hic tanguntur quæ spiritualis exercitii sunt, et mirabiliter se invicem adjuvant, scilicet : solitudo jejunium, oratio, et corporis afflictio. Et per ista maxime possumus

Digitized by Google

ad puritatem cordis pervenire, quæ utique nimium peroptanda est, eo quod in se quodam modo omnes virtutes comprehendit, et remotionem omnium vitiorum continet; quia cum vitiis, vel defectu virtutis, non stat puritas cordis. Et propterea in collationibus sanctorum Patrum traditur, quod totum exercitium monachi debet esse ad puritatem cordis habendam. Per hanc enim homo meretur Deum videre, dicente Domino in Evangelio : *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Et, secundum *Bernardum*, qui clarior est, Deo propinquior est; esse autem clarissimum, pervenisse est. Ad hanc habendam multum valet oratio fervens et assidua. Sed oratio cum crapula, et corporis mollitie seu otiositate parum valet; et ideo requiritur jejunium et corporis afflictio, discreta tamen, quia indiscreta omne bonum impedit; propterea ad omnium prædictorum consummationem videtur facere solitudo. Nam cum tumultu et strepitu non potest decenter fieri oratio. Et videre aut audire multa, vix potest fieri sine impuritate et offensa; quia mors intrat per fenestras sensuum ad animas nostras. Et propter supervenientes sæpe relaxatur abstinentia, et corporis afflictio. Et ideo quære solitudinem, et separa te a tumultu, si vis Deo conjungi, et per puritatem cordis eum videre. Fuge collocutiones propter taciturnitatis custodiam; interdum etiam a bonis cessa eloquiis, juxta illud Prophetæ : *Obmutui et humiliatus sum, et silui a bonis.* Non quæras novas amicitias; quia nova inde proveniunt colloquia et impedimenta. Non impleas oculos vel aures phantasmatibus vanis; et omnia quæ quietem animi, et tranquillitatem mentis perturbant, fugias tanquam venenosa, et animæ inimica. Non enim sine causa Patres sancti petebant loca solitaria, et mandabant his qui in cœnobiis remanebant quod essent cæci, surdi et muti; quia sic melius poterant Deo conjungi. Unde *Chrysostomus* : « Quando Spiritus Sanctus descendit super Dominum nostrum, statim expulit eum in desertum. Quando monachi habitant cum parentibus suis, si descenderit Spiritus Sanctus, et manserit super eos, expellet eos de domo, et ducet eos in solitudinem. Spiritus Sanctus non libenter habitat ubi turbæ et frequentia, et dissensiones, et rixæ sunt; sed proprie sedem habet solitudinem. Denique et Dominus noster erat in die cum discipulis, sed quando volebat orare intentius, solus recedebat; et nos ergo, si volumus orare plusquam in publico, habeamus cellulam, habeamus agros, habeamus deserta; possumus et virtutes habere de fratribus, et solitudinem habere. » Unde et *Augustinus* : « Fratres charissimi, quantum possumus, otiosis fabulis et detractionibus ac scurrilitatibus cunctis finem studeamus imponere, et totis viribus de impedimentis mundi istius fugiendo aliquas horas quærere, in quibus pro salute animæ nostræ orationi et lectioni possumus intendere. » Igitur a toto affectu et posse tuo coneris imitari Dominum Jesum in solitudine, jejunio, oratione, et corporis afflictionibus discretis.

6 Cum bestiis et Angelis fuisse Christus dicitur. — De quo etiam scribitur quod *erat* cum *bestiis*: scilicet ursis, leonibus, et aliis feris, pacifice; *et Angeli ministrabant illi.* In hoc ergo disce inter alios humiliter conversari, et æquanimiter tolerare eos qui aliquando tibi videntur irrationabiliter se habere; quia per hoc moraliter insinuatur, quod illi, quorum sensualitas sub

Digitized by Google

ratione pacifice tenetur, per Angelorum ministerium ad cœlestia transferentur. Angelicum enim est inter bestiales homines conversari quasi in eremo, in solitudine scilicet mentis. Hoc est in contemplatione, lectione, oratione, clauso cubiculo, et moribus eorum ferinis non pollui. Difficile est enim tangere picem, et ex ea non coinquinari. Unde *Beda :* « Inter bestias Dominus commoratur ut homo, sed ministerio utitur Angelico, ut Deus. Et nos, cum in eremo sanctæ conversationis bestiales hominum mores impolluta mente toleramus, ministerium Angelorum meremur, a quibus corpore absoluti, ad æterna in cœlis gaudia transferamur. » Unde et *Hieronymus :* « Tunc bestiæ pacate nobiscum sunt, cum caro non concupiscit adversus spiritum; post hæc Angeli ministri mittuntur nobis, ut responsa et solatia cordibus vigilantibus dent. Ipsum autem Dominum sæpe in hac solitudine visita, conspiciens eum qualiter conversatur ibidem, et maxime qualiter jacet de nocte in terra. Quælibet enim anima fidelis deberet eum semel ad minus in die visitare ab Epiphania usque ad dies quadraginta, quibus ibi remanebat, et se humiliter ei recommendare. In hoc siquidem monte et deserto desiderabili quidam, exemplo Domini specialiter ducti, vitam eremiticam in parvis cellulis ducebant, Domino devotissime militantes, et alvearibus cellularum modicarum, tanquam apes Domini, dulcedinem spiritualem mellificantes. In hujus montis quasi medio, quod a terra plana fere per dimidium milliare distat, Dominus fecit pœnitentiam, ubi est ecclesia et cella, estque ibi altare, ubi stabat quando tentabatur a Satana. »

7 QUADRAGESIMÆ INSTITUTIO ET QUADRAGENARII NUMERI CONSECRATIO.

— *Quadraginta* autem *diebus et quadraginta noctibus* Dominus jejunavit; quia quadragenarius numerus ex quatuor constat et decem, quater enim decem vel decies quatuor faciunt quadraginta; per quatuor autem Novum Testamentum, quod in quatuor Evangelistis consistit, significatur; per decem vero Vetus; quia in decem mandatis Legis continetur. Quadraginta ergo diebus jejunare, est utriusque Testamenti præcepta servare, et ab illis omnibus quæ utrumque Testamentum interdicit, se invicem et jejunium custodire, ut sicut caro exterius jejunat a cibis, ita et mens interius jejunet a vitiis. Jejunavit itaque Dominus quadraginta diebus et noctibus, quatenus in ciborum jejunio significaret nobis jejunium corporis, et in dierum numero significaret jejunium cordis. Exemplum sane ipsius hic numerus dierum pœnitentialium in Ecclesia est. Unde et post Epiphaniam non statim incipit Ecclesia jejunare; sed circiter post quadraginta dies, quasi ipso tempore jejunium suum jejunii Dominici consecutivum significans. Unde *Beda :* « Quadragesima jejuniorum habet auctoritatem, et in veteribus libris ex jejunio Moysis et Eliæ, et in Evangelio, quia totidem diebus Dominus jejunavit, demonstrans Evangelium non dissentire a Lege et Prophetis. In persona quippe Moysis, Lex; in persona Eliæ, Prophetæ accipiuntur; inter quos in monte gloriosus apparuit, ut evidentius emineret quod de illo dicit Apostolus : Testimonium habens *a Lege et Prophetis :* » hæc *Beda.* Unde et *Albinus :* « Sicut Moyses Legem, Elias Prophetiam, ita Dominus noster Evangelicam prædicationem quadraginta dierum jejunio dedicat. Congrue etiam jejunium quadragesimæ statutum est confine Passioni Do-

Digitized by Google

minicæ, quia significat nos a mundi amicitia debere continere, ut Deum sequi valeamus. » Unde *Augustinus :* « Moyses, et Elias, et ipse Dominus quadraginta diebus jejunaverunt, ut insinuaretur nobis, et in Moyse, et in Elia, et in Christo, hoc est, in Lege et Prophetis, et in ipso Evangelio id nobiscum agi, ne conformemur et hæreamus huic seculo ; sed crucifigamus hominem veterem, et carnis curam ne fecerimus in concupiscentiis. Congruit enim nostræ devotioni, ut qui Domini crucifixi Passionem celebraturi sumus, reprimendarum carnalium voluptatum crucem nobis ipsi etiam faciamus, sicut dicit Apostolus : *Qui autem sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis.* In hac quidem cruce, per totam istam vitam, quæ in mediis tentationibus ducitur, perpetuo debet pendere Christianus. Non enim est in hac vita tempus evellendi clavos, de quibus in Psalmo dicitur : *Confige timore tuo carnes meas.* Carnes enim sunt carnales concupiscentiæ, clavi sunt præcepta justitiæ. His illas timor Dei configit, qui nos illi acceptabilem hostiam crucifigit. Sic semper hic vive, Christiane, si terreno limo gressus non vis immergere, noli de ista cruce descendere : » hæc *Augustinus.* Sed cave ne de ista cruce per voluptatum admixtionem descendas ; quia, ut *Augustinus,* nihil prodest tota die longum duxisse jejunium, si postea ciborum suavitate, vel nimietate, anima obruatur. Insuper hoc numero solvimus decimas et primitias Domino. Sunt enim in anno trecenti sexaginta sex dies, quorum, præterquam sex dierum, decima est triginta sex ; et ne sex residui remaneant indecimati, additur unus : quia minus addi non potest, tres autem alii superadditi solvuntur pro primitiis, pro quibus similiter sunt jejunia quatuor temporum, per tres dies. Sicut ergo in Lege offerre jubemur primitias et decimas rerum, ita quadraginta diebus jejunando offerimus primitias et decimas dierum. Ut qui nobismetipsis per acceptum annum viximus Auctori nostro, nos ejus in decimis et primitiis per abstinentiam mortificemus ; et qui a paradisi gaudiis per cibum cecidimus, ad hæc, in quantum possumus, per abstinentiam resurgamus. Igitur tempore quadragesimæ plus solito debemus abstinentiæ et devotioni intendere, et aliorum temporum negligentias hoc tempore sancto diluere et emendare. Hic numerus quadragenarius multipliciter est consecratus ; nam quadraginta annis pavit Dominus filios Israel pane Angelorum in deserto ; quadraginta mensibus prædicavit in mundo ; quadraginta septimanis fuit in utero virgineo ; quadraginta diebus jejunavit in deserto ; quadraginta horis fuit in sepulchro, ab horis mortis computando ; quadraginta diebus fuit post resurrectionem cum discipulis in mundo. Item, secundum *Ambrosium,* quia quadraginta diebus aquæ diluvii inundaverunt, per quas peccatores exterminati fuerunt, et exinde cœli serenitas illuxit, et refusa fuit ; sic sacro isto jejunii tempore abolentur peccata, et refulget divina clementia.

8 CUR QUADRAGINTA DIEBUS, NEC PLUS NEC MINUS, JEJUNAVIT DOMINUS? — *Cum,* ergo, *jejunasset* Dominus *quadraginta diebus, et quadraginta noctibus,* non ultra processit vel transiit jejunando, ne incredibilis videretur carnis assumptio, et ut virtus divinitatis celaretur diabolo ; quia etiam tot diebus Moyses jejunavit, et Elias ; *et postea* Dominus *esuriit.* Non autem necessitate, sed voluntate *esuriit,* et corpus esurire permisit, ut in se et veritatem hu-

Digitized by Google

manæ infirmitatis ostenderet, et occasionem tentandi diabolo daret, ac infestatus monstraret qualiter superare et vincere oporteret. Unde, secundum *Chrysostomum* : Per quadraginta dies non esurire, non erat hominis; postea autem esurire, non erat Dei; et ideo diabolus, sicut dubius de Christo, accepit occasionem tentandi ipsum. Moyses et Elias, quadraginta diebus jejunaverunt, sed jejunantes esuriebant et sitiebant; Christus vero XL diebus non esuriit, sed postea. Christus autem noluit jejunare plus quam illi, ne Deus a diabolo putaretur; nec minus, ne purus homo videretur.

9 ACCEDIT DIABOLUS CHRISTUM DE TRIBUS TENTATURUS. — Tunc ergo diabolus sentiens Dominum esurire, accessit ut tentaret, si posset eum in peccatum dejicere, et ut exploraret an Filius Dei esset, quem sciebat quandoque venturum, et suam per eum potestatem amissurum. Et, secundum *Gregorium*, tentavit diabolus Dominum eisdem tribus modis quibus primum hominem dejecerat. Primum hominem superavit gula, in vetito pomo; vana gloria, dicens : *Eritis sicut Dei;* avaritia dicens : *Scientes bonum et malum*, avaritia enim etiam dicitur scientiæ et sublimitatis ambitio. Sic et Dominum tentavit, sed victus recessit. David Goliam prostravit tribus lapidibus de torrente; Christus diabolum tribus testimoniis de Lege. Et, secundum eumdem *Gregorium*, cum tentatio tribus modis fiat, scilicet : suggestione, delectatione, et consensu, Dominus sola suggestione tentatus est; quia delectatio peccati mentem ejus non momordit, nec consensus eum superavit. Et ideo omnis illa tentatio foris, non intus, fuit; quia nihil contradictionis in semetipso toleravit. Utrum autem omnes istæ tentationes factæ sint una die, vel diversis, non est expressum in Scripturis.

10 PRIMA TENTATIO DE GULA. — Primo itaque tentavit eum de gula, dicens : *Si Filius Dei es*, scilicet naturalis, et per consequens in potestate ei æqualis, *dic ut lapides isti panes fiant.* Cogitabat enim intra se, dicens : Si lapides in panes converterit, Filius Dei erit; si autem convertere non poterit, homo purus apparebit. Hoc etiam esurienti congrue dicebatur, ut panes videns, immoderato appetitu cibi accenderetur. Non solum experiri voluit, an Deus esset; sed etiam quasi hominem allicere voluit, ut esuriens indebite delectaretur in cibo, et sic vitio gulæ peccaret. Unde *Hilarius* : « Intendebat dæmonum princeps ex mutatione] lapidum in panes, virtutem potestatis in Deo agnoscere; et in homine oblectamento cibi, patientiam esuritionis illudere. Sed non potuit diabolus Magistrum decipere. Taliter enim respondit, et sic se habuit, quod nec ipsum ad gulam poterat inducere, nec deitatem ejus perpendere. Non enim in tentatione succubuit, seque Filium Dei esse nec negavit, nec asseruit, sed eum auctoritate Scripturæ convicit, dicens : *Non in solo pane,* scilicet corporali, *vivit homo,* et sustentatur, *sed in omni verbo quod procedit de ore Dei,* cum scilicet voluntatem suam per Scripturas revelat. » Unde *Augustinus* : « Certissime scitote, fratres charissimi, quia qualis est caro, quæ post multos dies non percipit cibum, talis est anima, quæ non assidue pascitur Dei verbo : » hæc *Augustinus*. Hoc etiam dictum Domini verificatur non solum de vita spirituali, sed etiam de corporali, sicut patet de Moyse, qui jejunavit XL diebus, et noctibus, verbo et alloquio Dei spiritualiter et

Digitized by Google

corporaliter sustentatus. Quasi diceret : Non tantum pane corporali sustentatur et vivit homo, sed etiam spirituali pane, scilicet verbi Dei, pane operationis sanctæ, pane gratiæ, tandem victurus in æternum pane gloriæ. Et ideo non oportet de lapidibus panes facere, quia licet esuriam, tamen Dominus potest solo sermone esurientem sustentare. Unde persuasio tua tentatio est cum mentionem faciat, et mihi suadeat tantum de cibo corporis, non de cibo mentis. Secundum *Chrysostomum,* de Veteri Testamento testimonium protulit atque præcepit, ut sive famem, sive aliquid aliud patiamur, nunquam tamen Dominum relinquamus. Dominus quidem Jesus panes de lapidibus facere potuit, sed noluit; nec decuit, et ideo non fecit : primo, ut diabolum ejus divinitas lateret; secundo, ut per humilitatem et sapientiam magis quam per potentiam vincere nos doceret; tertio, ut ostentationem fugere suaderet; quarto, ut voluntatem tentatoris contemneret, quia fas non erat Dominum voluntati ejus obtemperare, et taliter tentator non vincitur, nisi contemnatur; quinto, ut doceret nunquam esse credendum diabolo, et nihil faciendum ad ejus imperium, etiamsi bonum et utile est quod suggerit vel lubet.

11 Gulæ refrænatio. — Moraliter sæpe suadet diabolus ut lapis, id est durities pœnitentiæ, sub quadam specie discretionis convertatur in panem, id est, in delicias et mollitiem, dicens : Jam filius Dei es, de cetero tanta austeritate et pœnitentia non indiges. Sic Jezabel vineam Naboth convertit in hortum olerum; sic Libanus convertitur in charmel, quod interpretatur *mollis*, quod fit frequenter honore festivitatis, vel causa societatis; sic Judæi petierunt a Pilato, ne corpus Jesu maneret in cruce in die festo : tunc diabolo ista suadenti est respondendum ut supra, secundum responsionem Domini. Et nota hic exemplo Domini resistendum esse gulæ, nam ab ipsa inchoandum est, si cetera vitia volumus superare. Videtur enim quod qui gulæ succumbit, imbecillis reddatur ad alia vitia devincenda. Unde *Beda :* « Nisi prius gula refrænetur, frustra contra alia vitia laboratur. Et ideo primo hic ponitur tentatio de gula; quia hæc tentatio primo occurrit homini ab infantia, et aliæ sequuntur postea. Quia ergo Dominus jejunans tentatus fuit, si tu jejunaveris et tenteris, non dicas : Quia jejunii mei fructum perdidi. Nam et si non tibi profuit jejunium tuum, ut non tenteris; tamen proficiet ut a tentationibus non vincaris. Ut autem anima a carne non vincatur, necesse est ut diabolo tentatori resistat, et Deo rectori serviat. » Unde *Augustinus :* « Vis serviat caro tua animæ tuæ, Deo serviat anima tua; debes regi, ut possis regere. »

12 Secunda tentatio de vana gloria. — Sed quia diabolus sic vincere eum non potuit, cogitavit apud se, dicens, sicut ait *Chrysostomus :* Homo iste sanctus videtur, Sancti autem, etsi non vincuntur de vitio gulæ, sæpe tamen vincuntur de aliquo motu vanæ gloriæ, et ideo, *tunc assumpsit,* Dominum et portavit, *eum in sanctam civitatem,* in Jerusalem, quæ respectu aliarum, in quibus idola colebantur, dicebatur *sancta;* quia divino cultui deputata propter templum et sancta sanctorum, quæ erant ibi, nec erat licitum in Lege sacrificare alibi. Nunc autem dicitur *sancta,* propter sacramenta nostræ Redemptionis ibi patrata. Secundum *Chrysostomum,* Christus ex patientia, non impotentia, se permisit assumi. Et

Digitized by Google

hoc corporaliter, quia, secundum *Glossam,* verisimile est diabolum in humana specie apparuisse; sed tamen Christus sic egit, ut a nemine videretur. Et secundum aliquos eum in brachiis portavit; secundum alios, ad manum duxit, qui sequebatur eum quasi athleta ad tentationem sponte proficiscens. Considera hic benignitatem et patientiam Domini; permisit enim se portari, et contrectari ab illa cruenta bestia, quæ suum et omnium amicorum suorum sanguinem sitiebat. Nec mirum, secundum *Gregorium,* si se ab illo permisit duci, qui se pertulit a membris illius crucifigi. *Et statuit,* ac collocavit, *eum supra pinnaculum templi,* ut eum de vana gloria tentaret ibi. Sciendum autem quod in templo erant tres mansiones : prima, pavimentum usque ad primum tabulatum, sive solarium altitudinis XXX cubitorum; secunda, a primo solario usque ad secundum, XXX etiam cubitis alta; tertia, usque ad tertium solarium, quod erat tectum templi non cameratum, sed planum, altitudinis XL cubitorum. Quodlibet autem solarium habebat in circuitu exterius unum deambulatorium, et ista ambulatoria, secundum magistrum in historiis, dicuntur *pinnacula,* super quorum unum Christum statuit diabolus, et forte in eminentiori, vel forte inferiori, ubi Scribæ et sacerdotes alloquebantur populum, exponendo Legem Domini. Et nota, secundum *Glossam,* quod in eo loco diabolus Christum de vana gloria tentabat, in quo multos per vanam gloriam in cathedra doctorum deceperat. Et simile volens explorare quod supra, tentavit eum de vana gloria, et dixit ei : *Si Filius Dei es, mitte te deorsum;* quasi dicat : Virtute propria potes sine periculo te mittere deorsum, et etiam propter ministerium Angelorum tibi servientium, et te custodientium. Cogitabat quod si per aera volando sine læsione descenderet, Filius Dei esset; suasitque ut deorsum se mitteret, ut sic cadendo et non se lædendo, homines mirarentur, et ipsum tanquam Dei Filium reverentur, et inde occasionem inanis gloriæ assumeret, cum omnis civitas laudaret eum, et magnificaret. Vere diabolica vox, quæ non ad cœli ascensum, sed ad descensum provocat, et mentem hominis de altiori gradu meritorum præcipitare contendit. Non enim quos decipit sursum ascendere monet, sed infima provocat, et deorsum ruere suadet; quia optat omnes cadere, qui se sentit præ omnibus cecidisse. Diaboli quippe est, stantes deorsum mittere; Dei autem jacentes sursum erigere. Dicens autem : *Mitte te deorsum,* infirmitatem suam manifestat; quia nemini potest nocere, nisi ipse deorsum se miserit. Nam ipse qui omnes deorsum cadere desiderat, persuadere quidem potest; præcipitare non potest. Unde *Chrysostomus :* « Non dixit *mitto,* ne vim facere videatur; sed *mitte te deorsum* dixit, ut ostenderet, quod unusquisque nostrum, libertate arbitrii et voluntatis suæ culpa, cadit in mortem. Illius est quidem suadere, sed nostrum est persuasiones ejus per Legis observantiam superare. »

13 DIABOLUS MALE ET INCOMPLETE ALLEGAT SCRIPTURAM. — Quia vero Christus supra usus est auctoritate, ideo ipse auctoritatem assumit Scripturæ, et hoc non ut virtutes construat et doceat, sed ut errores ingerat, et fallat. Unde subjungit : *Scriptum est enim de te,* scilicet in Psalmista : Quia *Angelis suis mandavit de te,* ut conservent te a nocumento, *et in manibus tollent te,* deducendo, *ne forte offendas ad lapidem pedem tuum,* malum incur-

Digitized by Google

rendo. Manus Angelorum dicitur hic potestas eorum duplex, scilicet : potestas servandi a malo, et promovendi ad bonum; ita quod prima est sinistra, secunda dextra. Auctoritas hæc non est ad propositum, quia, secundum *Hieronymum,* non intelligitur de Christo capite, sed de membris, id est, de quolibet justo. Christus enim non portatur manibus Angelorum, sed ipse *Verbo virtutis suæ portat* Angelos, et omnem creaturam; nec indiget Angelorum auxilio, qui major est Angelis. Est ergo auctoritas illa, secundum *Glossam,* sic exponenda, quod *Angelis suis* administratoriis spiritibus *Deus mandavit de te,* viro justo, quicumque sis; *ut tollant te in manibus* suis, id est, auxiliis suis sustollant, et ita custodiant te, *ne forte offendas pedem,* id est, mentem vel affectum mentis, *ad lapidem,* id est, ad aliquod offendiculum peccati. Lapis enim dicitur quasi *lædens pedem,* unde omnis peccati et ruinæ occasio, ad quam potest offendi affectus mentis, nomine lapis intelligitur. Est ergo sensus, quod Angelis mandavit Deus ut custodiant hominem justum a peccatis, non quod bonus homo confidens de custodia Angelorum debeat se præcipitio exponere ad suggestionem dæmonum. Ex quo loco, et illud cognoscitur, quia ad custodiendum Sanctorum vitam Angeli deputantur. Male ergo interpretatur diabolus Scripturam, et intellectum ejus pervertit, et sic impertinenter allegavit; item allegavit incomplete, quia etsi esset de Christo, etiam illud quod sequitur debuerat meminisse, scilicet : *Super aspidem et basiliscum ambulabis, et conculcabis leonem et draconem.* Ipse enim diabolus est aspis et basiliscus, ipse leo et draco, quem in tentationibus Christus conculcavit; ideo partem Scripturæ quæ pro se facit tanquam superbus inducit, partem vero quæ contra se est tanquam astutus dimittit. Nam de Angelorum auxilio quasi ad infirmum loquitur, de sui conculcatione quasi tergiversator tacet.

14 TENTATIO DEI PROHIBETUR. — Sed et hic, secundum *Hieronymum,* auctoritate Scripturæ adversarius devincitur, et sua intentione frustratur. In omnibus his tentationibus diabolus hoc agit, ut intelligat si Filius Dei sit; sed Dominus responsionem sic temperat, ut eum ambiguum relinquat. Unde respondens ait illi : *Scriptum est,* et dictum, scilicet cuilibet homini : *Non tentabis Dominum Deum tuum,* scilicet quamdiu aliter evadere poteris; ego autem homo sum, et aliter possum descendere, quam per jactantiam me præcipitare, et ideo nolo Deum tentare. Multipliciter autem quis tentat, scilicet indebite explorando Dei potentiam, vel indebite experiendo ejus voluntatem, vel indebite inquirendo ejus sapientiam, vel indebite experiendo quod poscit apud Deum. Sed hæc sunt vitanda, quamdiu homo habet ex humana ratione et facultate aliud quod faciat. Unde hic est argumentum, quod quandocumque homo habet aliquid quod potest facere secundum viam humanæ rationis, vel consilii, vel auxilii, ad evadendum periculum, non debet illud omittere, quærendo divinum experimentum; quia, secundum *Augustinum,* si periculum, quantum caveri potest, non caveret, magis tentaret Deum quam in Deum speraret. Unde, quamvis Deus omnia possit, discipulis tamen suis ait : *Si vos persecuti fuerint in civitate ista, fugite in aliam.* Et ipse idem fugit et latuit. Et propter hoc probatio ferri candentis et monomachiæ, id est, duelli, tanquam illicita prohibentur in jure. Si

Digitized by Google

vero deficit humana ratio et providentia, et homo non habet aliud quod faciat, tunc secure ad Dei potentiam se convertat, et suæ providentiæ committat, non tentando, sed devote confitendo, quia sic non est dicenda tentatio.

15 PER PATIENTIAM VINCENDUS EST DIABOLUS. — Sed quia Christus adhuc habebat quid faceret, quia boni erant ibi gradus, per quos de pinnaculo descendere poterat, ideo diabolo sic respondebat. Ubi *Chrysostomus* : « Nihil motus, nihil indignatus, sed cum multa modestia Scripturarum ei rursus voce respondet, nos utique docens, quia diabolum per patientiam atque tolerantiam, non per signa, superari; nihilque ad ostentationem nostri, atque ad amorem facere gloriando. » Et iterum : « Aspice autem quomodo non turbatus est Dominus, imo de Scripturis humillime cum iniquo disceptat, et conformeris Christo pro posse. Novit diabolus arma Christi, quibus succubuit. Ex mansuetudine eum cepit, ex humilitate devicit; tu quoque cum videris hominem effectum diabolum, et tibi obviantem, eo modo devincas. Doceas animam tuam formare, os concedens ori Christi. Sicut enim cum Romanus forsitan residet judex, non exaudiet responsum ignorantis eo modo loqui, sic et Christus nisi suo modo loquaris non exaudiet te, nec vocabit te : » hæc *Chrysostomus*. Moraliter : Multos diabolus elevat in altum, ut facilius ad graviorem trahat casum, sicut cornix nucem elevat ut ab alto dejiciendo frangat; sic et pugil socium a terra sublevat ut prosternat, multi enim ducuntur in altum prælationis, et dejiciuntur ibi, qui in valle simplicis status fuerant securi. In montibus enim Gelboe ceciderunt fortes Israel. Unde, secundum *Augustinum*, quanto quis in loco superiori, tanto in periculo majori versatur. Et, secundum *Chrysostomum*, prælatos subversit elatio; ideo ad talem locum Dominus se assumi permisit, nec tamen ibi diabolo consensit, ut in talibus locis positi, diabolo resisterent; supra pinnacula templi etiam diabolus hominem statuit quo se ceteris meliorem æstimet, et per falsam humilitatem deorsum se mittat.

16 TERTIA TENTATIO DEI DE AVARITIA. — Ex tunc ergo, secundum *Bernardum*, quia Dominus nihil ostendit divinitatis, arbitratus hostis eum esse hominem, tentavit eum tertio ut hominem. Exinde enim assumens eum, reportavit *eum in montem valde excelsum*, secundo milliario a Quarantena versus Galilæam, ut scilicet locus congruat tentationi : sicut enim in deserto ubi est esuries, tentavit eum de gula; supra pinnaculum, ubi cathedra est doctorum, de vana gloria; sic in monte, ubi videntur hæc temporalia, tentat de avaritia. *Et ostendit ei omnia regna mundi*, non ea quæ nesciebat indicando, sed, secundum *Chrysostomum*, *ostendi ei* ac si aliquis in loco excelso positus manum extenderet, dicens : Ecce ex illa parte est Africa, ex illa Palæstina, ex illa Græcia, ex illa Italia et hujusmodi. Vel, *ostendit*, id est, exposuit et narravit ei in momento et in brevibus omnia regna mundi, id est, omnium regnorum pompam, et gloriam ac magnitudinem, vel omnia concupiscibilia in mundo, sicut sunt divitiæ, deliciæ, et honores, ut quasi speciosa et delectabilia suaderet, et vel sic eum sibi subjiceret. Momentum est decima pars puncti, vel quadragesima pars horæ, punctus enim quarta pars horæ est; per hoc ergo significatur brevitas vel transitus bonorum temporalium mundi hujus. Unde *Ambrosius* : « Bene autem in momento temporis

Digitized by Google

secularia et terrena monstrantur, non enim tam conspectus celeritatis indicatur, quam caducæ fragilitas potestatis exprimitur. In momento enim cuncta illa prætereunt, et sæpe honor seculi abit antequam venerit. Et tentavit eum de avaritia Dominum omnium, ex arrogantia et jactantia promittens mendaciter, quæ dare non poterat, et dicens : *Hæc omnia tibi dabo,* et te Regem faciam, *si cadens,* tanquam inferior, *adoraveris me,* tanquam superiorem, quod vere esset cadere, et diabolo se subjicere. » Unde *Chrysostomus :* « Nihil enim sic diabolo hominem subjici facit, ut inhiare opibus, ac habendi amore superari.» Et iterum : « Regna mundi promittit illi, qui regna cœlorum credentibus præparavit; gloriam seculi pollicetur ei, qui Dominus est gloriæ cœlestis; spondet se universa dare qui nihil habet, ei qui omnia possidet; ab eo se jubet adorari in terra, quem Angeli et Archangeli adorant in cœlo : » hæc *Chrysostomus.* Ubi et *Glossa :* « Ecce antiqua diaboli superbia : sicut enim in principio voluit se similem Deo facere, ita nunc volebat divinum cultum sibi usurpare. »

17 De gloria mundi et ambitione. — Et est hic notandum, quod si consideremus principium hujus tentationis, tunc tentatio est avaritiæ; si finem, tentatio est idololatriæ; et bene jungitur, quia *avaritia est idolorum servitus.* Considerandum etiam quod gloria mundi, quæ cum mundo peritura est, in monte et in supercilio demonstratur, et diabolus hominem ducere ad montem nititur, ut corruat et ei subjiciatur, suadens ut serviat ei, negligens justitiam Dei, a cujus servitio liberet nos Christus pro nobis tentatus et passus. Dominus autem ad campestria et humilia descendit, ut diabolum humilitate superaret. Nec intuebatur sibi ostensa oculo concupiscentiæ, sicut nos, sed sicut medici sine læsione vident morbos. Cum ergo volueris fieri magnus et altus, et ante oculos mentis ista proponis, scito quod diabolus tibi regna mundi ostendit, quæ si consequi volueris, necesse est ut, procidens diabolum adores, quia adoratus diabolum ante corruit, et nunquam sine casu diabolus adoratur. Unde *Ambrosius :* « Habet enim ambitio domesticum periculum, et ut dominetur aliis prius servit, et curvatur obsequio, ut honore donetur, et dum vult esse sublimior, fit remissior. Omnis quidem potestas, et ordinatio potestatum a Deo est, sed a malo potestatis ambitio; nec est potestas mala, sed is qui male utitur potestate. Docemur ergo ambitionem despicere, eo quod diabolicæ subjacet potestati : » hæc *Ambrosius.*

18 Injuria propria toleranda, sed non injuria illata Deo, cui soli latriæ cultus debetur. — Sed et hic homicida ille succubuit, et Dominus, et victor auctoritate divina comminatus eum abjecit et abscedere jussit, dicens : *Vade* et recede a me, scilicet in ignem æternum, *Satana,* qui veritati et hominum saluti adversaris. In quo, ut ait *Chrysostomus,* finem tentandi diabolo ponit, ne progrediatur ulterius tentans. Continuo enim illum in fugam vertit, neque aliis jam eum per semetipsum tentationibus appetiit. Ubi etiam docemur proprias injurias portare, sed nullo modo Dei injurias tolerare. Unde idem *Chrysostomus :* « Christus, cum passus fuisset tentationis injuria, dicente sibi diabolo : *Si Filius Dei es, mitte te deorsum,* non est turbatus, nec diabolum increpavit. Nunc autem quando diabolus Dei sibi usurpavit honorem, dicens : *Hæc omnia tibidabo si, cadens, adoraveris me,*

Digitized by Google

exasperatus est et repulit eum, dicens : *Vade, Satana,* ut nos illius discamus exemplo nostras quidem injurias magnanimiter sustinere, Dei autem injurias neque usque ad auditum sufferre; quoniam in propriis injuriis esse quempiam patientem laudabile est, injurias autem Dei dissimulare nimis impium est. » Ubi et *Hieronymus :* « Non ut plerique putant eadem Satanas, ut Apostolus Petrus, sententia condemnatur; Petro enim dicitur : *Vade retro me, Satana,* id est, sequere me qui contrarius es voluntati meæ; hic vero audit : *Vade, Satana,* et non dicitur ei retro me, ut subaudiatur : Vade in ignem æternum qui paratus est tibi, et Angelis tuis. Deinde Dominus subjungit : *Scriptum est enim,* omni homini, *Dominum* omnium, scilicet per potentiam, *Deum,* scilicet per creationem, *tuum,* scilicet qui debet esse tuus per cultum specialem, *adorabis,* interius fide, spe, et charitate, *et illi soli servies,* exterius servitute latriæ. » Et per hoc, secundum *Augustinum,* non excluditur servitus debita dominis temporalibus. Et, secundum *Bedam,* jubemur hic *soli Deo servire* servitute *latriæ,* quæ soli divinitatis cultui debetur, unde et hi qui hanc idolis impendunt, *idololatræ* nuncupantur; sed ab Apostolo jubemur per charitatem invicem servire servitute *duliæ,* quæ communis est, sive Deo, sive homini, sive cuilibet rerum naturæ. Itaque, ut ait *Beda,* dicens diabolus Salvatori, *si, procidens, adoraveris me;* e contrario audivit quod ipse magis adorare debeat eum Deum et Dominum suum, quasi sibi diceret : Non ego te, sed tu me debes, ut Deum, adorare. Sed adoratio diaboli subjectionis est, non devotionis.

19 Ordo tentationis, modusque eam vincendi. — Ex supradicto ordine tentationis patet quod diabolus incipit a levioribus, et procedit ad gravia, deinde ad graviora et tandem ad gravissima. Incepit enim a tentatione levi, quando tentavit eum de gula, quæ tentatio levis est, maxime tempore famis, et finaliter post alias pervenit ad gravissima, quando tentavit eum de idololatria. Vicit autem Christus ipsas tentationes, eis in suis principiis obviando. Nam mox cum diabolus tentationes inferebat, Christus eas repellebat. Sic et homo mox ut diaboli tentationes senserit, eas in suo initio debet repellere. Nam, ut dicit *Hieronymus :* « Lubricus est serpens antiquus, et nisi capite teneatur, totus statim illabitur. Habet enim serpens infernalis caput, scilicet malam suggestionem; habet corpus, scilicet consensum; habet caudam, scilicet operis consummationem. Ubi autem ponit caput suggestionis, statim ponit corpus consensus; et ubi ponit corpus consensus, statim ponit caudam operis; et ideo in suo capite, id est, in sua suggestione est conterendus; et tunc nocere non poterit, nec quantum ad corpus, nec quantum ad caudam, quia, amputato capite suggestionis, tota est contracta vis serpentis infernalis. »

20 Fugatus recedit diabolus. — *Tunc* consummata, id est, superata omni tentatione, ad quam explendam Dominus venerat, *diabolus* Lucifer non inveniens quid ageret, audito Dei nomine, *reliquit eum,* quem tamen nunquam tenuit, quia superatus a tentatione cessavit, et recessit ab eo tanquam victus et confusus, usque ad tempus; postea enim non tantum dolose tentaturus, sed aperte per Judæos eum et in se et in membris suis impugnaturus advenit, quia appropinquante tempore Passionis persecutionem ei per principes sacerdotum suscitavit;

Digitized by Google

non per seipsum solum, sed et per alios, ac per organa et instrumenta sua propria, cœpit eum impugnare, putans eum mortis timore dejicere. Secundum *Chrysostomum,* diabolus non quasi obediens præcepto recessit, sed divinitas Christi, et Spiritus Sanctus qui erat in eo excussit inde diabolum; quod quidem ad nostram proficit consolationem, quia non tamdiu homines Dei diabolus tentat quamdiu vult, sed quamdiu Christus permittit; et si eum permittat paulisper tentare ad nostram utilitatem, tamen repellit propter nostram infirmitatem; quia non patitur nos tentari ultra quam possumus sustinere. Unde *Augustinus :* « Si tantum posset nocere diabolus quantum vult, aliquis justorum non remaneret. Tribus autem præmissis congressionibus, in quibus adhuc exercetur militia Christiana, omnis tentatio dicitur consumpta in suis radicibus et superata; quia in gula, superbia, avaritia, ex quibus tentatio oritur, omnia vitia sibi confœderata sunt perempta. In his enim tribus est omnium materia delictorum, quorum semina in ipsa origine sunt cavenda; quia, Joanne attestante, *Omne quod est in mundo concupiscentia carnis est, et concupiscentia oculorum, et superbia vitæ.* Cui triplici hostis telo, totidem arma defensionis, scilicet scutum triangulum opponere debemus, ut jejunio concupiscentiam carnis, oratione superbiam, eleemosyna avaritiam repellamus. Sicut autem ille hostis antiquus a Domino usque ad tempus recessit, et tempore Passionis rediens, non in dolo, sed aperte eum impugnavit; sic et nos aliquando tentare intermittit, et quando in tentatione non prævalet, a nobis usque ad aliud tempus recedit, ut quasi securos inveniens, repente rediens facilius inopinatus irrumpat. » Instruimur ergo hic ad cautelam, quia licet aliquam tentationem superemus, semper tamen diabolum ad pugnam paratum invenimus : tempore vero Passionis, omnino victus diabolus, relegatus est in infernum, in diebus Antichristi solvendus, secundum Apocalypsim Joannis. Unde *Augustinus* innuit quod iste tentator fuerit Lucifer primus Angelus, ille superior qui primum hominem superaverat; credendus est autem ipse diabolus hominis formam ad horam assumpsisse, in qua Dominum circumducere, et ei colloqui posset.

21 TENTATIO CHRISTI TENTATIONI PROTOPARENTIS COMPARATUR, ET ENUMERANTUR FIGURÆ VICTORIÆ QUAM RETULIT. — Et notandum, quod ordo tentationum Christi sic, secundum Matthæum, positus fuit secundum ordinem tentationum Adæ, qui fuit iste : *In quocumque die comederitis,* ecce gula; *eritis sicut dii,* ecce inanis gloria; *scientes bonum et malum,* ecce avaritia, quæ non est tantum pecuniæ, sed et sublimitatis et scientiæ, cum supra modum ambitur. Secundum vero *Augustinum,* certum nobis non est quæ fuerit secunda, et quæ tertia. Sed duo Evangelistæ varie narrant. Potest ratio assignari, quia una tentatio de cupiditate principaliter, alia de elatione; et frequenter contingit quod unum vitium ex alio nascitur, et e converso; et ideo Matthæus præponit unam, Lucas vero aliam. Unde *Remigius :* « Ob hoc Evangelistarum hanc iste, illam vero ille præmittit, quia inanis gloria, et avaritia ad invicem se gignunt. Christus vero diabolum in tentatione gulæ superavit, et hoc quondam in idolo Belis, et draconis præfiguravit. In Babylone enim idolum Belis pro Deo colebatur, quod multum comedere et bibere dicebatur; quod Daniel destruxit, et sacerdotes ejus interemit. Ibidem etiam in spelunca

Digitized by Google

draco latitabat, quem gens tanquam Deum æstimabat, cui sacerdos statutis horis cibum offerebat; Daniel autem massam de pice et adipe, et pilis confecit, et in os draconis injecit. Quam cum comedit statim est eruptus, et sic uterque devorator, et gulosus per Danielem est destructus; et ideo Daniel Christum designavit, qui tentationem gulæ superavit. — Secundo, Christus etiam superavit diabolum in tentatione superbiæ, et hoc præfiguratum fuit olim in David, et nece Goliæ. Golias superbissime de fortitudine sua se jactavit, quem David funda ad terram dejecit, et proprio gladio interfecit. Golias gigas figuram superbi tenet Luciferi; David autem pastor, qui hunc prostravit, Christus est, qui in tentatione superbiæ humiliter triumphavit. — Tertio, Christus diabolum in tentatione avaritiæ superavit, quod et David in nece leonis et ursi præfiguravit. Leo et ursus avaritiam figurabant, quia auferendo sibi ovem, eam perpetrabant. David autem ovem suam eripiens, raptores interfecit; et Christus, superata tentatione avaritiæ, Satanam a se rejecit. »

22 De Angelorum accessu et significatione tentationum Christi. — Abjecto autem Satana, *accesserunt Angeli,* et tanquam victori *ministrabant ei,* sic qui viriliter, pugnando contra diabolum triumphaverit, ministerio et consortio Angelorum dignus erit. De tentationum vero suggestionibus, sic dicit *Chrysostomus*: « Nunc breviter perstringamus quid significent Christi tentationes. Jejunium est abstinentia rei malæ. Quando vero quis inflatus fuerit quasi sanctus, ductus est quasi super tectum; et hæc tentatio sequitur primam, quoniam victoria tentationis gloriationem operatur, et fit causa jactantiæ. Fuge ergo exaltationem cordis, et non patieris ruinam. Ascensio autem montis est processio ab altitudine divitiarum et gloria hujus mundi, quæ de superbia cordis descendit. » Sic etiam dicit *Bernardus*: « Qui quartam tentationem de Domino non legit, ignorat Scripturam quæ dicit, quod *militia est vita hominis super terram.* Apostolus quoque dicit eum fuisse *tentatum per omnia pro similitudine absque peccato.* »

23 Cur tentari voluit Dominus? — Voluit autem Christus tentari pluribus ex causis: prima est, secundum *Gregorium,* ut per suam tentationem nos a nostris liberaret, sicut per suam mortem nos a nostra liberavit. — Secunda est, secundum *Hilarium,* ut cautos nos faceret, ne scilicet aliquis quantumcumque sanctus præsumat de se, quasi de tentationibus sit immunis. Et ideo post baptismum, et accepto Spiritu Sancto, tentari voluit, ut ostenderet quod sanctificatis major pugna incumbit. — Tertia est, secundum *Augustinum,* ut nobis exemplum pugnandi daret, et per hoc nos instrueret, et ut esset Mediator, non solum per adjutorium, sed etiam per exemplum. — Quarta est, secundum *Chrysostomum,* ut nos animaret, ut scilicet nemo turbetur de tentationibus præter spem irruentibus, dum etiam Christum videt subdi tentationibus. — Quinta est, secundum *Leonem,* ut diabolum vinceret, et vincendo ejus virtutem et audaciam reprimeret. — Sexta est, secundum Apostolum, ut tentatis melius misereri, et compati sciret, et nobis de sua misericordia spem faceret, quia homo tentatus facilius miseretur et compatitur tentatis. — Item tentari voluit, ut tentatis consolationem daret: fuit enim tentatus statim quando *fuit baptizatus,* quando a Patre *Filius* est appellatus, quando *Spiritus Sanctus in specie columbæ super eum mansit,*

Digitized by Google

quando *cœlum* sibi *apertum fuit,* quando *quadraginta diebus et noctibus jejunavit;* ut per hoc detur intelligi, quod si aliquis tentatur, non propter hoc est minus a peccato mundatus, non est minus Dei filiatione dignus, non est minus Spiritu Sancto plenus, non est minus cœlo dignus, non est minus in pœnitentia sua Deo acceptus.

24 NON MIRUM SI NOS IPSI TENTAMUR. — Ideo quia Dominus sic fuit contrectatus et tentatus, non miremur si nos tentamur; et quia in omnibus vicit, nitamur et nos, ejus adjutorio, ut vincamus. Nec in aliqua virtute nostra confidamus, sed totam spem et fiduciam in adjutorio Altissimi ponamus. Et sicut ubique Dominus adversarium suum non virtute potentiæ, sed auctoritate Scripturæ, convicit, dicens : *Scriptum est,* quia humilitate, non potentia, eum vincere, et suæ patientiæ nobis exemplum præbere volebat; sic et nos quoties a pravis hominibus aliquid patimur, ad doctrinam potius quam ad vindictam excitemur, et adversarios nostros humilitate et patientia, magis quam superbia et potentia, vincamus. Attende itaque ex prædictis documentum, quod Dominus in omnibus tentationibus suis usus est auctoritatibus sacræ Scripturæ ad nos informandum. Attende quid ille respondit; et quando talis tentatio advenerit, dic illud et tu, semper videlicet respondendo per Scripturam, sicut et ipse fecit. Unde si tentat de appetitu bonorum, debemus respondere, scriptum est : *Quid superbis, terra et cinis? Omnis potentatus brevis est vita.* Si tentat de appetitu divitiarum, respondeamus, scriptum est : *Nihil intulimus in hunc mundum, nec auferre quid possumus;* et : *Nudus egressus sum de utero matris meæ, et nudus revertar illuc.* Si tentat de appetitu deliciarum carnalium, respondeamus, scriptum est : *Caro et sanguis regnum Dei possidere non possunt;* ubi, secundum *Glossam*, per carnem et sanguinem, ventrem et libidinem, id est opera carnalia, designat. Et ita de aliis quibuscumque vitiis impugnamur, semper utamur clypeo sacræ Scripturæ ad defensionem nostram contra istud vitium. De præmissis Domini factis, sic dicit *Anselmus :* « De Baptismo, in desertum in spiritu fortitudinis ingressus es, ut vitæ solitariæ in te non deesset exemplum. Solitudinem et jejunium quadraginta dierum, famis acerbitatem, tentamenta illusoris spiritus æquanimiter tolerasti, ut omnia hæc nobis tolerabilia efficeres. » Et iterum : « Exinde dilectissimus Jesus solitudinis tibi secreta dicavit, et sanctificavit ibi jejunium, ibi subeundum docens cum callido hoste conflictum. Hæc tibi facta, pro te facta, et quonam modo facta sunt diligenter attendens ; dilige eum a quo facta sunt : » hæc *Anselmus.* Eia nunc, Christi discipule, cum pio magistro solitudinis secreta perquire, ut socius ferarum effectus, arcana silentii orationis devotæ, diuturni jejunii, trinæ conflictationis cum callido hoste imitator fias, et particeps, et in omni tentationis discrimine ad ipsum discas habere recursum, pro eo quod *non habemus pontificem qui non possit compati infirmitatibus nostris, tentatum per omnia pro similitudine absque peccato.* Nec timere debes tentationes aut dubitare in eis, quia quos Deus diligit, sæpe castigat, et *multæ tribulationes,* non quorumcumque, sed *justorum,* ut cum probati fuerint, coronam vitæ accipiant. Unde *Ambrosius :* « Docet igitur te Scriptura divina, non solum contra carnem et sanguinem, sed etiam contra insidias spirituales esse certamen. Co-

Digitized by Google

rona proposita est, subeunda certamina sunt; nemo potest, nisi vicerit, coronari; nemo autem vincere, nisi ante certaverit. Ipsi quoque coronæ major est fructus, ubi major est labor. Et ideo tentationem nunquam timere debemus, est enim causa victoriæ, materia triumphorum; non timeamus tentationes, sed magis in tentationibus gloriemur, dicentes cum Apostolo : *Cum infirmor, tunc potens sum.* Tunc enim nectitur corona justitiæ; tolle Martyrum certamina, tulisti coronas; tolle cruciatus, tulisti beatitudines. Non debemus igitur tentationes seculi pro malis timere, quibus bona præmia comparantur, sed magis rogare contemplatione conditionis humanæ, ut eas tentationes subeamus quas ferre possumus : » hæc *Ambrosius.* Unde et *Prosperus :* « Ad magnam utilitatem fidelium reservata est materia certaminum, ut non superbiat sanctitas, quamdiu hostium incursum sentit infirmitas. »

25 Tentationum species et modus. — Attentat autem diabolus specialiter sex modis : in bonis per elationem, in malis per desperationem, in otio per luxuriam, in negotiis per turbationem, in justitia per crudelitatem, in misericordia per adulationem. Et quamvia multis modis tentet, quatuor tamen modis specialiter decipit et fallit : primo, suadendo bonum propter malum, ut cum homini instabili suadet religionis ingressum, propter hoc ut apostatet postmodum. — Secundo, suadendo malum sub specie boni, ut perjurare pro rebus alienis conservandis. — Tertio, dissuadendo bonum tanquam nocivum, ut cum dissuadet bono viro religionis ingressum, ne de hoc pœniteat, et egrediens confundatur. Vel quando dissuadet alicui orationem vel eleemosynam, ne per hoc incurrat vanam gloriam. — Quarto, dissuadendo malum ut pejus adducat, ut quando dissuadet intemperantiam victus et somni, ut in non discretam abstinentiam, quod pejus est, inducat. Multa ergo sollicitudine præcavendum est omnibus, ne diabolicis capiantur insidiis, et ejus involvantur laqueis, quos ubique prætendit modis variis. Unde *Leo* Papa : « Non desinit hostis antiquus transfigurans se in Angelum lucis deceptionum laqueos ubique prætendere. Novit cui adhibeat æstus cupiditatis, cui illecebras gulæ ingerat, cui apponat incitamenta luxuriæ, cui infundat virus invidiæ. Novit quem mœrore conturbet, quem gaudio fallat, quem metu opprimat, quem admiratione seducat; omnem discutit consuetudinem, ventilat curas, scrutatur affectus; et ibi quærit causas nocendi, ubi quemque studiosius viderit occupari : » hæc *Leo.* Sollicite ergo quilibet vigilet, quia nullus sine tentatione est. Unde *Bernardus :* « Hoc prænonitos vos esse volo, quia nemo in corpore vivere poterit sine tentatione, et qui ab una liberatur, statim exspectet aliam, et sic petat ab ea liberari, ut noverit aliam protinus esse venturam; sæpius enim fit ut unam Dominus patiatur diutius immorari, ne alia possit accedere, aut ab una citius liberet, ut alia possit exercere : » hæc *Bernardus.*

26 De ministratione Angelorum. — Victoria itaque facta et tentatore victo præ confusione recedente, venerunt et redierunt Angeli, ut servientes et subjecti sibi ad obsequium parati, et *accedentes ministrabant ei,* sicut vero Domino proprii servi voluntatem ejus implentes, qui, præcipiente Domino, ad tempus recesserant, agonem ejus procul aspicientes, ut divinitas ejus diabolum magis lateret; et ut convenientius locum tentandi haberet, ne forte vi-

Digitized by Google

dens circa eum Angelos, ad eum non appropinquaret; et ut victoria Christi excellentior appareret, ex hoc quod solus ipsum devinceret, et ne eorum præsidio eguisse vel vicisse videretur. Præcedit tentatio, ut victoria sequatur; post victoriam statim serviunt Angeli, ut victoris dignitas comprobetur. Ex hoc enim divinitas Christi apparet, et fit manifesta, quia nulla natura est super angelicam, nisi divina. Et secundum *Gregorium,* ex hac re, unius personæ utraque natura ostenditur, quia et homo est, quem diabolus tentat; et idem ipse Deus est, cui ab Angelis ministratur. Hæc autem ministratio tripliciter potest accipi : primo, de corporali subventione, ut sit sensus, *ministrabant,* id est, esurienti in cibo subveniebant; secundo, de adoratione, ut sit sensus, *ministrabant,* id est, ipsum tanquam Deum suppliciter adorabant; tertio, de congratulatione et laudatione, ut sit sensus, *ministrabant,* id est, sibi pugnanti et vincenti congaudebant, et eum laudabant. De hac victoria Domini et ministerio Angelorum, sic dicit *Anselmus :* « Quadraginta dierum completo jejunio, diabolum cum suis tentamentis superans, angelico est ministerio glorificatus, edocens nos toto vitæ præsentis tempore delectationes rerum temporalium declinando, mundum cum suo principe pedibus nostris substernere, et sic angelicis præsidiis communiri. » Unde et *Bernardus :* « Deinde tentationibus superatis, et tentatore fugato, *accesserunt Angeli et ministrabant ei;* et tu ergo si vis habere ministerium Angelorum, fuge consolationes seculi, et tentationibus resiste diaboli; renuat consolari anima tua in aliis, si vis in Dei memoria delectari. » Unde etiam *Chrysostomus :* « Quamdiu enim fuit in conflictu positus, nequaquam Angelos apparere permisit, ne scilicet ante victoriam superandum fugaret. Postquam vero illum per cuncta devicit, et victum fugere præcepit, tunc Angeli consequenter apparent, ut tu discas quod te quoque post confectam de diabolo victoriam Angeli repente suscipient, plaudentes tibi, teque stipatorum more ubique comitantes, et in omnibus honorantes. Sic utique et Lazarum post fornacem paupertatis ac famis, totius prorsus angustiæ, suscipientes ad requiem pertulerunt. » Et iterum : « Angeli agonem Christi procul aspiciebant, ne videretur eorum præsidio devicisse; et, victoria facta, *accesserunt et ministrabant ei.*

27 ESCA QUA IN DESERTO REFECTUS EST DOMINUS. — Sed quid ministrabant Scriptura non exprimit, satis vero credibile est quod ministrabant ei aliquid comestibile, ut servi et ministri, quia legitur esuriisse; et hoc non propter necessitatem impotentiæ Christi ei ministrabant, sed ad reverentiam exhibendam, et propter honorificentiam potestatis; non enim dicitur quod adjuvant, sed quod ministrant : » hæc *Chrysostomus.* Hic diligentius attende, et conspice Dominum comedentem solum, circumstantibus Angelis, et considera bene omnia, quia pulchra sunt valde et devota. Et quæro quid Angeli ministrabant, ut post tam longum jejunium comederet? De hoc enim Scriptura non loquitur : possumus autem victoriosum prandium, sicut volumus, ordinare, et quidem si ejus potentiam consideremus, poterat res quas vellet creare, et pro suæ voluntatis arbitrio creatas habere; sed non invenimus quod hac potentia pro se vel discipulis suis usus fuerit; pro turbis vero usus fuit, quas duabus vicibus in multitudine magna de panibus paucis pavit. De discipulis autem legimus quod, eo præsente, vellebant spicas

Digitized by Google

propter famem, et comedebant; similiter cum ipse fatigatus ex itinere sedebat super puteum loquens cum Samaritana, non dicitur quod creaverit cibos, sed quod miserit discipulos in civitatem, ad quærendum eos. Nec est verisimile quod per miraculum sibi provideret; quia miracula ad aliorum ædificationem, et in præsentia plurium faciebat, sed hic non erant aliqui, nisi Angeli. Quid ergo circa hoc meditabimur? In monte namque illo non erat habitatio hominum et cibi parati; sed alibi parata cibaria portaverunt ei Angeli, sicut contigit Danieli. Cum enim Habacuc Propheta pulmentum messoribus suis parasset, portavit eum Angelus Domini per capillos de Judæa in Babylonem ad Danielem ut comederet, et postea in momento eum reportavit.

28 PIA EXHORTATIO CIRCA PRÆMISSA. — Immoremur ergo hic, et hunc modum assumamus, et cum Domino Jesu in suo prandio jucundemur, sentiatque Mater sua excellentissima de hac eadem jucunditate atque victoria. Pie atque devote sic meditemur: pergunt duo ex Angelis, Domino annuente, et in momento fuerunt coram Matre, ac eam reverenter salutantes, de Filii sui statu sibi narrant, et modicum pulmentum quod sibi et Joseph paraverat, ac panem cum aliis opportunis reportant; reversi ergo parant in plana terra, et mensæ benedictionem solemniter peragunt. Conspice hic eum bene, in singulis quæ agit et quæ fiunt: sedet in terra composite, et comedit sobrie; circumstant Angeli ministrantes Domino suo, et hymnum cantant de canticis Sion, ac jucundantur, et diem festum agunt cum eo. Sed, si dici liceat, permixtum est hoc festum compassione permaxima, propter quam et nos plorare deberemus. Conspiciunt enim eum reverenter, et considerantes Deum ac Dominum suum, et totius mundi Creatorem, *qui dat escam omni carni,* sic humiliatum, et sustentatione cibi corporalis indigentem, et comedentem sicut ceteros de populo, moventur compassione super eo. Et credo quod si corde affectuoso in hoc statu eum respiceres, et eum aliqualiter diligeres, ex valida compassione plorares. Tandem sustentatione cibi percepta, et gratiarum actione reddita, Dominus Jesus volens ad Matrem redire, cœpit de monte descendere. Conspice etiam nunc bene eum, quomodo solus vadit, nudis pedibus, Dominus omnium, et ei vehementer compatere, et vade semper cum eo, serviens ipsi in omnibus studiose.

ORATIO

Bone Jesu, qui ductus in deserto a Spiritu, jejunans quadraginta diebus et noctibus, et postea esuriens tentatorem tuum superasti, da mihi, misericors, per virtutem abstinentiæ et continentiæ jejunare a vitiis et peccatis, esurire et sitire justitiam, et ut tentatorem meum, imo tentatores meos, mundum, carnem, diabolum, Deus, tua gratia, Deus, tuo auxilio valeam superare: et quia tentatio est vita nostra, et miseria super terram, memento, Domine, nostræ miseriæ ac laboris, et da nobis in tentatione non cadere, sed per tuam tentationem semper vincere, et tandem ab omnibus tentationibus misericorditer liberari. Amen.

Digitized by Google

CAPUT XXIII

De testimonio Joannis de Christo Dei Agno.

Joannis cap. 1.

1 TESTIMONIUM JOANNIS DE CHRITO UT AGNO. — Altera autem die post regressum a deserto, venit Jesus ad Jordanem : quem *Joannes videns ad se venientem*, ostendit eum digito, et exclamavit, dicens : *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi.* Ubi tangitur testimonium Joannis de Christo dupliciter : primo, quantum ad ejus veram humanitatem, in qua pro nobis immolatus est, cum dicitur : *Ecce Agnus Dei,* id est a Deo missus, ut hostia acceptissima immolandus; secundo, quantum ad ejus divinitatem, cum subditur : *qui tollit peccatum mundi*, quia tollere peccata, est proprium ipsius Dei. Hæc quippe est causa qua venit, ut pereuntis mundi peccata suscipiens, peccati labem et omnium mortem in se, qui vinci non posset, aboleret. Jam venerat et non agnoscebatur, sed nunc demonstratur. Ecce est hic quem desideraverunt Patriarchæ, quem prænuntiaverunt Prophetæ, quem præsignavit Lex. *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi*, ac si diceret : Ecce innocens inter peccatores, justus inter reprobos, pius inter impios; in quo nullum peccatum potuit inveniri, et ideo potens est tollere peccata mundi, unde sicut agnus oblatus est pro peccatis populorum, quia in eo est gratia, et virtus purgativa peccatorum.

2 AGNUS CUR DICTUS EST CHRISTUS? — Specialiter autem inter cetera animalia, quæ in Lege offerri consueverunt, Christum agnum nominavit, quia licet alia animalia immolarentur in Lege, ut bos, vitulus, capra, etc., tamen Christus magis et potius vocatur agnus, quam cetera animalia immolatitia. Primo, quia inter omnes figuras Veteris Testamenti, agnus paschalis expressius figurabat Christum innocentem immolandum, quia ille paschalis agnus erat sine macula, et per ejus immolationem filii Israel liberati sunt a servitute Ægyptiaca. Sic et Christus erat sine peccato, et per ejus Passionem liberati sumus a servitute diabolica. Et non solum propter innocentiam, sed et propter simplicitatem Christus dictus est agnus; quia sicut agnus ad victimam ductus est, et non aperuit os suum. — Secundo, quia licet alia fierent sacrificia in templo certis temporibus, unum erat tamen quotidianum, in quo jugiter unus agnus mane et alius vespere offerebatur; nec hoc mutabatur unquam, sed tanquam principale observabatur : alia erant ex adjuncto et tempore determinato. Hoc ergo juge sacrificium, quod figurabat perpetuitatem beatitudinis, fiebat de agno : sic et Christus nostra perpetua beatitudo est. Agnus etiam dici-

Digitized by Google

tur ab *agnitione,* sive ab *agnoscendo,* quia agnovit Patrem, *factus* ei *usque ad mortem obediens,* et agnovit Matrem, curam ejus discipulo committens. Agnus dicitur etiam a pietate qua tollit peccata mundi, non semel tantum, sed et quotidie. Unde *Theophilus :* « Non dixit qui tollet, sed *qui tollit,* quasi semper hoc faciente ipso. Non enim tunc solum tulit cum passus est, sed ex illo tempore usque ad præsens tollit non semper crucifixus. Unam enim pro peccatis obtulit oblationem, sed semper purgans per illam : » hæc *Theophilus. Tollit* enim *peccata* satisfaciendo et lavando nos a peccatis in sanguine suo; et præter hæc dimittendo quotidie quæ facta sunt, et adjuvando ne fiant, et omnino liberando, scilicet perducendo ad vitam, ubi omnino fieri non possunt. Non solum autem lavit nos quando sanguinem dedit pro nobis, vel quando baptizamur in mysterio Passionis illius; verumetiam quotidie lavat nos in sanguine suo, cum ejusdem benedictæ Passionis memoria ad altare replicatur, cum panis et vini creatura in sacramentum carnis et sanguinis ejus ineffabili Spiritus sanctificatione transfertur, cum sanctissimo ejus Corpore et Sanguine satiamur. Propter duo vero aliorum trium, scilicet pro dimittendo et adjuvando dicimus in missa bis : *Agnus Dei, miserere nobis;* propter tertium dicimus : *da nobis pacem.* O Agne Dei, agnosce me miserum inter oves a dextris tuis ponendas, sed prius dimitte mihi peccata et offensas, ut me melius inter tuas oves agnoscas.

3 Cur iterum ad Joannem venit? Jesus autem, secundum *Chrysostomum,* nunc secundo post baptismum venit ad Joannem, duplici de causa. Prima, quia illud erat baptisma pœnitentiæ, et ipse eum cum multis baptizaverat, ut nullus suspicetur, et putet quoniam ipse tali proposito et ex eadem causa ex qua et alii ad Joannem et Jordanem venerant, puta ut peccata confessurus, aut in pœnitentiam in flumine abluendus. Propterea accedit dans Joanni occasionem corrigendi hanc suspicionem, quam Joannes per verba correxit, Agnum ac Redemptorem vocando, ab omni quod in toto orbe erat peccato. Etenim dicendo : *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi,* omnem hanc peremit suspicionem; quia enim ita purus erat, ut aliorum peccata absolvere, et cuncta humani generis peccata delere posset, multo magis absque omni erat ipse delicto; et ideo manifestum est quoniam non ut peccata confiteretur, vel in pœnitentiam ablueretur, accessit, sed ut occasionem daret Joanni loquendi de ipso. — Secunda causa, ut hi qui priora audierant, certius reciperent quæ dicta erant, et alia rursus audirent. Unde subjungit : *Hic est de quo dixi,* antequam ad baptismum veniret, *post me venit vir,* virens in virtute et gratia, et ætate perfecta, *qui ante me factus est,* dignitate, quia prior me erat æternitate; *et ego nesciebam eum,* quantum ad personam determinatam ante suum ad me adventum; *sed ut manifestetur in Israel,* id est, ipsi Israel, *propterea veni ego in aqua baptizans,* et pœnitentiam prædicans. Ideo, inquit, desertum et solitudinem reliqui, et ad planitiem descendens baptizare cœpi, ut manifestarem eum populo undique ad me confluenti; totum enim officium Joannis in baptizando et prædicando erat ordinatum ad manifestationem Christi, ad testimonium de eo perhibendum. Unde fuit sibi præceptum a Domino, ut baptizaret in nomine venturi, et prædicaret ejus adventum, et præpararet populum ad eum recipien-

Digitized by Google

dum ; et ferebat Joannes de Christo pluries testimonium, ut efficacius esset pluries latum.

4 JOANNES NARRAT SE VIDISSE SPIRITUM SANCTUM DESCENDENTEM SUPER CHRISTUM.— Deinde ergo rursus *testimonium perhibuit, dicens : quia vidi Spiritum Sanctum descendentem quasi*, et vere, *columbam de cœlo, et mansit* ac sedit *super eum :* hoc fuit quando Joannes eum baptizavit. In eo *mansit Spiritus Sanctus*, etiam ex quo conceptus est, non solum baptizatus; in aliis vero quandoque venit, et per peccatum recedit. Unde *Chrysostomus :* « In Christo Spiritus Sanctus descendit et permansit, ceterum in hominibus descendit quidem, sed non permanet; quando enim irascimur, quando detrahimus, quando tristitiam habemus quæ ducit ad mortem, quando cogitamus ea quæ carnis sunt, putamus quia Spiritus Sanctus non permanet in nobis. Si quando ergo boni aliquid cogitamus, sciamus quia Spiritus Sanctus habitat in nobis ; si vero aliquid mali, signum est quod Spiritus Sanctus recessit a nobis : » hæc *Chrysostomus.* Quamdiu spiritus manet inclusus in corpore, quamvis corpus illud sit in aqua, bene potest fluctibus et undis agitari, nunquam tamen submergitur, sed semper supernatat et fluctuat : si autem per aliquam partem sui aqua subintrat, tunc spiritus exit, et corpus submergitur et perit. Sic illi qui sunt in aquis mundi, ac divitiarum et deliciarum temporalium, si habent inclusum Spiritum per amorem Dei et proximi, licet agitentur a fluctibus tentationum et tribulationum, nunquam tamen submerguntur. Ad hoc autem ut bene custodiant Spiritum istum, requiritur quod habeant sensus clausos ad terrena et mundi delectabilia ; quia in vase bene clauso nunquam aqua intrabit, nec etiam per consequens Spiritus de eo exibit.

5 ANTEA NESCIEBAT EUM.— Deinde iterum subjungit : *Et ego nesciebam eum.* Secundum *Chrysostomum,* nesciebat eum facialiter antequam ad baptismum veniret, quia extra paternam domum in deserto conversatus, personaliter eum ante tempus quo venit ad Jordanem, non noverat, licet novisset Dominum Christum natum de Virgine, qui in Spiritu Sancto baptizare debebat; sed cum Christus præsentialiter accessit ad baptismum, divina revelatione novit eum, quem prius facialiter non noverat. *Augustinus* autem refert : « *Nesciebat,* ad potestatem excellentiæ in baptismo, quam Christus sibi retinuit, ac per seipsum exercere et non alteri committere voluit, quia nesciebat quod hanc excellentiam in baptizando sibi retineret. Unde postea subditur : *Hic est qui baptizat,* scilicet solus, quantum ad istam excellentiam. Ubi notandum, quod potentia baptizandi multiplex est : prima est auctoritatis, quam Deus nulli communicavit nec communicare potuit, sicut nec potentiam creandi. — Secunda est subauctoritatis, quam potuit dare secundum Magistrum, sed noluit; alii autem dicunt quod non potuit, quia implicat potentiam creandi, scilicet gratiam. — Tertia est innovationis, quam dare potuit, nam posset Deus, si vellet, quod Baptismus daretur in nomine sancti Petri, aut sancti Pauli; sed hoc noluit, ne spem in homine poneremus, et ne fieret schisma, et tot essent Baptismi quod baptistæ. — Quarta est excellentiæ, puta quod unus baptizaret efficacius alio, quod etiam nemini est concessum. — Quinta est institutionis, quam habuit Christus solus qui hoc sacramentum instituit. — Sexta est præparationis, quam habuit Joannes,

Digitized by Google

cujus baptismus erat quædam præparatio et significatio futuri. — Septima est ministerii exterioris, quam dedit Ecclesiæ ministris. *Nesciebat* igitur eum tam alte, tam subtiliter, quem, Spiritu in eo descendente, cognovit. Tunc enim didicit quod sicut aliorum sacramentorum, sic et baptismi sui potestatem Dominus esset sibi retenturus, et nulli eam servo daturus. » Sic ergo, Christo veniente ad baptismum, didicit, secundum *Chrysostomum*, quod iste in persona ille erat, quem prædicaverat venturum. Secundum *Augustinum* vero, didicit quod haberet in baptismo potestatem auctoritatis et excellentiæ, quam sibi retineret; sive præsens in terra corpore, sive absens corpore, et præsens majestate. Quod ergo Christus potestatem baptismi retineret, hoc Joannes nescivit, sed per columbam didicit.

6 Testimonium quadruplex de Christo. — Unde subditur : *Sed qui misit me*, scilicet Deus et tota Trinitas, cujus opera sunt indivisa, *baptizare in aqua*, non in Spiritu, *ille etiam mihi dixit*, per subjectam creaturam, scilicet Angelum vel inspirationem : *Super quem*, inter multos quos baptizabis, *videris Spiritum Dei descendentem et manentem super eum*, in signo visibili columbæ, *hic* solus *est qui baptizat*, auctoritate et potestate, *in Spiritu Sancto*, scilicet in remissionem peccatorum, quæ est per Spiritum Sanctum, quod est proprium ipsius Dei, scilicet lavare animas per gratiam Spiritus Sancti; aliis vero non potestatem contulit, sed ministerium commisit. Minister enim ministrat, sed Christus baptizat. Quapropter sive a clericis, sive a laicis, sive etiam a mulieribus, necessitate imminente, Baptismus detur, non tamen iteratur. Et, secundum *Bedam*, sive hæreticus, sive schismaticus, sive facinorosus quisque in confessione sanctæ Trinitatis baptizetur, valet, et non debet ille a catholicis rebaptisari, ne confessio vel invocatio tanti nominis videatur annullari. Potestas quidem a Domino in neminem transit, sed ministerium in bonos et malos. Ne quis ergo exhorreat malorum ministerium, respiciat in Domini potestatem, veritas enim sacramentorum non minuitur merito ministrorum. Et subjungit : *Ego vidi*, scilicet Spiritum Sanctum prædicto modo descendentem super Jesum, *et testimonium perhibui : quia hic est Filius Dei* unicus, non adoptatus. In quo ostenditur, quid Baptista ex hac visione intellexerit, scilicet quod Christus esset Filius Dei verus et naturalis, et per consequens eamdem virtutem habens cum Patre. Hic testatur Dei Filium, quem jam supra dixerat virum, ut ab eo habeatur utriusque naturæ testimonium. Quadripartitum autem habuit Dominus testimonium : habuit enim testimonium a Prophetis, quia hic esset Christus; habuit testimonium Joannis : *Ecce Agnus Dei;* habuit testimonium Patris : *Hic est Filius meus dilectus;* habuit testimonium operum : *Si non facio opera Patris mei*, etc.

7 Commoratio Christi apud Joannem. — Meditari hic potes quomodo Dominus Jesus, a Joanne alacriter susceptus, ibi aliquantulum substitit, et illa cruda eremi cibaria comedit cum eo; tu vero astans ibidem et aspiciens, extende manum sicut mendicus eleemosynam petens; insinua quasi tabefactus famem, si forte vocari merearis ad refectionem. Tandem recreatione habita et gratiarum actione peracta, Dominus Joanni valefecit, et ad tempus ab eo discessit; tunc autem sequens Jesum, et in adventu, et in discessu, genuflecte Joanni, deoscu-

Digitized by Google

lans pedes ejus, ac benedictionem petens, recommenda te eidem; excellens enim et magnus est valde, ipso etiam Domino testimonium de hoc perhibente.

ORATIO

Domine Deus, Agnus Dei, Filius Patris, qui tollis peccata mundi, per merita illius qui hoc testimonio te ostendit mundo, tolle peccata mundi quæ contraxi in mundo; et tu, sancte Joannes, qui ostendisti mundo tollentem peccata sua, per gratiam tibi datam, fac mihi hanc misericordiam ut tollat peccata mea. Tu, Deus, tollis peccata mundi; tu, amice ejus, dicis: Hic tollit peccata mundi; ecce ante vos onustus peccatis mundi; probate mihi in me, tu, actum tuum, et, tu, dictum tuum. Tu enim magnus Dominus; et tu *magnus coram Domino,* qui est in æternum misericors, et super omnia benedictus Deus. Amen.

CAPUT XXIV

De novo testimonio Joannis de Christo, ac de prima discipulorum vocatione, et occulta Christi prædicatione.

Joannis cap. 1.

1 VOCATIO ANDREÆ SECUNDUM JOANNIS TESTIMONIUM AUDIENTIS. — Adhuc autem Jesu in partibus illis manente, *altera,* id est, quadam alia, seu una *die,* quæ ad hesternam non refertur, non enim semper respective ponitur, *iterum stabat Joannes,* juxta Jordanem immobilis in culmine perfectionis, nec flectens se a rectitudine veritatis, tanquam paratus ad exercendum officium suum, testificando de Christo, ac baptizando, et docendo, et omnes ad se venientes de ipso instruendo. Supra quidem perhibuit testimonium de Christo ad turbas; hic vero ad discipulos. *Et* stabant cum eo *ex discipulis ejus duo,* firmiter inhærentes ejus magisterio, quorum unus Andreas memoratur; sed alterius, quia insigne non erat, nomen tacetur. Unde sicut Stephanus est primus martyr post Christum, ita et Andreas erat primus Christianus, et similiter primus Christi discipulus, quia de duobus primo adhærentibus principalis exstitit et primus. Quidam tamen dicunt, quod alter duorum fuit Joannes Evangelista, quia modus est scribentium, tacere laudem propriam, vel saltem loqui de se, tanquam de

Digitized by Google

alio, ad vitandam arrogantiam. Et respiciens vidit Joannes *Jesum ambulantem,* tanquam in salute nostra procuranda proficiscentem, juxta Jordanem, scilicet prope locum ubi Joannes stabat, quia Jesus postquam a Joanne est baptizatus, ad tempus prope locum illum morabatur, et factus est Joanni familiaris, ut sic Joannes frequenter testimonium in sui præsentia diceret, et sic Christus ab aliis cognosceretur. In quo commendatur Joannis constantia, quia non una die, nec semel tantum, sed pluribus diebus, et multoties, Christo perhibebat testimonium. Unde subditur ejus testimonium iterato factum, quia cum viderat Jesum, dixit : *Ecce Agnus Dei.* Ecce vervex qui sequendus est, sicut dux gregis. Breviter repetit Evangelista testimonium, quod fuerat superius dictum, et ideo omittit residuum quod supra dictum est, scilicet : *qui tollit peccata mundi,* sicut supra est habitum. Per Joannem prædicator Evangelii designatur. Et per hoc quod dicitur, hic *stabat,* et vidit *Jesum ambulantem,* et *dixit : Ecce Agnus Dei;* significatur quod prædicator Evangelii debet esse constans in prædicatione verbi Dei, et diligenter considerare processu vitæ Christi, et non solum considerare, sed etiam prædicare; et audientes debent devote recipere talem prædicationem; et Dominus Jesus ad tales convertitur per clementiam, et recipit per gratiam, et eos instruit de necessariis ad salutem : unde subditur fructus testimonii.

2 Conversio Domini ad duos discipulos sequentes se. — *Et audierunt eum duo discipuli,* et crediderunt magistro loquenti, ac commendanti Jesum, et de eo testimonium perhibenti, *et secuti sunt Jesum,* ad verbum Joannis, ut potius illum audirent quam Joannem, gaudentes se tandem invenisse illum, de quo toties Joannem audierant loquentem. Relinquentes Joannem, secuti sunt, non tantum passibus pedum, sed etiam devotione fidei et imitatione operum, eum quem ipsius testimonio cognoverunt, ipsius quoque Joannis esse magistrum, desiderantes ei adhærere, et ejus doctrinam audire. Admirare simplicem, et humilem, et facilem discipulorum vocationem, sine omni objectione et perscrutatione factam. Benignus autem Dominus, sitiens eorum et omnium salutem, *conversus ad eos,* ex sua benignitate, qui semper convertitur ad eos qui ad se convertuntur, et recipit venientes, *videnque* oculis misericordiæ et benignitatis, eos *sequentes se,* ut daret eis de se fiduciam et audaciam, *dixit eis : Quid quæritis?* quasi diceret : Paratus sum ad vestram voluntatem. Non dicit : Quem quæritis? quia de persona illuminati per Joannem erant; sed dicit : Quid quæritis? quia scivit quod de salute aliquid discere quærebant. Nec petiit hoc ex ignorantia, ut aliquid discat; sed ut per interrogationem, magis familiares faciat, et ut ex eorum responsione, convenientius eos dirigat. Quod Dominus ad eos convertitur, quod eos respicit, et cum eis loquitur, clementiæ et bonæ voluntatis est indicium; sciebat enim quo affectu sequebantur eum. In quo datur nobis intelligi, quod omnibus qui Christum sequi incipiunt puro corde, dat fiduciam et spem misericordiæ, et ad eos se convertit, ut opem misericordiæ suæ eis impendat. Unde *Chrysostomus :* « Hinc erudimur, quia cum nos bene velle incœperimus, tunc multas dat nobis salutis occasiones. » Unde et *Theophilus :* « Vide autem quod sequentibus se Dominus convertit faciem, et respexit : quia nisi per bonam operationem ipsum secutus fueris, ad

Digitized by Google

visionem faciei ejus nunquam pertingens, neque ad domum ejus poteris pervenire. »

3 ILLI INTERROGANT EUM DE LOCO HABITATIONIS. — *Qui dixerunt ei, Rabbi,* id est, *Magister, ubi habitas?* quasi dicerent : Magisterium tuum et doctrinam tuam quærimus. Ecce paucis voluntatem suam, et cur eum sequerentur insinuant; sapienti enim multa ex paucis innotescunt. *Ubi habitas?* quasi dicerent : Ubi est hospitium tuum, ubi tanquam qui transeunt conversaris? De hospitiolo quærunt, non de domo ejus, quam non habebat, quia Filius hominis non habebat ubi caput suum reclinaret. Nihil habuit Dominus in terra, præter unicum titulum Pilati; et nobis plures tituli non sufficiunt! Moraliter, Christum interrogant : *Ubi habitas?* quasi vellent scire, quales debent esse homines, qui digni sunt, ut Christus in eis habitet : ut exemplo eorum, se tales exhibeant, in quibus habitare velit. Mystice autem delectabilis est ista quæstio contemplantium lucem, in qua Deus habitat. Unde Psalmista : *Domine, dilexi decorem domus tuæ, et locum habitationis gloriæ tuæ.* Quærebant ergo habitationem ejus, sicut studiosi discipuli, ut possent ad eum frequenter venire, et cum eo frequenter loqui, et ab eo instrui. Unde *Beda :* « Nolebant transitorie magisterio veritatis perfrui, sed mansionem quærebant, ut plenius ab eo possent instrui; sed nos quoties Incarnationis Christi transitum ad mentem reducimus, sollicito corde eum rogemus, ut mansionis æternæ habitationem nobis dignetur ostendere. Ipse vero, liberaliter condescendens eorum petitioni, respondit eis : *Venite, et videte, venite,* testimonio Joannis, ab onere Legis ad fontem gratiæ; et *videte,* revelata fide, tandem visuri specie; quasi dicat, secundum *Alcuinum :* « Habitaculum meum explicari non potest sermone, sed opere demonstratur; *venite* ergo credendo et bene operando, et *videte* intelligendo. » Vel, secundum *Origneem,* per hoc quod dicit, *venite,* ad actionem invitat; per hoc autem quod dicit, *videte,* ad contemplationem. Non dixit, in illo vel in illo loco habito; quod si dixisset, potius locum ostendere, quam eos invitare videretur.

4 CHRISTUS EOS DUCIT IN DOMUM, UBI SE TUNC REDUCEBAT. — Et duxit eos in domum, in quam tunc in partibus illis se reducebat, quia proprium habitaculum non habebat, *et manserunt ibi apud eum, die illo,* id est, diei illius residuo, et sequentis suæ noctis spatio, audientes verba vitæ ab eo. Dicit autem *die,* quia ubi est Christus lux virtutum et sol justitiæ, ubi nullæ tenebræ possunt esse. O quam beatam diem, et quam beatam noctem duxerunt, audientes et videntes eum : quem multi videre et audire volentes, non viderunt neque audierunt! Quis est qui nobis nuntiet quæ audierunt a Domino? Ædificemus ergo et nos in corde nostro, ubi habitet, et in nobismetipsis faciamus domum quo veniat, et nobis colloquatur et nos doceat. *Hora autem erat quasi decima,* id est, prope vesperam, ubi insinuat commendationem Christi, et discipulorum. Hora enim decima est in occasu diei, ex quo et Christus commendatur a diligentia, quod tam studiosus ad docendum fuit, quod nec propter temporis tarditatem, eos docere distulit; et discipuli commendantur a fervore audiendi Christum, quia quamvis tarde esset, et adhuc forte jejunarent, non tamen retardabantur a sequendo eum; et cum hora vespertina soleant homines reverti ad domicilia propria, tamen omnibus dimissis, manserunt cum eo usque in crastinum,

Digitized by Google

desiderio audiendi ipsum. Unde, secundum *Chrysostomum,* hinc docemur omne tempus ponere ad divinam auditionem : quia omne tempus ad eam aptum est, et nullum intemporaneum. Unde et *Theophilus :* « Non frustra tempus notavit Evangelista, ut tam doctores, quam discipulos erudiret, quod doctrina propter tempus non est prætermittenda : » hæc *Theophilus.* Horum igitur exemplo, nullam horam prætermittamus, ad disponendum nos, ut Christum recipiamus, et cum eo habitemus, quia nescimus quando Dominus, sive in nocte, sive in die, sive in mane, sive in sero, sive in galli cantu venturus sit, juxta mare hujus mundi, judicare, et damnare amaritudinem peccatorum quæ fecimus. Quæramus ergo in nocte culpæ, ubi Christus habitet; sequamur eum per veram pœnitentiam, ut nos clementer respiciat; rogemus eum sollicito corde, ut habitationem mansionis æternæ nobis dignetur ostendere, et ut nos secum habitare faciat, *in* cujus *domo beati qui habitant.* Per decimam etiam horam, exprimuntur illi discipuli fuisse observatores Decalogi, quia venerat hora ipsum implendi. Unde et *Augustinus :* « Numerus etiam iste Legem significat, quia in decem præceptis data est. Venerat tempus ut impleretur Lex per dilectionem, quæ a Judæis impleri non poterat, per timorem. » Et, secundum *Chrysostomum,* non alterius alicujus causa vel gratia Christum secuti sunt, quam propter doctrinam; quam ita copiose volutati sunt in nocte una, ut confestim alteruter, et ad aliorum venationem veniret.

5 ANDREAS IT QUÆSITUM FRATREM. — Andreas nempe, audita Christi doctrina, statim ivit ad quærendum fratrem suum, ad audiendum Jesum Christum. Et hoc est quod sequitur : *Invenit hic,* scilicet Andreas, *primum Simonem, fratrem suum,* cui ex cognatione carnis plus tenebatur quam aliis; non invenit eum a casu, sed diligenter quæsitum, desiderans eum habere fratrem in religione fidei, sicut et in propinquitate carnali. Contra illos qui proprios amicos retrahunt ab ingressu religionis, vel aliquos a via veritatis et virtutis. *Et dixit ei : Invenimus,* sicut lapidem pretiosum, et sicut thesaurum absconditum, *Messiam,* in Lege et Prophetis promissum, ac diu exspectatum et quæsitum, *quod est interpretatum Christus,* id est, *unctus.* Et bene dicit : *Invenimus,* quia sufficienter fuerat a Christo instructus, quod ipse erat vere Christus. Et, ut dicit *Beda,* hoc est vere Dominum invenire, vera illius dilectione fervere, fraternæ quoque salutis curam gerere. *Messias* Hebraice, χριστὸς Græce, et *unctus* Latine dicitur. Christus enim, a *chrismate,* id est unctus ab *unctione* dicitur, a quo omnes Christiani unguntur. Ille autem singulariter unctus est, oleo invisibili, scilicet Spiritus Sancti, *præ participibus suis.* Participes enim ejus sunt omnes Sancti, quia isto oleo unguntur et ipsi, sed ille est singulariter sanctus, singulariter unctus. Unde *Cyrillus :* « Fuit autem unctus Salvator Spiritu Sancto, humanitatus in forma servi, ungens, ut Deus, Spiritu Sancto, credentes in eum. » Christus ergo est Rex et Sacerdos unctus, non unctione humana, sed divina, quia in humanitate pro nobis assumpta, fuit unctus a Deo Patre, imo a tota Trinitate, plenitudine gratiæ, sicut Reges et Sacerdotes in Veteri Testamento ungebantur corporali unctione, ut dicit *Albinus.* In fide, non quæritur annorum multitudo, nec paucitas. Andreas minor erat Simone, ætate; et tamen Jesum

Digitized by Google

primo invenit, statimque inventum nuntiat fratri, traditurus ei bona quæ suscepit; ut sicut sanguine, sic germanus esset et fide : vera pietas, statim thesaurum inventum fratri nuntiavit, quia eum primum invenit, et si alium prius invenisset, ei nuntiasset, et ad Salvatorem eum adduxisset, nullius enim bono invidit.

6 CHRISTUS SIMONEM ANDREÆ FRATREM INTUETUR. — *Et adduxit eum ad Jesum*, id est Salvatorem, quia non confidebat de se, quod posset eum sufficienter instruere. Et ex hoc accepit Ecclesia, quod in sacramento Baptismi et Confirmationis, utitur adducentibus, qui præsentent suscipientes sacramentum, qui patrini solent vocari. Jesus vero alacriter eum suscepit, sciebat enim quid de ipso facturus esset. Vide hic Petri humilitatem et obedientiam, quia non dedignatur major sequi minorem, sed confestim occurrit, et nihil tardans obedit. *Intuitus autem eum Jesus* oculo misericordiæ, non solum exterius, sed et interius, videns devotionem ejus, quia cor intuetur, *dixit ei : Tu es Simon*, id est *vere obediens;* quasi diceret : Nomen tuum est proprietati tuæ consonum, *filius Joanna*, seu Bar-Jona, id est *ejus in quo est gratia*, seu *filius columbæ;* quasi diceret : Hoc cognomen consonat tuo nomini, quia ille qui est vere obediens, est filius gratiæ Spiritus Sancti, quæ per columbam designatur. Merito Simon filius Joanna seu Bar-Jona dicitur, sive vocatur. Simon enim interpretatur *obediens;* Joanna, *gratia;* Bar, *filius;* et Jona, *columba;* quasi ei diceret : Tu es obediens filius gratiæ, vel filius columbæ, id est Spiritus Sancti, quia humilitatem de gratia Spiritus Sancti accepisti, ut, vocante Andrea, videre me desiderares. Congruunt ergo hæc nomina mysterio, ut insinuetur quod obedientia necessaria est conversis ad Christum per fidem, et quod homines per gratiam veniunt ad fidem Christi, et quod per Spiritum Sanctum firmamur in amore Dei.

7 EI NOMEN CEPHAS VEL PETRUS IMPONENDUM PRÆDICIT. — Subdit autem : *Tu vocaberis Cephas, quod* Latine *interpretatur Petrus*, et in Græco *caput*, vel *capitaneus*. Et congruit mysterio ut ille qui debebat aliorum esse caput et Christi vicarius, firmitatem habeat, quam designat Petrus. Simon quippe erat nomen ejus ante vocationem et conversionem, sed post impositum fuit sibi nomen Petrus. Sicut etiam quando baptizatur adultus, et quando aliquis in Papam est creatus, mutatur nomen ejus. Simon ergo est proprium nomen, Petrus vero est cognomen, Bar-Jona est Hebræum, et sonat *filius Jona*. Sed, secundum alium Evangelistam, dicitur filius Joanna, quia, secundum quosdam, idem erat nomen patris Jona et Joanna, aliqualiter tamen, propter subtractionem unius syllabæ, diversificatum sicut in Latino Nicolaus, pro Colinus. Vel dicendum quod pater Petri erat binomius, et sic Jona et Joanna sunt duo nomina : et hoc videtur ex eorum interpretatione diversa, quia Joanna interpretatur *in quo gratia*, et Jona interpretatur *columba*. Cephas Hebræum est et Syrum. Petrus Græcum et Latinum, et in utraque lingua nomen Petri, a *petra* est derivatum. Vocatur enim Petrus, quod interpretatur *firmus*, ob robur mentis, et firmitatem fidei, et propter fidelem confessionem Christi, qua dixit : « *Tu es Christus Filius Dei vivi*, cui, tanquam fidelissimæ petræ, firmiter adhæsit. Utrum autem hoc nomen modo ei imposuit, an promisit imponendum, est incertum. Tutius

Digitized by Google

tamen dici potest, quod modo promisit, quia cum dicitur, vocaberis non impositio est, sed prædictio quasi de futura nominis impositione loquendo; sed tunc imposuit, cum dixit: *Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam;* vel in electione duodecim, ubi dicitur: *Et imposuit Simoni nomen Petrus;* sicut et claves ante resurrectionem promisit, sed post dedit. Si vero nomen modo imposuit, tunc in sequentibus confirmavit; sic hi prædicti discipuli, primo ad fidem vocati, in aliqualem notitiam et familiaritatem Jesu venerunt, et deinde ad propria redierunt.

8 Vocatio Philippi. — *In crastinum* autem, post Petri et Andreæ vocationem, *voluit Jesus,* de Judæa large dicta, ubi Joannes baptizabat, *redire in Galilæam,* de qua patria discipulos vocavit, et ad Matrem quam ibi reliquerat, *et invenit Philippum,* qui *erat a Bethsaida, civitate* supra mare Galilææ, concivis *Petri et Andreæ.* Et hoc congruit mysterio, Bethsaida enim *domus venatorum* interpretatur: ut ostendat quod de domo venatorum, congrue venatores, ad capiendas animas, ad vitam vocaret. Non a casu, vel quasi ignotum, sed ex sua præordinatione, et ex intentione quæsitum invenit eum, ut eum illuminaret, et ad fidem vocaret; unde sequitur: *Et dixit ei sequere me,* hoc est doctrinam et exemplum imitare, ut dicit *Alcuinus.* Sequitur enim eum qui imitatur humilitatem et passionem ejus, ut sit socius resurrectionis et ascensionis; qui, Philippus scilicet, statim, sine ulla contradictione, sicut bonus obediens, secutus est eum. Secundum hæc dicta, primus omnium Apostolorum Philippus videtur esse vocatus. Hi quatuor prædicti, scilicet: Andreas, et alter cujus nomen tacetur, ac Petrus et Philippus, fuerunt discipuli Joannis; qui videntes quod Joannes de Jesu testimonium dederat, conjuncti sunt ei.

9 Philippus Nathanael invitat ad videndum Christum. — Philippus autem, a Christo instructus, ivit ad quærendum Nathanaelem, fratrem suum, desiderans eum habere fratrem in fide, sicut in carne, et invenit eum sub ficu, non casu, sed diligenter quæsitum, *et dixit ei: Quem scripsit Moyses in Lege, et Prophetæ nuntiaverunt, invenimus,* diu exspectatum, *Jesum,* salutis auctorem, *filium Joseph,* scilicet putativum, *a Nazareth,* quia ibi conceptus et nutritus erat, et quia de eo per Prophetas audierat, quoniam *Nazaræus vocabitur.* Philippus, secundum communem modum loquendi, loquitur, quia filius Joseph, cui desponsata mater ejus erat, putabatur. Et miratus Nathanael quod de Galilæa, non de Judæa surgeret Propheta, et quia scriptura Micheæ dixerat Christum in Bethlehem nasciturum, ait negative et dubitative, secundum *Chrysostomum: A Nazareth potest aliquid boni esse?* Quasi diceret: Non. Vel quia iste, Legis peritus, legerat in Propheta alio: *Nazaræus vocabitur,* et signa Domini adventus forte notaverat; quando igitur audivit *a Nazareth,* statim erectus in spe dicere volebat, secundum *Augustinum,* affirmative et assertive, nunc tandem *a Nazareth potest aliquid boni esse.* Et quia Philippus non erat ita perfecte instructus, et ideo duxit eum ad Jesum, ut ab illo plenius audiret; propter quod sequitur: *Dicit ei Philippus: Veni et vide,* id est ab eo addisce, per experimentum virtutis, quæ est in ipso. Et adduxit eum Philippus ad Jesum, ut dicit *Chrysostomus;* trahit quidem eum

Digitized by Google

ad Christum, sciens de reliquo eum non contradicturum, si verba et doctrinam illius gustaverit. Nathanael interpretatur *donum Dei;* et quod aliquis ad Christum convertitur, ex dono Dei est.

10 Huic secreta revelat Christus. — Et *vidit Jesus,* intuitu dilectionis, *Nathanael venientem ad se,* et magis intus quam extra appropinquantem; quia non solum vidit corpus exterius, sed etiam cor ipsius interius, *et dicit de eo,* circumstantibus : *Ecce vere Israelita,* Deum videns, *in quo dolus,* et simulatio *non est;* nam sine intentione doli et falsitatis veniebat ut veritatem agnosceret : si enim habet peccata, confitetur ea; non igitur negat eum esse peccatorem, sed laudat in eo confessionem. Dolosi quippe sunt, qui se prædicant bonos et justos, cum sint mali et peccatores. Magnus iste vir Nathanael, cui ipse Dominus tale testimonium perhibet! Israel interpretatur *videns Deum,* unde dicitur verus Israelita : primo, ex fide, qua jam Deum videre et in eum credere incipiebat; quia instructus in Lege per fidem et intelligentiam Scripturarum, saltem per speculum, et in ænigmate, Deum videbat. Secundo, ex confessione, quam Christo respondendo faciebat. Videns ergo Nathanael quod conditionem suæ mentis expresserat, quæsivit unde ipsum sciebat, dicens : *Unde me nosti?* id est, ex qua virtute, cum hoc sit supra virtutem humanitatis. Et *Jesus respondit ei,* per revelationem alterius occulti, dicens : *Priusquam te Philippus vocaret,* et tibi de me loqueretur, *cum esses sub ficu, vidi,* id est cognovi *te* et propositum cordis tui. Ad litteram, sub quadam ficu sederat, forte cogitans de futuro Salvatore : ubi Philippus supervenies, de Christo cum eo singulariter, nullo alio præsente, loquebatur.

11 Nathanael fit Christi discipulus. — Et ideo propter hoc signum et præcedens, Nathanael statim confessus est ipsum esse Christum. Unde sequitur : *Respondit Nathanael, et ait : Rabbi, tu es Filius Dei, tu es Rex Israel,* id est Christus exspectatus ab Israel in Regem et defensorem. Exspectabant enim omnes Judæi Messiam temporalem, Regem futurum : et hoc modo videtur loqui iste Nathanael; quia non habebat adhuc cognitionem perfectam de Christo. Non enim videtur intellexisse tunc ipsius divinitatem, quia non dixisset : *Tu es Rex Israel,* sed totius mundi; et propterea cum dixit : *Tu es Filius Dei,* non fuit confessus ejus divinitatem, sed intellexit hanc filiationem, per quamdam gratiæ excellentiam. Unde dicit *Chrysostomus,* quod adhuc credens esse sapientem, qui ex aliqua revelatione Dei secreta noverit, confitetur eum esse Filium Dei, non per naturam, sed per adoptionis gratiam; quia adhuc non erat plene illuminatus de fine Trinitatis. Alii tamen dicunt quod hoc ex corde credidit, sicut ore confessus fuit; sed primum probabilius est, sicut inferius patebit. Unde Dominus docet eum amplius, elevans eum ad majora, scilicet ad divinitatis suæ cognitionem, per obsequium Angelorum, sibi tanquam superiori exhibendum. Nulla enim natura est supra angelicam, nisi divina; et hoc est quod dicitur : *Respondit Jesus, et dixit ei : Quia dixi tibi : vidi te sub ficu, credis,* me esse Christum, quantum ad excellentiam gratiæ, *majus his videbis,* cognoscendo virtutem divinæ substantiæ. Unde *Chrysostomus :* « Quasi dicat : Magnum tibi visum est hoc esse quod dixi, et propterea me Regem Israel confessus es. Quid igitur dices cum majus videris? » Et quid sit istud ma-

Digitized by Google

jus, ostendit, subdens : *Et dicit eis,* scilicet Philippo et Nathanaeli : *Amen, amen dico vobis,* amen, idem est quod *fideliter,* et ideo ubi duplicatur, est signum maximæ certitudinis et firmitatis, *videbitis cœlum apertum; et Angelos Dei ascendentes et descendentes super Filium hominis,* in obsequium deitatis, in humana latentis natura. In Passione enim *apparuit illi Angelus de cœlo, confortans eum;* et in resurrectione visi sunt Angeli circa sepulchrum ejus; et in ascensione *astiterunt,* tanquam *duo viri, in vestibus albis;* sed et ante hoc, *accesserunt, et ministrabant ei;* et evangelizabant ejus nativitatem. Ubi *Chrysostomus* : « Vide qualiter paulatim eum a terra subducit, et facit quod non ultra æstimet eum hominem solum : cui enim Angeli ministrant, qualiter hic homo purus esset? Per hoc igitur suadet Angelorum se esse dominatorem : » hæc *Chrysostomus.* Verumtamen, quia iste Nathanael doctissimus et peritissimus erat in Lege, noluit eum Dominus in Apostolum cum aliis eligere; nec etiam Nicodemum, de quo infra dicitur, eo quod et ipse peritus et doctus esset, ne propter suam scientiam, se electos dicerent vel præsumerent. Voluit enim Christus Apostolos primos fundatores Ecclesiæ idiotas et simplices homines eligere; ne doctrina fidei et prima conversio hominum humanæ sapientiæ adscriberetur, sed divinæ; hoc etiam ideo fecit, ut mundum et sapientes ejus confunderet. Fuerunt tamen Nathanael et Nicodemus, a principio ad fidem vocati, ne doctrina fidei, quasi a solis simplicibus recepta, haberetur contemptui; et ne si a principio omnes fuissent simplices, crederentur per oppositum per ignorantiam decepti. Postquam vero fides catholica radicata fuit, Paulus ad apostolatum vocatus est, quamvis litteratus esset. Per Andream et Philippum, qui a Christo edocti, de salute fratrum suorum solliciti fuerunt, significantur illi, qui proximos suos, quantum bono modo possunt, ad sequelam Christi inducunt. Quod est contra multos, qui non solum non inducunt, sed pro posse suo avertunt.

12 CUR CHRISTUS NAZARETH REDIIT? — *Et regressus est Jesus* cum Philippo, *in Galilæam : et veniens Nazareth,* ad Matrem suam, cum indicibili gaudio receptus est per eam. Attende quod post baptismum, post victoriam tentationum Christus rediit Nazareth, quod interpretatur *flos :* et significat quod homo, quantumcumque lotus sit a peccatis, quantumcumque tentationes superaverit, vel quæcumque bona fecerit, semper debet se reputare in flore et in principio esse. Et deinceps, per illum annum, Jesus in Galilæa remansit : nec aliquis Evangelista ponit, quid interim usque ad nuptias fecerit. In anno enim a baptismo, usque ad nuptias, nihil aliud legitur Christum fecisse, nisi quod legitur de jejunio in deserto, et de tentatione a diabolo, et de testimonio Baptistæ, et de discipulorum conversione.

Digitized by Google

ORATIO

O bone Jesu, Redemptor perditorum, Salvator redemptorum, spes exsulum, pauperum spiritu dulce solatium, laborantium fortitudo, lassorum recreatio, triumphantium corona, supernorum civium unica merces et lætitia vera, inclyta proles summi Dei, et fructus sublimis uteri virginalis : fons gratiarum omnium, de cujus plenitudine nos omnes accepimus, in te, ut finem omnium, tendens, et sperans, et amans, ferar. O desiderate Jesu! ad te adducar, te sequar; quia tu solus sufficis, tu solus salvas, tu solus bonus et suavis es te quærentibus et diligentibus nomen tuum. Amen.

CAPUT XXV

De mutatione aquæ in vinum.

Joannis cap. 2.

1 NUPTIAS CHRISTUS SUA PRÆSENTIA HONORAT. — Deinde anno sequenti, scilicet trigesimo primo, cœpit Jesus signis mirificis mundum illustrare. Et primo, approbans conjugium, nuptias intravit, et aquam in vinum convertit : quod, eadem die qua baptizatus fuit, scilicet anno revoluto, fecit. Dominus, sua corporali præsentia, ac nihilominus signorum suorum initio, nuptias quas instituit, tanquam licitas et honestas, honorare et commendare voluit, ne eas hæretici despicere et damnare præsumerent. Unde *Beda :* « Quia bona est castitas conjugalis, melior continentia vidualis, optima munditia virginalis, ad probandum omnium electionem graduum; discernendum tamen meritum singulorum, ex intemeratæ Mariæ Virginis utero nasci dignatus est, a prophetico Annæ viduæ ore mox natus benedicitur, a nuptiarum celebratoribus, jam juvenis invitatus, hos præsentia suæ virtutis honorat. » *Die,* itaque, *tertio,* id est tertio ab Evangelista nominato post primos duos (quibus Jesus post regressum a deserto ad Joannem venit, quamvis inter eos multi dies fluxerint), *nuptiæ factæ sunt in Cana Galilææ,* id est in quodam vico seu villa provinciæ Galilææ sic dicta. Quamvis autem dubium sit, cujus nuptiæ fuerunt : tamen nos meditemur eas fuisse Joannis evangelistæ, sicut in prologo super Joannem *Hieronymus* videtur affirmare. Quem volentem nubere Christus

Digitized by Google

de nuptiis vocavit : et ex tunc Joannes Christo, propter munditiam continentiæ virginalis, magis familiaris fuit. Hoc etiam videtur, ex eo quod Christus non legitur fuisse in nuptiis aliis; et per hoc : *Mater Jesu erat ibi*, tanquam in nuptiis sui nepotis. Non enim est verisimile, quod ipsa venisset, nisi multum sibi attinuisset, sicut ivit ad Elizabeth, cognatam suam, nec legitur in tali casu ivisse ad aliam. In ipsis ergo nuptiis Domina nostra fuit, non tanquam extranea invitata, sed tanquam primogenita, et dignior inter sorores fuit in domo sororis, quasi in domo sua. Cum enim soror ejus Maria Salome, uxor Zebedæi, vellet facere nuptias filio suo Joanni, vadens ad Dominam nostram in Nazareth, quarto a Cana milliario, intimavit hoc ei, et sic ipsa ante alios venit ad præparationem nuptiarum. Unde legitur quod *Mater Jesu erat ibi*, sed de Jesu et discipulis ejus dicitur quod fuerunt vocati. Qui tamen discipuli adhuc firmiter non adhærebant; sed sequebantur gratia familiaritatis, imbui cupientes ejus doctrina. De Joseph autem, sponso Virginis, non fit mentio. Nam quidam dicunt eum tunc mortuum fuisse, et Virginem in custodiam Filii transisse, quia nec etiam deinceps de eo legitur in Evangelio. Quod si nondum mortuus fuit, tamen in Passione Domini sine dubio mortuus erat, quia uxor illius alio commendata est. Conspice igitur Dominum Jesum inter alios, sicut unum quemvis de populo comedentem, et humiliter in loco infimo, non inter majores, sedentem. Nam docturus erat in posterum : *Cum invitatus fueris ad nuptias, recumbe in novissimo loco.* Ipse vero prius *cœpit facere*, quam *docere.*

2 Vini defectus et Mariæ interventio. — Conspice etiam Dominam obsequiosam, et in cunctis recte et ordinate faciendis sollicitam. Cumque prope finem convivii agnosceret vinum deficere, ivit ad Filium, et dixit ad eum : *Vinum non habent;* non casu, nec fortuito accidisse putandum est, ut Domino veniente ad nuptias, vinum deficeret; sed eo magis ut occasio miraculi fieret. Unde intelligens sancta Dei Genitrix, jam tempus perfectæ ætatis, quo per miracula se ipsum Deum mundo innotesceret, et non filius Joseph, sed Dei et Mariæ Virginis crederetur, ait : *Vinum non habent;* scilicet ad sufficientiam. Quasi dicat : Fili mi, vinum hic deficit. Solum insinuat hic defectum, nihil petens, sciens quod amanti sufficit solum insinuare necessitatem, absque ulla petitione. Unde non dicit : Da eis vinum, ut reverentiam Filio servet, et in liberalitate Filii et misericordia spem ponens, tantum defectum proponit. Ex corde enim piissimo voluit prævenire totalem defectum, ne confusio appareret; et ideo invitavit Filium, quem ad hoc potentem sciebat. Plena quippe Spiritu Sancto, jam tunc illud miraculum prævidebat, quod Filius ejus facturus erat. Quod ergo facere cogitabat, hoc illa ut faceret, admonebat, secundum *Hieronymum.* Congruum est, quod ubi Deus invitatur, temporalis vinum jucunditatis deficere debeat; hoc enim vino Sancti non delectantur, quia inebriat ad Deo blivionem, et incendit ad concupiscentiam; nec dubium est quin Christus ad delectantes in vino jucunditatis nunquam introisset, et ideo congruum est ut in nuptiis Sanctorum deficiat. Respondit Jesus : *Quid mihi et tibi est, mulier?* quid me molestas? Secundum *Augustinum*, Maria mulier dicta est, non corrupta virginitate, sed appellatione gentis suæ. Mulieres enim

Digitized by Google

omnes feminas illi appellaverunt, proprietate linguæ Hebrææ; unde et mulier de Eva virgine, cum adhuc in paradiso esset, dicitur : *Mulier quam dedisti mihi sociam,* etc. Secundum *Origenem*, congrue vocat Mariam mulierem, pro sexu et proprietate cordis, per misericordiam emolliti : quoniam misericordia emollita mollia sensit de nuptiis celebrantibus, qui ex paupertate vini, in proximo manifestanda, verecundati fuissent.

3 Quomodo interpretari debeat responsio Christi? — Et addidit : *Nondum venit hora mea,* id est, nondum vini defectum sentiunt, qui adsunt : sine ergo eos primum hoc sentire, quia cum necessitatem cognoverint, magis reputabunt beneficium quod recipient. Nam, secundum *Chrysostomum,* Beata Virgo, ex pietate mota, voluit præoccupare tempus debitum faciendi miraculum. Et quia istud miraculum inter miracula Christi erat primum, et ad confirmationem discipulorum; ideo debuit esse notum ibidem existentibus, et gratum ipsis convivantibus. Hoc autem magis fuit, ex eo quod factum est, post talem vini defectum, quam si ante fuisset factum. Et quia, ut dictum est, Mater Jesu voluit prævenire totalem defectum, et quod statim, antequam esset opportunum, Christus faceret miraculum; ideo Christus, Matre haud dubium sapientior, eam repressit, dicens : *Quid mihi et tibi est, mulier?* quasi dicat : Scire tempus aptum ad faciendum miraculum fiendum non est mihi et tibi commune, sed mihi soli convenit. Propter quod subditur : *Nondum venit hora mea,* id est hora conveniens faciendi miraculum, a me solo cognita. Sed, secundum *Augustinum,* facere miracula competebat Christo, secundum divinam naturam, quam a Matre non habuit; et ideo prædicto modo respondendo Matri, ostendere voluit quod in hoc non tenebatur ei obedire; quia in natura divina nihil habuit a Matre, nec, per consequens, cum ea aliquid commune. Ideo dicit : *Quid mihi et tibi est, mulier?* Quasi dicat : Vis fieri miraculum; sed ad hoc agendum, quid commune habeo tecum? Quasi etiam dicat : Ex natura communi tecum hoc non ago, sed ex eo quod habeo a Patre; quia virtutem faciendi miracula a Patre habeo, non a te. Sed quia humanitatem, in qua passus est, traxit a Matre, ideo addidit : *Nondum venit hora mea,* a me disposita, hora scilicet voluntatis, non necessitatis; id est, tempus patiendi ex communi mihi et tibi, scilicet in natura quam a te habeo : et tunc te recognoscam, et tibi condescendam. Unde cum venisset hora, qua ut homo moreretur, de cruce, cognitam Matrem recommendavit discipulo, quem præ ceteris diligebat. Primæ tamen sententiæ, secundum *Chrysostomum,* magis consonat littera sequens; quia Mater Jesu ex ejus responsione non ostendit petitionem suam repulsam, sed convenienter dilatam.

4 Confidentia Mariæ. — Unde de Domini responsione non diffidens, sed de sua benignitate præsumens, rediit ad ministros qui serviebant in nuptiis illis, et fiducialiter mittens illos ad Filium suum, dixit eis : *Quodcunque dixerit vobis, facite,* exspectans, hora convenienti a Filio suo cognita, impletionem petitionis suæ; quasi dicat : Licet abnegare videatur, tamen faciet. Intellexit enim in illis verbis Domini ipsum non exasperatum; et ideo fiducialiter imperavit ministris, ut præcepta implerent Filii jubentis. Sciebat enim eum tantæ misericordiæ et pietatis, quod

Digitized by Google

compateretur indigentibus et faceret quod petebatur, licet aspere loqui et negare videretur. Sana doctrina Virginis Mariæ, ut semper debeamus Christo obedire : et per hoc etiam monimur de Domino non desperare, si nobis, cum oramus, videatur de facto durius respondere, sed cum beata Virgine fiducialiter ejus misericordiam exspectare. Sed cum Christus maximam reverentiam Matri detulerit, mirum videtur quod sic extranee ei respondit. Dura quidem videtur prædicta Domini responsio. Sed, secundum *Augustinum,* instructoria est; quia in divinis, quæ Dei sunt, Matrem recognoscere non debemus. Et similiter, secundum *Bernardum,* ad instructionem nostram fuit, qui de hoc loco sic dicit : « Quid tibi et illi, Domine? Nonne quod Filio et Matri? Quid ad illam pertines quæris, cum sis *benedictus fructus ventris* sui immaculati? Nonne ipsa est, quæ salvo pudore concepit, et sine corruptione te peperit? Nonne ipsa est, in cujus utero novem mensibus moratus es : cujus virgineis uberibus lactatus es : cum qua duodecim annorum factus de Jerusalem descendisti, et *eras subditus illi*? Dicis : *Quid mihi et tibi*? Multum per omnem modum; sed manifeste jam video, quod non velut indignans, aut confundere volens Virginis et Matris teneram verecundiam, dixeris : *Quid mihi et tibi*? cum venientibus ad te, juxta præceptum ejus, ministris, nihil cunctatus, facias quod suggessit. Utquid ergo, fratres, utquid responderat prius? Utique propter nos et conversos ad Dominum : ut jam non sollicitet carnalium cura parentum, et necessitudines illæ non impediant exercitum spirituale. Quamdiu enim de mundo sumus, debitores nos constat esse parentibus. At postquam reliquimus nosmetipsos, multo magis ab eorum sollicitudine liberati sumus. Unde legimus fratrem quemdam, in eremo conversantem, cum ad eum carnalis frater, auxilii gratia, adventasset, respondisse, ut adiret alterum fratrem eorum, cum ille utique jam obiisset. Cum admiratus, qui venerat, responderet quia ille obiit, eremita se quoque similiter obiisse respondit. Optime ergo nos docuit Dominus, ne solliciti simus super propinquos carnis nostræ, plus quam religio postulet, quando ipse Matri, et tali Matri respondit : *Quid tibi et mihi est, mulier*? Sic et in alio loco, cum suggereret ei quidam, quoniam Mater ejus et fratres ejus foris starent, quærentes ei loqui, respondit : *Quæ est Mater mea, et fratres mei*? Ubi modo sunt, qui tam carnaliter, et inaniter, super carnalibus propinquis suis solliciti sunt, ac si adhuc viverent et ipsi cum eis? » hæc *Bernardus.*

5 HYDRIÆ AQUA JUBENTUR IMPLERI. — *Erant autem ibi lapideæ hydriæ sex, positæ secundum purificationem,* id est secundum morem et ritum purificationis, *Judæorum,* hoc est vasa aquatica, et aquarum receptui parata ab ὑδωρ, quod est aqua; sic dicta, ut si forte contigisset aliquem de convivis, vel de ministris lavare se, vel vasa, aquam ad hoc inveniret, et haberet paratam. Crebro enim manus et vasa epulatoria Judæi baptizabant, id est lavabant et purificabant; et si casu immundum aliquid tetigissent, nisi prius loti, non comedebant. *Capiebant,* autem, *singulæ,* hydriæ, *metretas,* id est mensuras, *binas vel ternas,* a μέτρον, quod est mensura sic dicta. Secundum *Isidorum,* metreta quædam mensura est continens decem sextarios; et secundum eumdem, sextarius continet tantum duas libras, qui, bis assumptus, vocatur bilibris. *Et dixit Jesus,* ministris, *Implete hydrias aqua.* Aliquid

Digitized by Google

enim de aqua prius posita inde assumpserant ad purificationem vasorum : et ideo jussit Jesus suppleri quod fuerat amotum. Euntes igitur ministri hauserunt aquam de puteo : qui adhuc ibi esse dicitur, extra viculum, *et impleverunt hydrias usque ad summum.* Quæ cum fuissent impletæ aqua, conversa est in vinum divina virtute. Non dicitur hic quod aliqua verba ad hoc dixerit, sicut in transsubstantiatione panis et vini in Corpus suum et Sanguinem ; sed occulta virtute divinitatis hoc operatus est. Sine ergo omni verbo, sola Domini voluntate, in optimum vinum aqua conversa est ; cum tamen alia miracula, et verbo, et tactu corporeo, et aliquando fletu perfecerit.

6 VINUM MIRACULOSE PRODUCTUM FERTUR ARCHITRICLINO. — *Et dixit eis Jesus : Haurite nunc, et ferte architriclino.* In hoc duo notantur : primum, discretio Domini, quia primo misit magis honorabili ; nec in hoc fuit personarum acceptor quia, secundum *Augustinum,* non cum homines diverso modo pro suis gradibus honoramus, tunc timendum est, ne personas accipiamus. — Secundum, humilitas Domini ; quia patet quod sedebat longe ab architriclino, cum diceret : Ferte illi, quasi ab eo remoto, et cum ille sederet in magis honorabili loco, colligitur quod Dominus nolens sedere ibi, nec juxta eum, elegit ibi humiliorem locum. Triclinium est locus ubi sunt tres ordines mensarum, secundum gradus superiores et inferiores ordinatarum : sicut solet esse in refectoriis religiosorum. Et dicitur triclinium a triplici ordine lectorum, super quos sedendo, recumbentes comedebant. Κλίνη enim Græce, *lectum* Latine significat. Nam antiquitus, in lectis sedentes et accumbentes comedere solebant, ut ex labore fatigationis, interim dum cibus sumitur, membra quiescerent. Et ideo in Scripturis dicuntur comedentes accumbere, vel recumbere, seu discumbere, quod est quasi jacendo comedere. Architriclinus est princeps et primas triclinii, id est principalis, et primus inter convivantes in triclinio. Et probabile est quod fuerit aliquis sacerdos illius temporis, qui nuptiis intererat, ad benedicendum, et ad ostendendum qualiter debeant procedere, secundum Legem et statuta seniorum. Voluit ergo Dominus noster, quod principalior inter convivas, primo de vino illo gustaret, ut præsidentis sententia acceptabilior esset, et ex ipsius commendatione miraculum notius fieret. Sic etiam nos debemus nostra examinatori prælato offerre, ad probandum ea.

7 VINI MIRACULOSI BONITAS. — *Ut autem gustavit architriclinus aquam vinum factam,* id est, mutatam in vinum, *et non sciebat unde esset,* scilicet per Christi virtutem, *vocat sponsum,* quasi ad arguendum ipsum, *et dicit ei : Omnis homo,* rationalis et prudenter agens, *in principio bonum vinum apponit,* convivantibus ; quia tunc sensus est vivax et potest discernere vini bonitatem, et acceptare, *et cum inebriati fuerint, tunc,* apponit, *id quod deterius,* id est aquosius, et debilius ad mitigationem ebrietatis, quia tunc non sic sciunt discernere inter bonum et deterius. *Tu autem,* contra consuetudinem faciens, *servasti vinum bonum usque adhuc,* ita quod modo sapor ejus discerni non potest ; quasi diceret, arguendo eum : Inordinate et imprudenter fecisti contrarium. Iste tamen, ut prædictum est, ignoranter loquebatur. Ministri ergo, qui dederant vinum illi et aliis, divulgaverunt miraculum, quia ipsi sciebant quomodo fuerat factum. Commendavit

Digitized by Google

architriclinus vini bonitatem, et post in communi commendaverunt miraculi novitatem. Non dubium quin melior erat mutati vini natura, quam nati. Unde *Chrysostomus* : « Fecit aquam in vinum; non simpliciter autem vinum, sed vinum optimum. Talia enim Christi miracula multo his quæ per manum perficiuntur, speciosiora et potiora quodammodo sunt : ita et in aliis, quando membrum direxit corporis claudicans, sanis demonstrabat hoc melius. » Et iterum : « Generale est in omnibus Christi miraculis, quod semper ad aliquid melius terminatur, quam posset fieri per naturam : » hæc *Chrysostomus*.

8 Scopus hujus miraculi. — Hoc miraculum, primo a Christo factum est ad manifestandam veritatem divinitatis in eo latentem, et ad confirmandam eorum fidem. Et hoc est quod dicitur : *Hoc fecit Jesus initium signorum,* per se factorum, quia ante hoc fuerunt signa per Patrem facta circa ipsum. Et ideo falsum est quod dicitur de signis puerilibus, in libro de infantia Salvatoris, et in Evangelio Nazarænorum. Fecit autem hoc, *in Cana,* villa quadam provinciæ *Galilææ.* In qua villa, ostenditur locus ubi steterunt hydriæ, et triclinium ubi steterunt mensæ; et descenditur ad ea per plures gradus, sub terra, sicut est in pluribus aliis locis sanctis : quod forte accidit propter frequentes destructiones et ruinas factas in illis. *Et manifestavit* per hoc signum *gloriam suam,* id est gloriosam latentem in carne deitatem, et per deitatis potentiam, per quam hæc fecit, et quam gloriosus est; ostendens per effectum divinæ virtutis, quod ipse esset Dominus virtutum et Rex gloriæ, et quod ipse esset Sponsus Ecclesiæ; et quod ipse esset qui cuncta ex nihilo potuit creare, qui etiam, sicut Dominus, quando voluit, potuit elementa immutare; ostendens ita, secundum *Chrysostomum,* quoniam ipse est, qui in vineis aquam transmutat; pluviam per radicem in vinum vertit, quodque in planta per multum temporis fit, hoc repente simul in nuptiis operatus est.

9 Discipuli in fide confirmantur. — *Et,* viso miraculo, *crediderunt in eum discipuli ejus,* scilicet magis firmiter et perfecte, quam ante miraculum. Habebat enim paucos discipulos, sicut et Joannes, quos familiariter docebat, non tamen sic inseparabiliter adhærentes, et perfecte credentes, sicut post miraculum : sed qui illi fuerunt, nescimus. Unde dicuntur discipuli, propter notitiam, et sequelam, et mutuum inter Christum et ipsos amorem. Vel quia post futuri discipuli erant: ad verbum enim Joannis plures eum occulte audiebant, qui postmodum omnino eum secuti sunt. Potest etiam dici, quod aliqui de novo in eum crediderunt, et illi qui prius crediderant, ut Andreas et alii, per hoc in fide solidati fuerunt. Ubi *Augustinus* : « Scriptura non solum illos duodenos appellat discipulos ejus, sed omnes qui in eum credentes magisterio ejus ad regnum cœlorum erudiebantur. »

10 Nuptiæ quadruplices. — Notandum hic quod, secundum quadruplicem sensum sacræ Scripturæ, quadruplices sunt nuptiæ, scilicet : carnalis copulationis, secundum sensum litteralem; divinæ Incarnationis, secundum sensum allegoricum; spiritualis conjunctionis, secundum sensum tropologicum, et beatæ fruitionis, secundum sensum anagogicum. De primis nuptiis, ad litteram, est evangelium præsens. Istis nuptiis interesse debent Mater Jesu, et Jesus, cum discipulis suis; per istos tres enim intelliguntur tria

Digitized by Google

bona matrimonii. Primum bonum est fides castitatis, quod significat casta Mater Domini; secundum est sacramentum : significat enim conjunctionem divinitatis et humanitatis in Christo, vel Christi et Ecclesiæ, quam sacram rem significat et efficit Christus, qui interfuit nuptiis; tertium est proles suscipienda, et educanda in fide Christi, quod significant Christi discipuli. — Secundæ nuptiæ allegoricæ sunt divinæ Incarnationis. In his nuptiis sponsus est Filius Dei, Verbum æternum; sponsa vero, humana natura. In his nuptiis, totaliter fuit Mater Jesu, et ipse Jesus, et discipuli ejus futuri, quos elegit in ipso, ante mundi constitutionem. Harum nuptiarum proles sunt omnes qui credunt in eum. Aliter, istæ nuptiæ allegorice dicuntur esse inter Christum sponsum et Ecclesiam sponsam, quarum nuptiarum proles sunt omnes fideles, et redit in idem cum jam præmissis. — Tertiæ nuptiæ sunt tropologicæ, spiritualis videlicet conjunctionis Dei et animæ; in his nuptiis consistunt tria bona conjugii : fides, proles, sacramentum. — Quartæ nuptiæ sunt anagogicæ et cœlestes, in quibus gaudium nostrum erit plenum. Unde in Apocalypsi : *Gaudeamus, et exsultemus, et demus gloriam Deo : quia venerunt nuptiæ Agni, et uxor ejus præparavit se.* Ad has nuptias non intrant, nisi beati, qui ad cœnam nuptiarum Agni vocati sunt, quales sunt virgines prudentes, quæ intraverunt cum sponso, *et clausa est janua.* Sicut ergo sunt nuptiæ hominis et hominis in carnali copulatione, ita sunt nuptiæ Dei et hominis in naturarum conjunctione, et spiritus creati, et Spiritus increati societate : et hoc in gratia et gloria. Primæ nuptiæ Dei et hominis factæ sunt, cum humanam naturam divinæ naturæ in unitatem personæ copulavit. Secundæ sunt Dei et hominis in uno spiritu, in gratia charitatis conjuncti. Tertiæ sunt Dei et hominis in gloria; quando fidelis anima ingreditur thalamum sponsi, in secreto cœlestis luminis. In omnibus autem his, aqua terrenæ consolationis insipidæ transit in vinum jucunditatis æternæ, in Dei sapore et societate.

11 QUID NUPTIÆ IN CANA FACTÆ ALLEGORICE SIGNIFICENT? — Possumus etiam dicere quod per nuptias, de quibus hic secundum sensum litteralem dicitur, conjunctio Christi et Ecclesiæ intelligitur : et quod istud matrimonium in utero virginali initiatum fuit, quando Deus Pater Filio humanam naturam in unitate personæ univit, et sic thalamus hujus conjunctionis fuit uterus virginalis. Publicatum autem fuit, quando Ecclesia sibi per fidem conjuncta est; consummatum vero erit, quando sponsa, id est Ecclesia, introducetur in thalamum Sponsi, in cœlestem scilicet gloriam. Et, secundum *Bedam,* non vacat a mysterio, quod *die tertia nuptiæ factæ* referuntur. Primus namque dies est tempus legis naturæ, quo Patriarcharum exemplo; secundus, tempus Legis scriptæ, quo Prophetarum scriptis; tertius, tempus gratiæ, quo Evangelistarum præconiis, quasi tertiæ diei luce mundo refulsit, in quo Dominus in carne natus apparuit, et nuptias celebravit. Unde Osee : *Vivificabit nos post duos dies; in die tertia suscitabit nos,* etc. Sed ad hoc quod in Cana Galilææ, id est *zelo transmigrationis,* eædem nuptiæ factæ perhibentur, significat eos gratia Dei dignos esse, qui zelo devotionis fervere, ac de vitiis ad virtutes, et de terrenis ad æterna norunt transmigrare. Et, secundum *Augustinum,* mysteria quæ in illo Domini miraculo latent, videamus; oportebat implere in Chri-

Digitized by Google

sto quæ de illo scripta erant; illa erant aqua; fecit autem de aqua vinum, cum aperuit eis sensum, et exposuit. Sic enim sapit quod non sapiebat, et inebriat quod non inebriabat. Ut autem dicit *Alcuinus*, ministri sunt doctores Novi Testamenti, qui Scripturas spiritualiter aliis interpretantur. Architriclinus vero est aliquis Legis peritus: ut Nicodemus, Gamaliel, Saulus. Dum ergo talibus Evangelii verbum committitur, quod in littera Legis occultatur, quasi vinum de aqua factum, architriclino propinatur. Et bene in domo nuptiarum tres ordines discumbentium, altitudine inter se distantes, describuntur; quia Ecclesia tribus ordinibus fidelium constat, scilicet: conjugatorum, continentium, et doctorum. Optimum autem vinum Christus usque adhuc conservavit, id est Evangelium suum, usque in sextam ætatem distulit. Sed, aliis propter prolixitatem vitandam omissis de nuptiis tropologicis, propter moralitatem aliquantulum latius videamus.

12 QUID SPIRITUALITER ET MYSTICE? — Spiritualiter ergo in Cana Galilææ fiunt nuptiæ, quando intra sanctam Ecclesiam, sive conversationem bonam, per fervorem, Christo fideles animæ sociantur: Cana enim interpretatur *ζelus*, et significat fervorem dilectionis. Galilæa vero interpretatur *transmigratio facta*: et designat Ecclesiam. Ex qua interpretatione hoc ostenditur, quod illi feliciter ad has spirituales nuptias veniunt, et discumbentes digni Christo sunt, qui fervore dilectionis, et zelo amoris Dei tacti, mala opera respuere et bona amare didicerunt, ac de vitiis ad virtutes, et de statu culpæ ad gratiam, nec non de terreno amore ad cœleste desiderium, et a seipsis in Deum transmigraverunt. In sancta namque Ecclesia, sive in spiritualis vitæ conversatione honesta, respuentes mala, amamus bona; et postponentes transitoria, transmigramus ad æterna. Ad hoc facit, quod illæ eximiæ nuptiæ in Annuntiatione, quando beata Virgo cœli nupsit Architecto, sunt in Galilæa factæ, ad insinuandum quod mens apta nuptiis spiritualibus debet esse in transmigratione. In his nuptiis, Jesus Salvator, id est, qui *populum suum salvat a peccatis eorum*, aquam convertit in vinum, quando convertit impium, et facit pium; quando aufert culpam, et confert gratiam: sed ad preces beatæ Virginis, quæ semper compatitur miseris, implentur hydriæ, et aqua tristitiæ convertitur in vinum consolationis et devotionis æternæ. Sex hydriæ sunt quinque sensus corporis, cum uno simplici sensu animæ: sed hydriæ dicuntur lapideæ, quia sensus nostri ante gratiam obdurati sunt per culpam. Istas hydrias aqua implemus, quando fletu nostræ compunctionis omnes sensus nostros a culpa transacta perfecte lavamus: tali aqua purificantur Judæi, id est veri confessores Christi, qui non tantum confitentur eum voce oris, sed etiam opere manuum, in veritate cordis. Capiunt autem hydriæ metretas binas vel ternas: binas, quando flemus quæ commisimus delectatione et consensu; ternas vero, quando fletibus purgamus, non solum dilectionem pravam et consensum, verum etiam opus malum. Aqua denique in vinum convertitur, quando fletum culpæ jucunditas gratiæ sequitur: vel etiam quando in mente hominis opus Dei, quod laboranti prius non sapit per spiritualem negligentiam, illuminato dulcescit. *Omnis autem homo primum vinum bonum ponit*, quia homines, ea quæ ad vinum bonum pertinent, scilicet delectabila, amant et quæ-

Digitized by Google

runt in præsenti; deinde, quod deterius est, quia amara invenient et recipient in futuro. Sic ergo diabolus primo suggerit aliqua sub specie boni. Et cum quis per complacentiam inebriatus fuerit, tunc, quod deterius est, scilicet enormitates diversas, in peccatis superinducit. Sed Christus non primo vinum bonum ponit, sed in posterum servat, quia a principio amara et dura proponit; quia *arcta est via, quæ ducit ad vitam; et,* ut alibi, *omnes qui pie volunt in Christo vivere,* amaritudines et tribulationes *patiuntur,* sed in futuro, delectationes et gaudia consequuntur: et parva sunt bona, quæ nobis tribuit in præsenti tempore, ad comparationem futurorum, quæ bonis daturus est in æternitate. Bonus medicus nunquam dat bonum et purum vinum infirmo, vel illi qui evasit de infirmitate, quamdiu est debilis, donec perfectam habeat sanitatem; sed dat illi vinum aqua mixtum. Sic homine existente in vita ista, quamvis evaserit infirmitatem peccati, tamen debilis est et potest recidivare, dat Dominus vinum mixtum aqua tribulationis; sed in fine, quando habebit perfectam sanitatem, tunc dabit vinum purum æternæ consolationis.

13 QUÆ SUNT MORALITER SEX HYDRIÆ? — De prædictis hydriis et metretis sic dicit *Bernardus*: « Sex hydriæ positæ sunt his qui post Baptismum in peccata labuntur. Prima hydria, et prima purgatio in compunctione est, de qua legimus: quoniam *si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, omnium iniquitatum ejus, quas operatus est, non recordabor.* Secunda vero confessio est: omnia siquidem in confessione lavantur. Tertia, eleemosynarum largitio: hinc enim habes in Evangelio: *Date eleemosynam, et omnia munda sunt vobis.* Quarta est remissio injuriarum, secundum quod orantes dicimus: *Dimitte nobis debita nostra; sicut et nos dimittimus debitoribus nostris.* Quinta est afflictio corporis, unde exoramus:

Ut mundi per abstinentiam,
Deo canamus gratiam.

Sexta est obedientia præceptorum, sicut audierunt discipuli, quod utinam mereamur audire et nos: *Vos mundi estis, propter sermonem quem locutus sum vobis,* Nimirum quia non erant sicut hi de quibus dicetur: *Sermo meus non capit in vobis;* sed in auditu verbi obedierant ei. Hæ sunt sex hydriæ, positæ in purificationem nostram: et quæ vacuæ sunt et plenæ vento, si pro inani gloria observantur. Aqua replentur, si timore Dei custodiuntur, quoniam timor Domini, fons vitæ. Aqua, inquam, timor Domini est; etsi minus sapida, sed optime refrigerans animam noxiis desideriis æstuantem: aqua est, quæ jacula inimici ignita possit exstinguere. Sed divina virtute aqua mutatur in vinum: quoniam *perfecta charitas, foras mittit timorem.* Dicuntur autem lapideæ hydriæ, non tam propter duritiam, quam propter stabilitatem, capientes singulæ metretas binas vel ternas; duæ metretæ: timor gehennæ incurrendæ, timor gloriæ amittendæ. Sed quia hæc de contingenti futuro sunt, et blandiri sibi potest anima, dicens: Postquam aliquamdiu in voluptatibus tuis vixeris, ages pœnitentiam, ut nec istam perdas, nec illam incurras, bonum est adhiberi et tertium, qui utique spiritualibus notus est, eo utilior quo de præsenti est. Timent qui noverunt spiritualem cibum, nequando forte fraudentur eo. Ipse est panis *An-*

Digitized by Google

gelorum, panis vivus, panis quotidianus. Hic est de quo promissum est, quia centuplum accipiemus in hoc seculo. Sicut enim mercenariis et cibus quotidianus datur in opere, et merces servatur in fine; sic Dominus vitam in fine reddet, et interim centuplum repromittit et exhibet. Quid ergo mirum, si timet ne perdat hanc gratiam, qui jam secutus est eam : hæc est metreta tertia, quam sub distinctione signanter posuit, eo quod non omnium sit, quia nec omnibus centuplum repromittitur. » Et iterum *Bernardus* : « Quæramus ergo mensuras, quas hydriæ capiebant binas aut trinas. Nam et Salvator triplicem nobis aquam apponit; et perfectus omnis erit, qui has tres metretas habere potuerit. Plorat ipse super Lazarum, et super civitatem Jerusalem : hæc est aqua prima. Sudat, imminente Passionis hora; et hæc est secunda, non ab oculis tantum, sed a toto corpore manans, rubea quidem et sanguinea. Tertia vero aqua, una cum sanguine manavit ex ejus latere. Et tu ergo primum habes, si de peccatis compunctus, conscientiæ stratum rigas. Secundam habes, si in sudore vultus tui, pane tuo vescaris, et labore pœnitentiæ corpus tuum castiges. Est autem coloris sanguinei, sive propter laborem, sive propter ipsum concupiscentiæ, quem exstinguit, ignem. Jam vero, si proficere potes usque ad gratiam devotionis, potaberis aqua gratiæ Salvatoris, et Spiritus Sancti, quæ super mel dulcis est, *et fiet in te aquæ fons in vitam æternam salientis* : et memento hanc esse aquam, quæ de latere dormientis procedit, et sine omni molestia fuit. Oportet enim quod jam mundo mortuus sit, qui in hac gratia delectari voluerit. Prima igitur a præteritis delictis abluit conscientiam; secunda, ut futura capias, exstinguit concupiscentiam; tertia vero, si ad eam pervenire merueris, sitientem potat animam : » hæc *Bernardus*.

14 JOANNIS EVANGELISTÆ VOCATIO. — Finito autem convivio, Dominus vocavit Joannem seorsum, et dixit ad eum : Dimitte hanc uxorem, et sequere me. Qui, viso miraculo in ejus nuptiis facto, statim relicta sponsa sua, secutus est Dominum. Et hæc fuit prima vocatio Joannis, qua ad Christi venit familiaritatem et notitiam. Sponsa vero ejus, Anachita nomine, vel, secundum alios, Maria Magdalena, voluntarie, sicut sponsus ejus, cum aliis sanctis mulieribus, Dominum secuta est. Dei enim perfecta sunt opera; et ideo ex quo vocavit unum conjugum, conveniens fuit vocare et alterum. In hoc ergo quod Dominus nuptiis interfuit, carnale matrimonium approbavit; sed in eo quod Joannem de nuptiis vocavit, intelligi aperte dedit, quod longe dignius est spirituale matrimonium, quam carnale. Unde in Ecclesia observatur quod ante copulam carnalem, potest licite alter conjugum intrare religionem.

ORATIO

Domine Jesu Christe, qui die tertia, scilicet tempore gratiæ, ad nuptias, scilicet conjunctionis tui et Ecclesiæ, per carnem venisti, et aquam in vinum convertisti, dum ea quæ in Scriptura veteri carnalia videbantur,

Digitized by Google

spiritualia ostendisti, unde plenæ sunt hydriæ, quia impletæ sunt prophetiæ : Converte, quæso, animam meam frigidam in charitatis tuæ fervorem; insipidam, in suavitatis tuæ saporem; fluxibilem et instabilem, in virtutis et gratiæ tuæ constantiam : mutans aquam totius meæ indevotionis, in vinum fructuosæ compunctionis, quo me miserum semper potare, et inebriare, ac illud tandem in vinum jucunditatis convertere de tua misericordia digneris. Amen.

CAPUT XXVI

De prima ejectione vendentium de templo, et de Nicodemo.

Joannis cap. 2.

1 CHRISTUS DESCENDIT CAPHARNAUM ET POSTEA JEROSOLYMAM ASCENDIT. — Præfato miraculo, in mense januario facto, moram traxit Jesus in Galilæa, usque dum appropinquaret mensis aprilis in quo tunc erat Pascha Judæorum; et tunc, *descendit,* secundum loci situm, de Cana in *Capharnaum,* metropolim Galilææ, *et ipse et Mater ejus;* descenderunt similiter *et fratres ejus,* id est, cognati ejus secundum carnem, scilicet consanguinei Matris vel Joseph, qui pater putabatur : *et discipuli ejus,* qui per eum erudiebantur. Ideo autem Capharnaum, quæ erat metropolis, voluit venire, quia jam inceperat gloriam suam manifestare. *Et ibi manserunt non multis diebus,* quia cives Capharnaum, valde corrupti, non se exhibuerunt devotos ad suscipiendam Christi doctrinam; et quia imminebat tempus eundi in Jerusalem, propter proximum Pascha Judæorum. *Et* quia *prope erat Pascha Judæorum, ascendit Jesus,* cum discipulis suis, *Jerosolymam,* metropolim Judææ, secundum Legis præceptum.

2 EJICIT E TEMPLO VENDENTES ET EMENTES. — *Et invenit in templo vendentes boves, et oves, et columbas, et nummularios sedentes.* Nomine templi non accipitur hic ipsa domus Domini, in qua erat altare thymiamatis et candelabrum; nec atrium sacerdotum, in quo erat altare holocaustorum; sed quoddam atrium ubi homines orabant, et doctores docebant; et ibi vendebantur ea, quæ in templo offerebantur. Et quia de longinquo adduci non poterant, ideo sacerdotes, qui propter cupiditatem diversis adinventionibus populum depauperabant, statuerunt homines qui talia ibi vendebant, ut venientes de longinquo, excusationem de oblationibus dimittendis non haberent. Aliqui etiam advenientium non habebant pecuniam, et ideo statuerant ibi campsores, qui sub cautione tradebant eam : et cum hoc, ultra sortem, recipiebant aliqua munu-

Digitized by Google

scula, non tamen pecuniam, ne arguerentur manifeste facere contra Legem, dando ad usuram. *Et cum fecisset* Jesus *quasi flagellum de funiculo ejecit omnes,* scilicet vendentes, et nummularios, ac *oves et boves,* de templo *et nummulariorum æs,* id est pecuniam, *effudit,* et in diversa sparsit, *et mensas* eorum, quæ erant quasi vasa denariorum, *subvertit,* et dejecit. *Et his qui columbas vendebant, dixit : Auferte ista hinc,* de loco isto, *et nolite facere,* opere vestro, *domum Patris mei,* quæ est domus orationis, *domum negotiationis* et mercationis. Bis legimus Jesum ascendisse Jerosolymam : in Pascha semel, in primo anno prædicationis, ut hic; et iterum illo anno quo passus fuit. Et hic quidem in principio signorum expulit vendentes de templo; sed secundo ad Passionem veniens expulit vendentes et ementes durius agendo, multo quippe major numerus erat ementium quam vendentium, Hic quoque, remissa quadam increpatione, utitur, dicens : *Nolite facere domum patris mei, domum negotiationis;* ibi autem durioribus sermonibus utebatur, dicens : *Nolite facere domum meam speluncam latronum,* etc. Fecit autem *flagellum de funiculis,* quia, secundum *Augustinum,* de peccatis nostris sumit materiam unde nos puniat. Ipsa enim protelatio peccatorum, secundum quod peccata peccatis adduntur, quidam funiculi dicuntur. Unde in Proverbiis dicitur, quod *impius funibus peccatorum suorum constringitur.*

3 MYSTICE, QUID INTELLIGATUR PER OVES, BOVES, COLUMBAS ET NUMMULARIOS? — Mystice, secundum *Alcuinum,* quotidie Deus spiritualiter Ecclesiam suam intrat : et qualiter unusquisque conversetur attendit. Caveamus ergo ne in Ecclesia Dei, fabulis, vel risibus, vel odiis, vel cupiditatibus vacemus; ne improvisus veniens nos flagellet, et de Ecclesia sua nos ejiciat. Secundum *Augustinum,* vendentes in Ecclesia sunt, qui *quæ sua sunt quærunt, non quæ Jesu Christi :* venale totum habent, quia redimi volunt. Et nota quod per oves innocentes, quæ suo vellere vestiendis præbent opera munditiæ et pietatis, signantur quæ venduntur, dum pro laude humana sub hypocrisi et in vestibus ovium geruntur. Hypocritæ namque mentem lupinam habent sub ovina pelle. Per boves qui arant, prædicatores cœlestis doctrinæ significantur; quos vendunt, qui non amore Dei, sed pro quæstu temporali prædicant. Per boves etiam, qui laboriosi sunt signari possunt illi qui magnos labores sustinent pro divinis, ut per hoc in Ecclesia valeant promoveri. Columbas vendunt qui acceptam Spiritus Sancti gratiam, quæ per columbam accipitur, non gratis, sed ad præmium dant : etsi non ad quæstum pecuniæ, ad vulgi tamen favorem tribuunt; non ad vitæ meritum, sed ad gratiam largiuntur. Nummos mutuo in Ecclesia dant, qui non simulate cœlestibus, sed a parte terrenis rebus in Ecclesia deserviunt : *et sua, non quæ Jesu, quærunt.* Domum etiam Domini domum negotiationis faciunt non solum hi, sed etiam qui gradum vel gratiam spiritualem, quam in Ecclesia perceperunt, non simplici intentione, sed causa humanæ retributionis, exercent. Omnes istos ejecit de templo Christus, signans quod sunt exclusi de templo gloriæ sanctæ Dei. Qui ergo nolunt de Ecclesia et de domo cœlesti, veniente Domino, auferri, auferant ista de actibus suis; et ab avaritiæ et simoniæ cessent negotiis; ejiciuntur enim de parte sortis Sanctorum, qui inter Sanctos positi, vel ficte bona, vel aperte mala faciunt; et fu-

Digitized by Google

niculis peccatorum modo flagellantur ad correctionem : quibus incorrecti, in fine ligabuntur ad damnationem. Posuit autem Dominus remedium et operis, et verbi : ut doceret eos, qui curam habent Ecclesiæ, subditos facto et verbo debere corrigere. Si igitur in figurali templo, etiam in atrio ejus, quod est domus orationis, prohibet negotiationem, quæ honesta putatur, cum sit de his quæ in templo offeruntur; multo magis prohibet comessationes, potationes, risus, lites, vaniloquium, et hujusmodi fieri in Ecclesia Dei. Ergo cum omnis Christi actio nobis debeat esse lex et præceptio, non licet candelas, vel alias merces, etiam Domino offerendas, in ecclesia vendi; nec aliquod officium, nisi merum ecclesiasticum, exerceri.

4 De Zelo. — *Recordati vero sunt discipuli ejus, quia scriptum est* in Psalmista de Christo : *Zelus domus tuæ comedit me,* id est, accendit. Ex Christi enim facto recordati sunt Scripturæ illius, et impletionis ejus in Christo. Bonus zelus est animi fervor in bonum : quo mens, relicto et abjecto humano timore, pro defensione veritatis accenditur. Unde *Augustinus :* « Fratres, unusquisque Christianus in membris Christi zelo domus Dei comedatur. Quis comeditur zelo domus Dei? Qui omnia quæ forte ibi videt perversa, satagit corrigi, cupit emendari, et non quiescit. Si emendare non potes, tolera, geme, suspira, sustine paleam; verbi gratia, vides fratrem currere ad theatrum? Prohibe, mone, contristare; sic zelus domus Domini comedit te. Vides alios currere, et inebriari velle? Prohibe quos potes, tene quos potes, terre quos potes; quibus non potes, blandire, noli acquiescere. Si autem fueris frigidus et marcidus, ad te solum exspectans, et quasi tibi sufficiens, dixeris in corde tuo : Quid mihi est curare aliena peccata? Sufficit mihi anima mea, ut ipsam integram servem Deo! Eia, non venit tibi in mentem servus ille, qui abscondit talentum, et noluit erogare? Numquid enim accusatus est quia perdidit, et non quia sine lucro servavit? Sic ergo audite, fratres mei, ut non quiescatis. Nolite quiescere lucrari Christo, quia lucrati estis a Christo : » hæc *Augustinus.* Ubi sciendum quod zelus dicit quamdam intensionem amoris, quo immense Deum diligens nihil sustinet, quod amori suo repugnet. Ille igitur proprie zelum Dei habet, qui nihil patienter sustinere potest contra honorem Dei, quem maxime diligit. Nos autem debemus diligere domum Dei, in tantum quod zelus ejus nos comedat. Cum si quid contrarii fieri videmus, studemus etiam quantumcunque cari nostri sunt qui hæc faciunt, removere; nec timemus propter hoc aliqua mala perpeti. Attendendum est autem quanti meriti sit zelus domus Domini, et generaliter omnis zelus bonus, cujus actum inter prima opera Christus ostendit, cujus merito Phinees pactum sempiterni sacerdotii accepit, cujus fervore Mathathias Legem defendit, cujus igne succensus Elias prophetas Baal interfecit.

5 Signa petunt Judæi. — *Et dixerunt ei Judæi : Quod signum ostendis nobis quia hæc facis?* id est, quia cum tanta auctoritate et potestate non expellis, non videtur hoc tui officii esse, nec credimus tibi licere : ergo ostende nobis signum quo credamus. Quamvis enim factum esset bonum de se, non tamen pertinebat ad quemlibet hoc facere, sed solum ad eum qui haberet auctoritatem corrigendi excessus sacerdotum; quod non conveniebat alicui de communi populo,

Digitized by Google

cum sacerdotes essent superiores in populo illo; sed Prophetæ quandoque mittebantur ad hoc specialiter a Deo. Cum ergo Christus non esset filius Aaron, et per consequens nec Pontifex secundum Legem, nec esset Rex in conspectu populi, non apparebat eis quare sic auctoritative ejiceret eos, mensasque subverteret, nisi divina auctoritate Propheta magnus missus esset; et ideo petierunt signum missionis suæ, non ausi manus in eum injicere. Signum petunt, ut suæ potentiæ fidem capiant; familiare enim erat Judæis signa quærere, utpote per ea ad Legem et fidem vocati. Quærebant autem nunc signum, non ut crederent et venerarentur, sed quasi desperantes quod signum ostendere non posset, et sic eum deriderent et impugnarent : quod ex hoc patet, quia statim dictum suum impugnaverunt.

6 Ipsis in figura Christus prædicit sui corporis resurrectionem. — Dedit ergo eis signum potestatis divinæ, in suscitatione corporis sui, propria virtute; et quia prave quærebant, non dedit eis signum apertum, sed occultum, et in figura de sua resurrectione : quia digni non erant, ut prædiceret eis resurrectionem sui corporis manifeste. Unde *respondit et dixit eis : Solvite templum hoc, et in tribus diebus excitabo illud.* Hoc autem dicebat spiritualiter de templo corporis sui, scilicet intransitive, hoc est de templo quod est corpus suum, loquendo de corpore suo sub nomine templi; quia humanitas Christi erat speciale habitaculum ipsius Dei. Templum enim dicitur, in quo Deus inhabitat : et quia in corpore Christi divinitas inhabitat, ideo corpus Christi templum Dei, non solùm secundum animam, sed etiam secundum corpus, dicitur. Nec dicebat hoc, imperando, vel consulendo, vel hortando; sed id quod facturi erant prædicendo et denuntiando : non enim est verbum inductivum ad hoc faciendum, cum fuit simpliciter malum ex parte Judæorum. Christus autem non poterat inducere ad malum; sed est verbum denuntiativum ejus quod erat per ipsos fiendum, quo hoc quod affectabant demonstrat non esse absconditum. Quasi diceret : *Solvite,* id est, solvetis; quia in Passione Christi anima fuit soluta a corpore, et sanguis a carne, et continuitas membrorum in fixione clavorum et lanceæ : *et* ego virtute in me latentis divinitatis *excitabo,* quasi a somno, *illud* templum per vos dissolutum. Dedit ergo eis signum resurrectionis futurum, quia in hoc maximè potentia et virtus divinitatis ejus ostenditur : non enim puri hominis est, ut se a mortuis excitaret, sed solus Christus qui *inter mortuos liber* fuit, hoc potentia ut virtute divinitatis suæ fecit. Hoc etiam fuit signum pœnitentiæ et remissionis, quod solum peccatoribus competebat. Et quia dedit eis signum in figura, vocans corpus suum templum; ideo illi carnales hoc non intelligentes, sed de inanimato templo eum hoc dicere putantes, deridebant eum, et volebant arguere dictum suum per materiale templum, dicentes : *Quadraginta et sex annis ædificatum est templum hoc,* id est reædificatum, *et tu, in tribus diebus excitabis illud?* Hoc dixerunt deridendo, quasi esset impossibile, et multo plus derisissent, si resurrectionem sui corporis manifeste prædixisset; quia difficilius est resuscitare mortuum, quam ædificare tale templum. Et non loquuntur de templo facto per Salomonem, quia illud fuit ædificatum in septem annis, et perfectum, et postea per Nabuchodonosor destructum; sed loquuntur de templo reædificato per Zorobabel et Ne-

Digitized by Google

hemiam, post captivitatem Babylonicam, quod factum fuit in quadraginta sex annis, antequam compleretur, inimicis prohibentibus; quia Judæi impediebantur in ædificatione templi a nationibus in circuitu eorum existentibus.

7 SIGNORUM MAXIMUM EJECTIO VENDENTIUM DE TEMPLO. — *Multi* autem tunc *crediderunt*, id est credere inceperunt, *in nomine ejus*, id est in suæ divinitatis notamine, cujus notam fecit per signa : et ideo sequitur, *videntes signa quæ faciebat.* Unde patet quod in fide adhuc confirmati non fuerunt; quia magis signis, quam ex devotione crediderunt. *Jesus autem non credebat se eis, eo quod ipse nosset omnes, et quid esset in homine.* Scire enim ea quæ sunt in corde hominum, solius Dei est, qui solus corda plasmavit : et ideo scivit quod instabiles erant, et in tempore tentationis recederent. Quapropter, ut dicit *Beda*, monemur ut nunquam de nostra conscientia securi simus, sed semper solliciti formidemus; quia quod nos latet, æternum Arbitrum latere non valet. Dubitatur hic quænam signa viderunt facta a Jesu, cum nullum legamus eum tunc signum fecisse in Jerusalem. Ad quod potest dici uno modo, quod multa signa facta sunt ibi tunc a Jesu, quæ hic non habentur. Nam Evangelistæ multa scienter prætermiserunt de miraculis Christi, cum tot fecerit, quod non possent scribi de facili. Alio modo, quia inter cetera miracula potest maximum reputari signum, quod cum flagello uno Jesus de templo solus, et parum adhuc reputatus, ejecerit multitudinem hominum. Divina quidem virtus in illo facto operabatur, quæ apparebat in effectu cum volebat. Corpus enim Christi erat instrumentum divinitati conjunctum; et ideo quidam fulgor radiosus et mirabilis egrediebatur de vultu et oculis ejus, virtute divina eos deterrens : quo territi sacerdotes et Levitæ, et alii, non audebant, nec poterant ei resistere. Sicut et in Passione, vox illa divinitatis quodammodo instrumentum erat, quo magnam armatorum multitudinem legitur prostravisse. Unde *Hieronymus* in Matthæo, de secunda ejectione sic habet : « Plurimique arbitramur maxima esse signorum, quod Lazarus suscitatus est, quod cæcus ex utero lumen accepit, quod in Jordane vox audita sit Patris, quod transfiguratus in monte gloriam ostendit triumphantis; mihi autem, inter omnia signa quæ fecit Dominus, hoc videtur esse mirabilius, quod unus homo et illo tempore contemptibilis, et in tantum vilis, ut postea crucifigeretur, Scribis et Pharisæis contra se sævientibus, et videntibus lucra sua destrui, potuerit ad unius flagelli verbera tantam ejicere multitudinem, mensasque subvertere, et confringere cathedras, et talia facere quæ infinitus non fecisset exercitus. Igneum enim quoddam atque sidereum radiabat ex oculis ejus, et divinitatis majestas lucebat in facie : » hæc *Hieronymus.*

8 QUO SENSU MULTI TUNC CREDIDERUNT IN CHRISTUM. — De his autem qui crediderunt in nomine ejus, est sciendum quod, secundum *Augustinum*, illi credunt in nomine ejus, qui solum propter signa credunt et adhærent nomini ejus, qui nondum sacramentum Baptismi perceperunt, velut catechumeni, hoc est instructi : et quia plenam fidem, ut oportet, non habent in Christum et ejus sacramenta, ideo adhuc *non credit se eis*, quia Ecclesia non dat eis corpus Christi. Quod quidem corpus, sicut conficere non potest, nisi sacerdos consecratus; ita nullus sumere debet, nisi baptizatus. Et, secundum *Chrysostomum*, isti qui

Digitized by Google

propter signa *credebant in nomine ejus,* non firmiter nec perfecte credebant in eum, et ideo non confidebant in eis, sicut in discipulis perfecte et firmiter credentibus; nec recipiebat eos ad perfectionem et convictum, ut cum eo inseparabiliter habitarent; nec omnia sua dogmata et secreta eis committebat; nec eis altiora mysteria fidei revelabat, quia horum credulitas non erat ex fide firma, sed ex suspicione quam de Christo receperant propter signa; nec æstimabant eum Deum, sed hominem a Deo missum doctorem veritatis. Et ideo signanter Evangelista, ut ostendat eos imperfecte credere, non dicit quod crederent in eum, quia nondum credebant in ejus divinitatem; sed dicit in nomine ejus, id est illud quod de eo nomine tenus dicebatur, scilicet quod justus, et hujuscemodi.

9 NICODEMUM NOCTU AD SE VENIENTEM CHRISTUS DOCET REGENERATIONIS NECESSITATEM. — Unde *Nicodemus,* inter istos *princeps,* ac unus *ex Pharisæis,* et principibus, seu magistris Judæorum, quia in tenebris hujus erroris erat, *nocte ad Jesum,* et ad lucem venire perhibetur. Ipse quidem in tenebris erat, non lux, quia non renatus. Et ideo nocte ad lucem venit, quia illuminari volebat; præ timore quoque populi, quem offendere metuit, cum esset unus de rectoribus (quia tunc populus per doctores et sacerdotes gubernabatur) in palam venire et sciri non audebat, ne de synagoga expelleretur: præ verecundia etiam palam addiscendi, quia magister in Israel erat, secrete, et extra turbam aliorum docendus, ad Jesum solus venit, ut ab ipso plenius instrueretur. In hoc etiam quod *nocte venit,* a studio et diligentia inquisitionis commendatur, et secretum significabat quod extra scriptum discere veritatem volebat. Unde *Beda*: «Hic *venit ad Jesum nocte,* cupiens secreta ejus allocutione discere mysteria fidei, cujus aperta ostensione jam rudimentum perceperat:» hæc *Beda.* Et quia prudenter aperta et manifesta signa notavit, plenius fidei mysteria requirit. Et ideo de his quæ ad fidem pertinent doceri meruit. Instruxit enim eum Dominus de secunda et spirituali generatione, seu nativitate, scilicet de Baptismo, et de introitu regni Dei, ac de sua divinitate, et utraque nativitate; de passione quoque sua, ac resurrectione, et ascensione, necnon de utroque adventu, et pluribus aliis ad salutem necessariis. Unde congruenter hoc evangelium in festo Trinitatis legitur, quia in eo de Baptismo dicitur, qui in nomine Trinitatis confertur. Hoc quippe sacramentum Baptismatis est necessitatis, et ideo oportet quod habeatur in re, si est possibile; vel in voto, quoad præoccupatos. Nam ubi contemptus in aliquo, Baptismum aquæ excludit; neque flaminis, neque sanguinis Baptismus prodest ei ad vitam æternam, quia non potest introire in regnum Dei; homines namque non ascendunt illuc, nisi in quantum efficiuntur membra Christi. Per generationem autem spiritualem, uniuntur sibi, et membra ejus fiunt, et sic virtute ipsius ascendunt. *Nemo enim ascendit,* id est, ascendere poterit, *in cœlum,* propria virtute, *nisi qui descendit de cœlo* non per motum localem cœlum dimittendo, sed carnem de novo sibi uniendo; quia omnis qui ascendit, virtute ipsius ascendit, et ipse solus per suam virtutem propriam ascendit. Si autem hic objicitur, quod plures Veteris Testamenti salvati sunt sine Baptismo, dicendum quod non erat in præcepto; consecuti sunt tamen spiritualem vitam, per gratiam in fide Christi venturi, et sic habuerunt rem Baptismi, habuerunt ipsum etiam in figura, in aliquo correspon

Digitized by Google

dente, per quod tollebatur peccatum originale.

10 IPSUM ITEM INSTRUIT DE MYSTERIO SANCTISSIMÆ TRINITATIS. — Ideo etiam hoc evangelium in festo Trinitatis legitur, quia in eo quælibet personarum aperte exprimitur. Nam persona Filii est, quæ loquitur; persona Patris exprimitur, cum dicitur : *Scimus quia a Deo venisti;* persona Spiritus Sancti, cum dicitur : *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest intrare in regnum cœlorum.* Exprimuntur autem personæ divinæ, cum suis appropriatis. Exprimitur enim persona Patris, cum sua potentia, cum dicitur : *Nemo potest hæc signa facere, quæ tu facis, nisi fuerit Deus cum eo;* signa enim facere divinæ potentiæ est. Exprimitur persona Filii, cum sua sapientia, cum dicitur : *Scimus quia a Deo venisti, Magister ;* ad magistrum enim spectat sapientiam docere. Exprimitur persona Spiritus Sancti, cum sua bonitate, cum dicitur : *Spiritus, ubi vult, spirat;* non enim nostris meritis, sed ex sua gratuita bonitate, se nobis infundit. Quamvis enim Pater et Filius et Spiritus Sanctus habeant eamdem potentiam, sapientiam, et bonitatem; tamen quia apud nos nomen Patris, propter antiquitatem, importat impotentiam; ne simplices hoc crederent de Patre cœlesti, attribuitur sibi potentia. Similiter nomen Filii apud nos, propter juventutem, importat imperitiam; ideo ne de Filio Dei hoc credatur, attribuitur sibi sapientia. Similiter nomen Spiritus Sancti apud nos importat quemdam furorem, juxta illud Isaiæ : *Quiescite ab homine, cujus spiritus in naribus ejus est;* ideo ne de Spiritu Sancto hoc credatur, attribuitur sibi bonitas. Fides et confessio sanctæ Trinitatis, si eam devote receperimus, valet, inter cetera, ad tribulationum propulsionem. Nam, sicut ait *Joannes Damascenus*, cum apud Constantinopolim pestilentia gravis esset, quidam puer de medio populi, in cœlum raptus, canticum sanctæ Trinitatis, scilicet : Sancte Deus, Sancte fortis, Sancte et misericors Salvator, miserere nobis, ab Angelis est edoctus : quod, cum rediens, coram populo decantasset, mox omnis pestilentia est fugata.

11 QUID MORALITER NICODEMUS SIGNIFICET ? — Per Nicodemum qui venit ad Jesum, ut de pertinentibus ad fidem plenius eruditetur, significatur discipulus humilis et diligens, qui venit ad doctorem, ut ab ipso instruatur : qui debet eum dulciter recipere, exemplo Christi, qui Nicodemum dulciter recepit, ac mansuete valde, et cum quiete ei loquebatur. Quod est contra irascentes, qui furiose et cum clamore frequenter loquuntur ; contra quos est remedium utile, molliter et sine clamore respondere, secundum illud Sapientis : *Responsio mollis frangit iram; sermo durus suscitat furorem.* Etenim, secundum *Chrysostomum*, si famuli, cum adversus eos irascimur, portant humiliter et cum silentio contumeliam, propter timorem nostrum, qua venia digni erimus, aut quam excusationem habebimus nos, qui propter Dei timorem aliquid ferre non possumus, magis autem nolumus!

ORATIO

Tu, Domine universorum, qui nullam habens indigentiam, voluisti templum tuum fieri in nobis : ejice a corde et corpore meo omnia offendi-

Digitized by Google

cula et tibi displicentia, mundans me ab omnibus inquinamentis, et maculis mentis et corporis, et fac de me tibi templum gratum et idoneum, in quo habitare delecteris tu, cujus deliciæ sunt esse cum filiis hominum. O Sapientia, quæ ex ore Altissimi prodiisti, et Magister qui a Deo venisti, doce me, quæso, a malo declinare et bonum facere, terrena despicere et cœlestia amare, ut veterem hominem eum suis actibus exuens et novum induens, quasi de novo natus regnum tuum introire merear, et videre. Amen.

CAPUT XXVII

De incarceratione Joannis Baptistæ.

Joannis cap. 3 et Marci cap. 6.

1 CHRISTUS ET DISCIPULI EJUS BAPTIZANT. — Post hæc, scilicet completis diebus festis in Jerusalem, quæ est in una parte Judææ, *venit Jesus cum discipulis suis*, et credentibus, in aliam partem Judææ, scilicet in Jordanem, quæ a sorte Judæ, vel a regno duarum tribuum, Judæa dicebatur. A tribu enim Judæ, quæ erat principalis et regia terra, ubi habitaverunt filii Israel, nominata est Judæa : *et illic demorabatur*, et per suos discipulos *baptizabat*, multique fiebant credentes et discipuli ejus. Judæa interpretatur *confessio*, ad quam venit Jesus, quia Christus confitentes, vel sua peccata, vel divinam laudem, visitat; *et illic demoratur*, quia tales non transitorie visitat, *et illic baptizat*, id est a peccatis purgat. Unde *Alcuinus* : « Per Judæam quippe signantur confitentes, quos visitat Christus; ubi enim est peccatorum confessio, vel divinarum laudum, illuc venit Jesus et discipuli ejus, hoc est doctrina et illuminatio ejus, et ibi moratur, purgando a delictis et vitiis per Baptismum Sancti Spiritus. » Secundum *Augustinum*, Christus primo baptizavit discipulos aqua et Spiritu Sancto, postea officium baptizandi eodem Baptismate discipulis reliquit, intentus prædicationi et doctrinæ. Sicut et Apostolus Paulus paucos per se baptizavit, ut posset prædicationi fidelius intendere. Postea ergo soli discipuli Jesu baptizabant, eo interim circa altiora docenda occupato. In quo dedit exemplum prælatis Ecclesiæ committendi ea quæ per inferiores possunt commode fieri, ut ipsi liberius possint in altioribus exerceri. Et quamvis Jesus tunc non baptizaret manibus suis, et ministerium exhibendo, sed discipuli ejus; baptizabat tamen præsentia majestatis. Ipsius enim erat Baptismi sacramentum, et ad discipulos pertinebat ministerium. Hic est enim qui baptizat : ergo adhuc Jesus baptizat, et quousque baptizandi sumus, Jesus baptizat. Unde *Augustinus* : « Utrumque verum est,

Digitized by Google

quia Jesus et baptizabat, et non baptizabat : baptizabat enim, quia ipse mundabat; non baptizabat, quia ipse non tingebat; præbebant discipuli ministerium corporis, præbebat ille adjutorium majestatis, de quo dictum est : *hic est qui baptizat*, etc. »

2 Discipulorum Joannis murmuratio. — *Joannes autem baptizabat in Ænon, juxta Salem*, oppidum prope Jordanem situm, *quia aquæ multæ illic erant*, quod est etiam interpretatio ejus quod dicitur in Ænon. Ænos enim Hebraice, dicitur *aqua* Latine. Et dicunt aliqui, quod hoc oppidum, alio nomine vocetur Salem, et sit locus ubi regnavit Melchisedech, sed hoc est falsum : quia Salem, ubi regnavit Melchisedech, idem est quod Jerusalem. Nam ipsam ædificavit Melchisedech, et primo dicta est Salem, id est *pacifica*, ex conditione Regis, qui regnavit in pace. Postea dicta est Jerusalem, a tempore quo Abraham voluit ibi offerre filium suum, quia locum illum appellavit *Dominus videt*. Et ita Jerusalem interpretatur *visio pacis*, quia cum prima interpretatione addita est *visio*. Mittebat autem Joannes ad Jesum baptizari eos qui veniebant ad eum; sed non mittebantur ad Joannem venientes ad Jesum. Sicut ante Baptismum Christi, Joannes baptizabat in nomine Christi venturi; sic post Baptismum Christi, illos quos baptizabat, ad Christum mittebat; sic et suum testimonium de Christo confirmabat. Et exinde turbati, et invidia moti, discipuli Joannis, et indiscrete zelantes pro magistro suo, volentesque præferre baptismum ejus Christi Baptismo, murmurabant quod magistri sui gloriam zelabat, quia videbatur eis quod magistri sui et baptismi ejus auctoritatem minueret. Et *facta est quæstio*, et controversia, *de purificatione*, id est Baptismo, *a discipulis Joannis*, defendentibus magistri sui baptismum, et putantibus eum majorem Christo, quem viderant a Joanne, quasi majore, baptizatum; *cum Judæis*, id est Christi discipulis, et aliis ad Christi Baptismum venientibus, et magis ad ipsum, propter miracula currentibus et dicentibus majorem esse Christum, et ad ejus deberi concurri Baptismum tanquam ad Baptismum meliorem, quia Joannes mittebat quos baptizabat ad Jesum, non Jesus mittebat quos baptizabat ad Joannem.

3 Interrogatus ab eis Joannes respondit oportere Christum crescere, se autem minui. — Et hæc quæstio ad Joannem per suos discipulos est delata, et querimonia de Christo facta quod baptizaret, et plures ad eum quam ad Joannem currerent, unde zelo indiscreto moti *dixerunt ei, Rabbi*, cum sis excellenter magister omnium, et magistri debeas habere gloriam, *qui erat tecum*, sicut cum principaliori *trans Jordanem*, ubi eum quasi discipulum baptizasti, et sic beneficium ei præstitisti, *cui tu testimonium perhibuisti*, id est quem tu clarum ostendisti, et sic magnum honorem impendisti; *ecce hic*, a te separans nunc *baptizat*, et eadem tibi audens, tuum officium usurpat; unde valde miramur, *et omnes ad eum*, et ad ipsius Baptismum *veniunt*, et te qui eum baptizasti dimittunt. Quasi dicerent : Nos deserimur, hic raritas est; ad illum turbæ concurrunt, de te non curatur, et sic gloria tibi subripitur. Nonne prohiberi debent, ut ad te potius veniant? Ubi *Chrysostomus* : « Ipse quidem non baptizabat, sed nuntii volentes erigere eos qui audiebant in invidiam, ita annuntiaverunt, quia omnium malorum causa est vana gloria. Hæc enim eos zelotypia duxit, neque ad

Digitized by Google

malitiam solam impellit captos; sed et virtutibus obstat, labores quidem sustinere cogens, fructibus vero privans : » hæc *Chrysostomus*. Joannes autem æmulationem et invidiam discipulorum sedare volens, Christum commendabat, et excelsa de eo prædicabat, seque non Christum, sed ejus nuntium, nec Sponsum Ecclesiæ, sed Sponsi amicum esse dicebat; et quod illum oporteret crescere et exaltari, non in se, sed quantum ad alios, fama et auctoritate, in quantum ejus virtus per miracula et opera magis et magis inciperet eis innotescere; ipsum autem minui et humiliari in re vera, et quoad populum in fama, sicut lucifer minuitur in claritate quoad apparentiam, oriente sole, et auctoritas præconis, adveniente judice, et officium legati, adveniente principe. In æstimatione quippe populi et Christus crevit, quia agnitus est quod erat, et inventus est esse Christus, qui putabatur tantum propheta; et Joannes decrevit, quia cessavit dici quod non erat, et inventus est ejus propheta, qui putabatur Christus, cui attestatur quod Joannes natus est decrescentibus diebus, Christus crescentibus; et quod Joannes capite minuitur, Christus in cruce extenditur. — Moraliter autem hoc debet esse in uno quoque nostrum, quia oportet illum, scilicet Christum, in te crescere, ut scilicet in ejus proficias cognitione et amore, quia in quantum magis eum potes cognoscendo et amando percipere, tanto magis Christus crescit in te, sicut qui magis proficit in videndo unam et eamdem lucem, reputat lucem illam magis crescere : et hoc oportet homines sic proficientes minui in sui reputatione, quia quanto plus homo cognoscit de altitudine divina, tanto minorem reputat parvitatem et humilitatem.

4 Qui sint discipulis Joannis similes? — Discipulis Joannis pro magistro suo indiscrete zelantibus, et de Christo querimoniam facientibus, similes sunt multi etiam religiosi, qui magis adhærent quibusdam opinionibus, pro eo quod sunt opiniones illorum quos magis diligunt, quam pro ipsa veritate quam relinquunt : cum dicat philosophus, quod duobus existentibus amicis, sanctum est præhonorare veritatem. Et *Plato* dixit de Socrate magistro suo : « Amicus quidem Socrates, sed magis amica veritas. » Per hoc autem quod eosdem discipulos suos reprehendit, informantur doctores boni, ut tales adulationes non recipiant, sed magis repellant. Considerent etiam hic qui detractores libenter audiunt, et contra eos quibus detrahitur subito sæviunt, quomodo Joannes discipulos Christo detrahentes statim compescuit, Christum laudibus extollendo, et se humiliando; et exemplo ejus detractores compescant de se humiliter sentiendo, et detractos laudando, ipsosque detractores fortiter reprehendant, et eis malum vultum ostendant. Quia, ut dicit Sapiens : *Ventus Aquilo dissipat pluvias; et facies tristis linguam detrahentem.*

5 Joannis incarceratio ejusque occasiones. — *In illo tempore,* dum hæc agerentur, et cum Joannes uno anno et tribus mensibus prædicasset, et arguens Herodem, plurimos convertisset, *misit Herodes* Tetrarcha, ministros, *ac tenuit,* et cepit Joannem per eos; et vinxit, seu *ligavit eum,* qui libere prædicaverat Dei verbum, et ad se in Galilæa adductum, *posuit,* seu poni fecit, *in carcere, propter Herodiadem,* quam fratri suo abstulerat, et sibi copulaverat illicite; quia, secundum Legem quam acceperat, non liceret sibi habere uxorem fratris sui, eo vi-

Digitized by Google

vente. Sic diabolus spiritualiter tenet per delectationem, alligat per consensum, incarcerat per consuetudinem, propter animam a vero Sponso Christo separatam, et alii copulatam. Proselytus quippe fuit Herodes, et circumcisionem receperat, ut magis acceptus Judæis esset, et regnare super eos posset. Ideoque ad Legem Moysis tenebatur in hoc, sicut ceteri : et propter legis quoque naturalis honestatem, non licebat fratri revelare turpitudinem fratris sui : ducendo, etiam eo mortuo, ejus uxorem, nisi ad suscitandum ei semen. Unde *Joannes*, tanquam testis et defensor veritatis, *dicebat*, Herodi : *Non licet tibi habere uxorem fratris tui.* In quo virtus et constantia Joannis ostenditur, qui maluit apud Herodem periclitari, quam propter adulationem immemor esse præceptorum Dei. Quod enim venerat in spiritu et virtute, arguit Herodem et Herodiadem, sicut Elias, Achab et Jezabel. Non omisit dicere veritatem, propter Herodis potestatem, vel Herodiadis insidiationem, dans in hoc exemplum prædicatoribus Evangelii, ut propter talia non omittant constantiam prædicandi veritatem. Primo ergo Herodes Joannem incarceravit, ex eo quod ipsum reprehendebat de Herodiade, quam fratri abstulerat, et ideo ad suggestionem Herodiadis ipsum in vinculis posuit. — Secundo, ex eo quod justitiam et Baptismum prædicabat, et ideo multus populus ad Joannem ob baptismum et prædicationem undique confluebat. Et timens Herodes ne sui populi, Joannem sequentis, dispendium haberet, et ob verba Joannis, populo, cum esset alienigena, exosus fieret, eumque a regno ob incestum pelleret, Joannem hinc tenuit, et vinctum posuit in carcere, non ausus eum statim interficere.— Tertio, ex eo quod Joannes quemdam magnum regem post se venturum prædicabat; et cum Romani ordinassent ne aliquis sine senatus auctoritate rex nominaretur, offensam Cæsaris timuit, et ideo ipsum incarceravit. — Et insuper propter hoc est captus et incarceratus, quia Pharisæi, propter invidiam de prædicatione Joannis turbati, suaserant Herodi ut caperet eum, incitantes Herodem ad ejus mortem.

6 Insidiæ Herodiadis occidere Joannem volentis. — *Herodias autem*, adultera, *insidiabatur ei* : timebat enim ne Herodes, ad prædicationem Joannis de peccato suo pœniteret, et eam marito suo redderet, qui eam forte occideret; et ideo volens Joannem occidere, mortem ejus quærebat, sed quonam facto id aggreddi posset invenire non poterat. *Herodes enim metuebat Joannem*, cum reverendo timore mundano vel humano, *sciens eum virum justum*, quoad homines, *et sanctum*, quoad Deum, *et custodiebat eum*, ne ab Herodiade occideretur, et ex hoc ipse Herodes damnum et periculum pateretur : solo enim metu, ab interfectione Joannis tenebatur, quia propter sanctitatem ejus, quæ erat nota toto populo, timebat si eum interficeret, ne totus populus contra eum insurgeret; quia omnes Joannem Prophetam sanctum reputabant. *Et audito eo, multa*, scilicet quædam parva, non principalia, *faciebat*, simulatorie, non ex veritate, *et libenter eum audiebat*, scilicet simulatorie, id est audire simulabat : totum enim istud erat simulatorium, ut ex tali auditu et obtemperatione, in aliquibus retineret populum a rebellione contra ipsum. Herodes populum et seditionem ejus timebat; sed amor mulieris superabat, pro quo etiam Deum postponebat, quia Deum in causa non habebat. « Nam, secundum *Chrysostomum*, facile deviat a justi-

Digitized by Google

tia, qui in causis non Deum, sed hominem formidat. Timor enim Dei corrigit; timor autem hominum peccandi differt facultatem, et operationem non aufert, sed retinet voluntatem, donec habeat opportunitatem vel occasionem : unde et quos suspendit à crimine, avidiores reddit ad crimen, et æstuat animo, quousque perficiat ad malum cogitata. Solius enim Dei est timor qui nocentes corrigit, fugat crimina, innocentiam tribuit, perpetem confert facultatem : » hæc *Chrysostomus*. Iste qui Joannem tenuit et ligavit in carcere, eo quod de malis suis eum arguebat charitative, et qui similia faciunt, similes sunt phreneticis, qui pium medicum percutere vel occidere quærunt.

7 De tolerandis malis hominibus. — Considera nunc quomodo Joannes magis volebat Deo, quam hominibus placere, magisque timebat Deum quam homines offendere; ejusque exemplo semper ad Deum magis quam ad homines aspiciendo, in omnibus Dei beneplacitum facias, et ab ejus offensa omnimode abstineas. Unde *Chrysostomus* : « Cum a perniciosis quid patimur hominibus, ad principem nostrum consideremus, et *consummatorem fidei*, et quoniam a malis hominibus, et quoniam propter veritatem, et quoniam propter eum. Si enim hoc excogitaverimus, omnia facilia erunt et portabilia. Si enim pro amabilibus qui patiens gloriatur, et propter Deum, si patiatur quidquam, suscipiet sensum. Si enim ipse rem reprobabilissimam, videlicet crucem, gloriam vocabat, multo magis nos ita disponi oportet. Oportet ergo cum debemus quid pâti indelectabile, non labores, sed coronas excogitare : et si malum quid delectabile appareat, excogitare quoniam Deus non vult, et indelectabile confestim apparebit; si enim hominum timor avertit ab inconvenientibus rebus, multo magis Christi dilectio : » hæc *Chrysostomus*.

ORATIO

Domine Jesu Christe, Magister bone, doce me veritatem vitæ, justitiæ et doctrinæ, cordis oris et operis, propter metum, vel favorem humanum, seu mundanum non omittere : ne teneritudo carnalis timoris vel amoris valeat in me perfectionem spiritualis dilectionis impedire. Et quoniam propter peccatum primorum parentum vis irascibilis nostra contraxit debilitatem, rationabilis caliginem, et concupiscibilis ad malum pronitatem, da mihi Paracletum defensorem contra persecutiones; illuminatorem contra errores; inflammatorem contra concupiscentiam, ut in omnibus valeam beneplacitum tuum facere, et ab offensa tua abstinere. Amen.

Digitized by Google

CAPUT XXVIII

De initio publicæ prædicationis Domini Jesu.

Matthæi cap. 4.

1 CUR CHRISTUS FUGIT HERODEM ET IN GALILÆAM SECESSIT? — *Cum autem Jesus audisset quod Joannes traditus esset,* secundum *Chrysostomum,* sine dubio a Deo, quia in unum sanctum nemo potest aliquid, nisi tradiderit eum Deus; et cognovisset per intimationem sibi factam, quia audierunt Pharisæi, quod plures faceret discipulos et baptizaret, quam Joannes, et inde contra eum invidiam ceperunt majorem (quamquam Jesus non baptizaret tunc per semetipsum exteriori tinctione corporum, sed discipuli ejus, quos tamen ipse baptizaverat prius), reliquit Judæam, in qua erant Pharisæi increduli, invidentes augmento Baptismi et doctrinæ Christi, qui ad capiendum Joannem consilium dederant, et Christum etiam persequi cogitabant, propter Baptismum ejus qui crescebat, et propter doctrinam ejus, per quam evacuari Legem intelligebant, et sic docendi Gentiles habebat occasionem, et *secessit,* seu abiit iterum, *in Galilæam. Secessit* autem Jesus: primo, ut exemplum patientiæ et mansuetudinis malis cedendi daret; secundo, ut absentatione invidiam eorum mitigaret, donec melioris animi fierent; tertio, ut nobis fugiendi persecutores et periculum formam præberet; quarto, ut aliis Evangelium prædicaret; quinto, quia tempus Passionis suæ nondum venerat; sexto, ut verbi Dei transitum a Judæis ad Gentes præfiguraret, et ex hoc discipulos quid quandoque facturi essent instrueret. Iste enim transitus ejus transitum ejusdem ad Gentes significabat, ad quas eum transire impellebant. Et regressus Jesus in Galilæam, in virtute Spiritus, faciendi signa et miracula, quia quamvis esset plenus Spiritu Sancto, tamen ex tunc plus manifestavit virtutem suam in publicatione doctrinæ et operatione miraculorum; et fama exiit de eo per universam regionem, et receperunt eum Galilæi honorifice, propter illa quæ eum in Jerusalem in die festo fecisse viderant et cognoverant, propter quæ etiam Nicodemus crediderat.

2 HABITAT IN CIVITATE CAPHARNAUM. — *Et relicta civitate Nazareth,* ubi fuerat conceptus et nutritus, *venit,* ad prædicandum in Galilæam: *et habitavit in civitate Capharnaum maritima,* quæ juxta mare est sita, prope Nazareth, *in finibus Zabulon et Nephthalim,* et *exinde,* scilicet de finibus illis, *cœpit Jesus* aperte *prædicare et dicere,* quoniam impletum est tempus, scilicet humanæ Redemptionis, et venit ple-

Digitized by Google

nitudo temporis. Ergo dum tempus habetis, aiebat, *pœnitentiam agite* et credite Evangelio, quia *sine* pœnitentia et *fide, impossibile est placere Deo; — appropinquavit enim regnum cœlorum,* quia janua cœli aperta est per Christum. Unde *Beda :* « Regni enim cœlorum januis appropinquare, est de his quemque quibus ab eo discesserat pœnitere. » Unde et *Hieronymus :* « *Pœnitentiam agite* qui vultis æterno bono, scilicet regno Dei, adhærere. Qui enim desiderat nucleum, frangit nucem; amaritudinem radicis dulcedo pomi compensat; pericula maris spes lucri delectat; dolorem medicinæ spes salutis mitigat. » Mystice, per hoc quod Jesus antequam publice prædicaret venit Galilæam, insinuatur quod prædicator Evangelii prius debet transmigrare de carnalibus ad spiritualia, de terrenis ad meditandum cœlestia, quia Galilæa *transmigratio* interpretatur. Et per hoc quod habitavit Capharnaum, quæ major et populosior erat, ut prædicando et miracula faciendo plures illuminaret, reliquit, secundum *Remigium,* prædicatoribus exemplum, ut eo tempore et in locis illis studeant prædicare, quando et ubi multis possunt prodesse. Capharnaum etiam dicitur esse inter fines Judææ et Gentium.

3 Prædicationis Christi initium. — Exinde ergo Jesus prædicare cœpit, unde vocare Judæos et Gentes præsignaretur, qui utrosque salvare venerat. In Galilæa enim Gentes simul et Judæi habitabant et ideo ibi debuit fundari lapis angularis, qui fecit utrosque unum, duos in se concludens parietes, Gentium et Judæorum. Unde et post dixerunt sacerdotes ad Pilatum : *Commovet populum, docens per universam Judæam, incipiens a Galilæa usque huc.* Sunt autem duæ Galilææ, una Judæorum, altera Gentium. Divisa est enim Galilæa a tempore Salomonis, qui viginti civitates in Galilæa dedit Hyram regi Tyri, qui Gentes ibi posuit : quæ pars postea dicta est Gentium, et reliqua Judæorum. Et merito in confinio illo cœpit Dominus prædicare, ut multi Judæi et Gentiles ad prædicationem confluerent : in quo ostendebatur, quod ad redemptionem Gentium et Judæorum venerat. Vel *exinde,* scilicet postquam baptizatus, ubi monstratur in eo plenitudo gratiæ, per Trinitatis testimonium; postquam tentatus, ubi monstratur in eo sanctitudo vitæ, per victoriam tentationum; postquam a Joanne testificatus, ubi monstratur certitudo idoneitatis ad prædicandum; postquam Joannes traditus, ubi significatur quod, deficiente Lege, incepit Evangelium, sicut sol sequitur auroram : *cœpit Jesus prædicare et dicere : Pœnitentiam agite;* non tantum dicite contra loquentes, qui dicunt et non faciunt; non tantum in animo proponite contra differentes; non omittite contra negligentes, non destruite contra recidivantes, sed *agite pœnitentiam,* quasi medicinam ad sanandum morbum, quasi armaturam ad ineundum bellum, quasi clavem ad reserandum cœlum, et ideo subditur : *appropinquavit enim regnum cœlorum;* sicut elongatur per peccatum, ita appropinquat per pœnitentiam.

4 Prædicatio Christi cur post Joannem facta est? — Recto autem ordine, a Joanne tradito incipit prædicatio Domini, quia, desinente Lege, oritur gratia Evangelii, quod *bona annuntiatio* solet dici. Lex enim promittebat bona terrena et transitoria; sed Evangelium promittebat cœlestia et terrena. Unde *Theophilus :* « Vetus namque testimonium, his qui servabant illud,

Digitized by Google

dierum longitudinem promittebat; Evangelium vitam æternam. » Unde et *Chrysostomus* : « Propter hoc neque prædicavit ante Joannem, donec ille incideret in carcerem, ut non hac prædicatione multitudo populi scinderetur : idcirco neque signum ullum fecit Joannes, ut ex hoc quoque multitudinem traderet Christo, quæ ad eum signorum admiratione confluerat. » Unde etiam *Augustinus* : « Præmissus est Joannes, velut vox ante Verbum, aurora ante solem, præco ante Judicem, servus ante Dominum, amicus ante Sponsum. Et quia universum mundum tenebræ et nox infidelitatis oppresserant, et solem justitiæ aspicere non valebant, beatus Joannes quasi lucerna præmittitur, ut oculi, qui lippitudine iniquitatis oppressi magnum et verum lumen videre non poterant, admissum lumen lucernæ, primum quasi tenuem splendorem videre consuescerent; ut paulatim peccatorum nubilo recedente, et infidelitatis digesto humore, Christo adveniente, ab illo cœlesti lumine lætificari, potius quam retorqueri possent : » hæc *Augustinus*. Et notandum quod perfectio Evangelica versatur præcipue circa tria, videlicet : circa opera pietatis, circa concilia humanitatis, et circa præcepta charitatis. Hæc etiam tria præcipue Dominus docuit in Evangelio. Incepit autem Dominus, sicut Joannes, eadem prædicans, quæ ille ante dixerat : ut prædicatio discipuli et Magistri consona esset, et Dominus prædicationem ac doctrinam Joannis approbaret et confirmaret, ac superbiam eorum qui dicta aliorum dedignantur accipere, confutaret; ac ut se ejusdem Dei Filium, cujus ille Propheta sit, esse ostenderet. Verbum ergo quod in Joanne organo et in omnibus Prophetis clamaverat, prædicans regnum Dei, a pœnitentia inchoare volebat, quia nisi remisso peccato, per Baptismum et pœnitentiam condignam, non poterit quis intrare in regnum cœlorum; unde non statim justitiam prædicavit, sed pœnitentiam. Quis ergo ausus est dicere : Volo bonus esse, et non possum? Pœnitentia enim correctio est voluntatis; et si vos mala non terrent, ut scilicet pœnitentiam agatis, vel bona delectent, *appropinquavit enim regnum cœlorum*, id est beatitudo regni cœlestis. Ac si dicat : Parate vos ad, id est *per*, pœnitentiam, quia appropinquabit tempus mercedis æternæ. Prædicavit autem Dominus pœnitentiam, appropinquante regno cœlorum et fine mundi, ut formidaret forte juvenilis ætas mundi. Nunc vero, appropinquante regno cœlorum, ostenditur regnum mundi agere in extremis, ideo merito debet converti. Sic itaque Dominus a Baptismo suo, usque ad Joannis incarcerationem prædicavit, et docuit occulte, et in locis privatis; sed post ejus incarcerationem, publice et in synagogis. Sicut enim Joannes erat præcursor Christi, ita prædicatio Joannis erat prævia Christi prædicationi. Et ideo Christus non prædicavit communiter et publice ante Joannis incarcerationem, sed finita ejus prædicatione, ex hoc nobis tribuens exemplum humilitatis stupendæ, dum servo suo Joanni, longe se inferiori, in prædicationis et doctrinæ officio humiliter dignatus est deferre. O quot sunt, proh dolor! hodie religiosi, qui, non dico inferiori, sed nec pari, imo nec superiori deferunt, in quo se Dei Filio præferre, et eum præire contendunt.

5 ÆTAS CHRISTI QUANDO PRÆDICARE CŒPIT. — Ad prædicationem quoque et doctrinam requiritur ætas perfecta. Perfectio autem æta-

Digitized by Google

tis est annorum triginta. Et ideo conveniens fuit ut Christus non nisi post trigesimum annum publice prædicaret et doceret. Hoc tempus est aptum prædicationi, ut hic patet; aptum prælationi, ut patet de Joseph, qui hac ætate factus est præpositus Ægypti; aptum regimini, ut patet de David, qui triginta annorum erat, cum regnare cœpit. Hac etiam ætate præficiendi sunt episcopi; sed heu! hodie præficiuntur pueri, ac insufficientes pro hoc statu, et minus idonei. Fuerunt autem a Baptismo Christi, usque ad mortem ejus, tres anni, et tanto plus quantum ab Epiphania, usque ad Pascha, et sic modico tempore prædicavit. Eadem enim die qua baptizatus est, revoluto anno, convertit aquam in vinum, et in Pascha sequenti, scilicet trigesimi primi anni, incarceratus est Joannes; et in alio Pascha sequenti, scilicet trigesimi secundi anni, decollatus; et in tertio Pascha, scilicet trigesimi tertii anni, passus est Dominus; et ita vixit triginta duobus annis integris: de trigesimo tertio, quantum fluxit temporis a natali, usque ad Pascha, quod pro anno dimidio computari solet. Fuit autem anno trigesimo Pascha Judæorum quinto calendas aprilis, et feria quinta; sed anno trigesimo primo, fuit decimo sexto calendas maii, et feria quarta; anno vero trigesimo secundo, fuit nonis aprilis, in die Dominica; sed anno trigesimo tertio, fuit octavo calendas aprilis et sexta feria.

6 PRÆDICATIONIS CHRISTI TAM MODICO TEMPORE PERACTÆ TRIPLEX RATIO EXPONITUR. — Et potest triplex causa assignari, quare Christus modico tempore voluit prædicare. Prima, ad demonstrandum suam virtutem, quod scilicet in tam modico tempore totum mundum immutaret. — Secunda, ad excitandum desideria discipulorum, ut magis eum desiderarent, quem tam modico tempore corporali præsentia habituri erant. — Tertia, ad augmentandum discipulorum spiritualem profectum. Cum enim Christi humanitas sit nobis via tendendi in Deum; nam ipse dixit: *Ego sum via,* non debemus in ea ut in termino quiescere, sed per eam in Deum tendere. Ne ergo corda discipulorum ad Christum carnaliter affecta in eo ut homine quiescerent, corporalem præsentiam cito subtraxit. Unde Apostolus: *Et si Christum secundum carnem novimus,* scilicet quando corporaliter nobiscum erat, sed nunc jam non novimus: unde et ante Passionem, inter cetera, dixit eis: *Si ego non abiero, Paracletus non veniet ad vos:* quia ut capaces Spiritus fierent, expediebat quod caro et forma servi ab eis auferretur, ne adhuc carnaliter eum diligerent. Ipse enim Dominus qui mundum vicit, voluit ut discipuli animum totum ad cœlum transferrent, quia sic et ipsi faciliter vincere mundum possent. Nos quoque similiter, si ad patriam nostram cor transponimus, et ad Principem fidei nostræ inspicientes, viam ejus sequi volumus, facilius adversa et prospera mundi contemnere, et ipsum mundum vincere poterimus.

Digitized by Google

ORATIO

Domine Jesu Christe, qui nostræ miseriæ compatiens, et tanquam verus medicus medicinam animarum nobis dare volens, a pœnitentia prædicationem tuam incepisti, et nobis peccatoribus, dum tempus habemus, eam facere jussisti, da mihi misero peccatori spatium et effectum pœnitendi, qui tandiu, pro quo tibi laus, misericorditer pepercisti delinquenti, ut per pœnitentiam appropinquet et reseretur mihi regnum cœlorum, quod elongatur et clauditur per peccatum, per veram pœnitudinem, et lacrymarum compunctionem; talem me esse concede in mortis articulo, qualem me esse per aquam regenerationis præstitisti in Baptismatis lavacro, ut aptus esse merear cœlorum regno. Amen.

CAPUT XXIX

De secunda et tertia vocatione discipulorum.

Lucæ cap. 5.

1 CHRISTUS NAVEM SIMONIS ASCENDIT, INDE TURBAS DOCTURUS. — Postquam igitur Dominus Jesus reversus de Judæa in Galilæam multa prædicasset et fecisset, propter quæ fama clare de ipso creverat, ita ut turbæ cum pressura et impetu irruerent et impingerent in eum, præ nimia devotione et desiderio audiendi verbum Dei; quadam die, *cum esset secus stagnum Genezareth,* quod et mare Galilææ, vel etiam Tiberiadis dicitur, et in terra stare præ pressura non posset, *vidit duas naves secus stagnum stantes:* quarum una erat Simonis et etiam Andreæ sui fratris, altera vero Jacobi et Joannis; *piscatores autem descenderant* ad terram, *et lavabant retia sua,* amoventes immunditias, ut plicarent ea, quia nullos pisces ceperant nocte illa. *Ascendens autem in unam* navem, *quæ erat Simonis,* ut populum de navi convenientius doceret, *rogavit eum a terra reducere* navem *pusillum,* et paululum, ita ut non nimis a terra distaret; quia ita volebat a terra elongari ut posset audiri, non tamen opprimi. *Et sedens,* tanquam doctoris auctoritate utens, *docebat de navicula turbas* in terra stantes. Ecce mira Christi humilitas et mansuetudo præcipere poterat, præceptor enim erat; et tamen rogat. In quo prælatis formam dedit ut libentius moneant quam præcipiant, magisque amari quam timeri appetant, quia, ut dicit *Seneca:* « Generosus animus facilius ducitur,

Digitized by Google

quam trahitur. » Sed e contrario faciunt fatui, de quibus in Ezechiele dicitur : *Cum austeritate imperabatis eis et cum potentia.*

2 DUPLEX MYSTICA STAGNI, NAVIS ET PISCATORUM INTERPRETATIO. — Mystice per stagnum potest intelligi Lex, extra quam Dominus erat, quia legalia jam cessare incipiebant, et duæ naves quas vidit sunt duo populi, scilicet Judaicus et Gentilis; quos vidit, quia de utroque populo multos misericorditer visitando ad finem vocavit. Piscatores sunt prædicatores, et Ecclesiæ doctores, qui nos per rete prædicationis et fidei comprehendunt, et quasi littori sic terræ viventium advehunt; qui debent descendere de alto prædicationis ad considerationem suæ fragilitatis, et retia lavare, id est maculas peccatorum, quæ in prædicatione contrahuntur; aqua contritionis delere, quia verba prædicationis sæpe maculantur a quæstu temporali, et gloria inani, ab adulatione fallaci. Ille ergo lavat retia, qui lucrum temporale, vel curiositatem, vel humanum favorem a doctrina et prædicatione sua excutit. Navis Simonis est primitiva Ecclesia Judæorum, quorum prædicator Petrus erat, in quam Dominus per fidem ascendens, de ea turbas docebat, quia de auctoritate ipsius Ecclesiæ usque ad hodie Gentes docet. Alia navis est Ecclesia de Gentibus, quibus Paulus doctor est missus, quia de Judæa non sunt credituri tot quot ad vitam æternam sunt prædestinati. In navi autem terræ vicina docebat turbas; ita enim cœlestia debemus docere, ut ea terreni valeant saltem per fidem capere vel intelligere. Ad turbas quidem temperate est utendum verbo divino, ut nec terrena eis præcipiantur, nec a terrenis nimis, ut penitus non intelligant, in profundo sacrorum recedatur. Aliter per istud stagnum, quod dicitur mare, intelligitur mundus, qui ad modum maris tumet per superbiam, fervet per avaritiam, spumat per luxuriam. Ad transeundum istum mundum vidit Christus, id est approbavit duas naves, quarum una, quæ non nominatur, significat viam communem mandatorum, eo quod omnes indistincte obligentur ad eam, et alia quæ nominatur, scilicet Simonis, qui interpretatur *obediens,* significat consilium et statum religiosorum, quorum potissimum votum est obedientia; et ad istam descendit Christus, et in ipsa sedit, et docuit, et voluit quod reduceretur a terra, quia Christus ad cor religiosi devote consilia observantis descendit per gratiam, sedet per contemplationem, et docet per donorum Spiritus Sancti influentiam; et ipse vult quod a terra reducatur pusillum, scilicet corde etsi non corpore, quia non potest aliter cor nostrum retineri, ne aliquando terram ex aliqua tangat parte. Et sancti viri non possunt penitus elongari, sed oportet corpori provideri; sic ergo navis Simonis, id est, religiosi, debet a terra elongari; sed hodie multi per ingressum religionis non separantur, nec elongantur a terrenis, sed potius magis quam prius approximant eis. Item duæ naves quas Christus vidit, sunt duæ viæ quas approbavit, quarum utramque ingressus est; una est via innocentiæ, altera est via pœnitentiæ. Sicut enim duobus modis habetur hereditas, scilicet per successionem et emptionem, sic cœlum habetur per viam innocentiæ quasi per successionem, et hanc navem ingressus est Christus, *qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus;* habetur etiam per emptionem, id est, per pœnitentiam, et hanc navem pro nobis Christus ascendit, quam usque ad

Digitized by Google

mortem non dimisit; per has duas naves transitur mundus, et venitur ad cœlum. Ut vero, ait *Chrysostomus*, habemus pro nave Ecclesiam, pro gubernaculo crucem, pro gubernatore Christum, pro rete Patrem, pro vento Spiritum Sanctum, pro velo gratiam, pro nautis Apostolos, pro navigantibus Prophetas, pro navi Vetus Testamentum et Novum : committamus ergo nos pelagi hujus profundo ad perquirendam in Scripturis divinis margaritam latentem.

3 Piscatio miraculosa. — *Ut autem*, finita prædicatione, *cessavit loqui*, doctrinam suam miraculo confirmare volens, Simoni *dixit : Duc*, scilicet navem, *in altum*, id est, ad locum aquæ magis profundum, qui est convenientior ad piscandum, *et laxate retia vestra in capturam* : scilicet piscium. *Et respondens Simon dixit* : Jesu, *Præceptor*, cui obedire debemus, *per totam noctem laborantes nihil cepimus*, quamvis diligentiam magnam adhibuerimus; *in verbo autem tuo laxabo rete*, id est, confidens in virtute verbi tui. *Et cum hoc fecissent*, obediendo Præceptori, *concluserunt piscium multitudinem copiosam*, tantam scilicet quantam ipse maris et terræ Dominus volebat, nimirum quia obediebant ei cui subjecti sunt omnes volucres cœli et pisces maris, ideo in eorum potestate datæ sunt creaturæ. Unde *Anselmus* : « Jus siquidem nullum in his quæ Dei sunt, scilicet creaturis, debent habere qui voluntati ejus pravis actibus non verentur contraire. In hoc autem facto discipulorum datur religiosis forma obedientiæ, ut scilicet faciliter obediant simplici verbo, non præceptum vel comminationem exspectando. Et attende quod et si aliis imperatur ut relaxerent retia prædicationis in humilitate Simonis, soli tamen Petro dicitur : *Duc in altum* rete, scilicet in profundum Scripturæ et doctrinæ. Quid enim tam altum, quam scire Dei Filium? Quasi diceret : Sufficit minoribus sacerdotibus scire prædicare minora; episcopis vero, si qua dubia in Ecclesia emerserint, offerri debent, ut ea solvant et doceant. » Mystice hic tanguntur tria prædicatori expedientia : primo, sublimis conversatio, cum dicitur : *duc in altum;* secundo, plena et non involuta locutio, cum subditur : *laxate retia vestra;* tertio, recta intentio, cum additur : *in capturam piscium,* non propter adulationem humanam, non propter vanam gloriam, non propter utilitatem temporalem, sed propter hominum ædificationem.

4 Simonis Petri admiratio et humilitas. — *Rumpebatur autem rete eorum*, ex gravitate multitudinis piscium : ex quo patet duplex miraculum; quia non solum ceperant magnam multitudinem piscium supra modum solitum et impossibilem per viam humanam, sed etiam tanta multitudo tenebatur in reti rupto. *Et annuerunt,* Simon et Andreas filiis Zebedæi, *qui erant in alia navi, ut venirent et juvarent eos.* Ubi *Theophilus* : « Per nutum ipsos vocant, quia ex stupore propter capturam piscium loqui non poterant, *et venerunt et impleverunt ambas naviculas, ita ut pene mergerentur* : sed Ecclesia submergi et deficere non potest, licet fluctuet et quassetur. » Et cum stupor admirationis circumdaret Simonem Petrum et socios ejus, ac totam eorum mentem occuparet, propter facta Christi insolita, *Petrus* intelligens quod non poterat esse virtute humana, *procidit ex* humilitate *ad genua Jesu,* tanquam suum recognoscens Dominum, et dixit ad eum : *Exi,* et recede *a me, Domine, quia*

Digitized by Google

homo peccator sum, et non sum dignus habitare in tua societate. *Exi a me,* quia ego homo purus, tu homo-Deus; ego peccator, tu sanctus; ego servus, tu Dominus. Quasi diceret : Separet te locus a me, quem separet a te fragilitas naturæ, vilitas culpæ, et infirmitas potentiæ! Reputabat enim se indignum esse præsentia tam sanctæ personæ. Argumentum, quia valde timendum est homini peccatori sancta tangere, circumdare Christi altare, ad Eucharistiam accedere. Dominus autem Petrum consolando, et ei exponendo, quod captura piscium significaret capturam hominum per eum, ait ad illum : *Noli timere,* nec obstupesce, sed potius gaude et crede, quia majori prædestinatus es piscationi, alia navis et alia retia dabuntur tibi. Usque modo cepisti per retia pisces, *ex hoc,* id est, post hoc tempus et de cetero, non tamen statim, *eris capiens*, per verba *homines*, per sanam doctrinam trahendo eos ad viam salutis; hoc est ad prædicationis officium assumeris. Verbum enim Dei hamo piscatoris comparatur : quia sicut hamus non capit piscem nisi ab ipso capiatur, sic nec verbum Dei capit hominem ad vitam æternam, nisi ipsum verbum mente ejus teneatur. Vel *ex hoc eris homines capiens,* id est, *ex hoc* quod factum est significatur quod *homines capies;* vel ex hoc quod sic te humiliasti, habebis officium homines capiendi; humilitas enim virtus attractiva est, et dignum est ut illi aliis præsint, qui in potestate extolli nesciunt. Unde non in Apostolatum eligitur, sed aliquando eligendus prædicitur, totusque facti hujus ordo quid in Ecclesia, cujus ipse typum tenet, geratur, hic ostenditur. Per Petrum etiam qui cum sociis per totam noctem laborans nihil ceperat, et in verbo Christi laxans rete cepit copiosam multitudinem piscium, et tamen non attribuit sibi nisi culpam, dicens : *Exi a me, Domine, quia homo peccator sum,* figuratur prædicator Evangelii, quia propriæ innitens virtuti nihil proficit, sed innitens virtuti Dei magnum profectum facit. Et in hoc quod Petrus, capta multitudine piscium, procidit ad genua Jesu, datur intelligi quod in prædicatione vel exhortatione, capta multitudine hominum, prædicator debet se Deo humiliare, et ei totum attribuere, sibi autem nihil nisi defectum ascribere; et tunc confortatur a Domino, dicente : *noli timere,* et tunc major profectus sibi promittitur cum subditur : *ex hoc* jam plures *homines eris capiens.*

5 Discipuli sequuntur Dominum. — *Et subductis ad terram navibus,* id est, tractis et collocatis, animo et spe redeundi ad eas; *relictis,* ad tempus, *omnibus*, scilicet navibus et manuum instrumentis, *secuti sunt Dominum* aliquantulum causa reverentiæ associando Petrus et Andreas et Jacobus et Joannes; sed iterum ad propria redierunt. Ideo enim naves ad terram reduxerunt, quia adhuc voluntatem redeundi ad piscationis officium habuerunt. Ex quo patet quod nondum rebus suis perfecte renuntiaverunt, nec perfecte in hac vocatione Christo adhæserunt.

6 Quid sint mare Tiberiadis, Genezar et Jordanis? — Et hic sciendum quod idem est mare Galilææ, et Tiberiadis, et stagnum Genezareth situm inter Jerusalem et Damascum, distans quasi tribus diebus ab utraque civitate; et habet in longitudine duodecim milliaria, in latitudine quinque vel circa; arenoso littore et silvis circumdatum, in quo est magna copia piscium diversorum generum, et est visu amœ-

Digitized by Google

num, et delectabile ad potandum. Et quamvis ejus aqua sit dulcis et non amara, dicitur tamen mare, secundum consuetudinem linguæ Hebraicæ, quia magnam collectionem aquarum, sive dulcium, sive salsarum, vocat Hebræus Tharsis, id est, mare, secundum illud Genesis : *Congregationesque aquarum appellavit maria.* Dicitur autem mare Galilææ a provincia adjacente, quia situm est in confinibus provinciæ Galilææ, scilicet Judæorum, non Gentium. Dicitur autem mare Tiberiadis a Tiberiade civitate, cui adjacet, quam Jesus in sua juventute frequenter visitare solebat. Dicitur etiam stagnum, quia est lacus stans, qui fit ex reflexione et flexu Jordanis ac undis ebullientibus et influentibus, nec habet alveum quo fluat extra locum suum, ut fluvius. Porro Genezar Græco vocabulo quasi *generans* sibi *auram* dicitur, a natura et proprietate lacus ipsius, quia ex faucibus montium circumstantium frequenter de seipso sibi auram excitat, et ventum validum colligit, qui undis crescentibus et se moventibus, ex ipsius aquæ resolutionibus generatur, ex quo facta in stagno perturbatione, et invalescente tempestate undis fluctuantibus naviculæ plerumque submerguntur. Dicit tamen Josephus, quod sic dictus sit a modica regione Genezara, quam præterfluit, quæ temperatissima est et convenientissima omni generi arborum : unde interpretatur *hortus* vel *principium nativitatis.* Dicitur etiam interdum lacus salinarum propter puteos unde sal trahebatur. Fluvius autem Jordanis ad radices montis Libani juxta Cæsaream Philippi ex duobus fontibus, scilicet Ior et Dan, ex quibus nomen trahit et originem, in prædicto stagno Genezareth descendit, et per ipsum transiens, et inde totus egrediens per longum spatium, regionem adjacentem irrigans per vallem illustrem, quæ vallis salinarum dicitur, in mare mortuum non longe a Jericho se infundit, et postea nusquam apparens in abysso absorbetur.

7 Tertia vocatio Petri et Andreæ. — Deinde cum post istam vocationem prædicti discipuli ad sua, ut dictum est, et ad piscationem rediissent, *ambulans Jesus juxta mare Galilææ,* iterum vidit Petrum et Andream, non tam corporaliter quam spiritualiter, et magis ad corda quam ad faciem respiciens, *mittentes retia in mare,* ad piscandum et victum quærendum, ut dicit *Glossa,* decenter per piscatoria vadit loca, piscato. piscaturus. Et ait illis : *Venite post me,* affectu et imitatione, et quemadmodum ego ambulo et vos ambulate, *et faciam vos piscatores hominum,* non præbendarum, non decimarum, sed animarum : quia per rete sanctæ prædicationis pisces, id est homines, de profundo pelagi, id est infidelitatis, ad lucem fidei traxerunt, quasi ad littus salutis. Unde *Theophilus :* « Admiranda est autem ista piscatio, pisces enim cum capiuntur, mox moriuntur; homines, cum capti sunt verbo prædicationis, potius vivificantur. » Ut autem dicit *Chrysostomus,* in mediis operationibus existentes eos vocavit, monstrans quod omnibus occupationibus sequelam suam præponere oportet; cum ergo quis præficitur Ecclesiæ piscator et pastor, valde debet timere ne non sequatur Dominum perfectione sequelæ, quæ est, ut *abneget semet ipsum* et *crucem suam tollat.* — *At illi continuo relictis retibus et patre, secuti sunt eum,* omnino, non solum pedum incessu, sed magis obedientia et affectu, non amplius ad propria reversuri.

8 Item Jacobi et Joannis. — *Et procedens inde,* pusillum ultra, *vidit*

Digitized by Google

Jacobum et Joannem, in navi cum Zebedæo patre eorum, qui tanquam senex tenebat remum, *reficientes,* id est, componentes, vel reparantes, *retia sua,* quod magnæ paupertatis erat indicium. Unde *Chrysostomus :* « Vide autem quam etiam diligenter inopiam eorum Evangelista signaverit. Invenit, inquit, eos suentes retia sua, tanta erat paupertatis nimietas et superabundantia, ut vetera et prærupta contexerent et emendarent, quia nova et meliora emere, vel habere nequibant; et quod ad majorem pietatem eorum pertinet, in tanta paupertate sic patri suo succurrebant, ut secum bajularent in navi, non ut istos ille adjuvaret in opere, sed ut isti illum consolarentur sua præsentia. Nec sane parva hæc sunt dogmata virtutis facile omnem tolerare paupertatem, et de justis laboribus vivere mutua sibi charitate connecti, habere secum inopem patrem, atque in ejus obsequio laborare : » hæc *Chrysostomus.* Ergo quandoque quiescendum est a piscatione, et cessandum a prædicatione, ut retia reficias. Si refecisti retia, et collegisti auctoritates sacræ Scripturæ, quibus avaritiam jugulasti, quiescas a prædicatione paulisper, ut iterum reficias retia, et colligas auctoritates quibus aliquem vitiosum hominem capias, et vitium ejus jugules et exstinguas. Et vocavit eos ad se, ut etiam de captura piscium transirent ad piscationem hominum. Secundum *Chrysostomum,* eliguntur piscatores, qui erant futuræ dignitatis gratiam sui officii opere prophetantes, qui in melius mutato piscationis officio, de terrena piscatione ad cœlestem translati sunt, ut humanum genus de profundo gurgite erroris, velut pisces caperent ad salutem.

9 TRIA RELINQUENDA CHRISTUM SEQUI VOLENTIBUS. — *Illi* autem statim *relictis retibus et patre, secuti sunt eum,* omnino imitatione et sequelæ perfectione. Ecce quod mutatur intentio, non piscatio; mutantur retia in doctrinam, cupiditas in amorem animarum ; fit mare seculum, navis Ecclesia; pisces, boni et mali homines ; in his autem datur forma omnibus Christum sequi volentibus. Per hoc enim quod Petrus et Andreas et Jacobus, et Joannes *relictis retibus* navi *et patre,* vocantem Dominum statim *sunt secuti,* ostenditur nobis quod non voluntas carnalis, non cupiditas temporalis, nec affectio sanguinis nos retrahere debent a sequela Christi, quia perfecti sectatores Christi, relictis retibus peccatorum, et navi possessionum, et etiam parentibus, quantum ad carnalem affectum, animo prompto sequuntur eum : in retibus enim, et navi, et patre, tria significantur quæ relinquere debent discipuli Christi, scilicet : actio peccati, quæ per retia quasi retinentia; possessio mundi, quæ per navim; affectio consanguinitatis, quæ per patrem potest intelligi. Unde *Chrysostomus :* « Tria enim sunt quæ relinquere debet qui venit ad Christum : actus carnales, qui per retia piscationis significantur; substantia mundialis, per navem ; parentes, per patrem. Reliquerunt ergo navem, ut fierent Ecclesiasticæ navis gubernatores ; reliquerunt retia, ut non pisces afferrent ad civitatem terrenam, sed homines ad cœlestem ; reliquerunt unum patrem, ut spirituales patres omnium fierent : » hæc *Chrysostomus.* Et notandum quod de Petro et Andrea dicitur, quod mittebant rete in mare; sed de Joanne et fratre ejus dicitur quod reficiebant retia sua : quia, secundum *Chrysostomum,* propter Petrum dicti sunt mittentes, propter Joannem reficientes, quia Petrus Evangelium prædicavit, sed non composuit;

Digitized by Google

Joannes composuit et prædicavit. Item sciendum est hic, quia primo vocatur actio, deinde contemplatio. Quæ enim circa Petrum, actionem significant; quæ vero circa Joannem, contemplationem. Petrus namque fervidissimus et magis sollicitus aliis; Joannes vero theologus excellentissimus fuit.

10 DISCIPULORUM OBEDIENTIA. — Considera nunc quanta fuerit horum quatuor beatorum discipulorum obedientia, qui ad unius jussionis vocem, statim *relictis omnibus,* etiam voluntate et proposito habendi, Christum Dominum *sunt secuti* in quo, ut ait *Chrysostomus,* se veri Abrahæ filios comprobaverunt, quia simili exemplo, audita Dei voce, secuti sunt Salvatorem. Dimiserunt namque statim quæstum corporalem, ut æterna lucra conquirerent; reliquerunt patrem terrenum, ut patrem cœlestem haberent: unde non immerito et eligi meruerunt. Et iterum: « Perpende tu vero fidem et obedientiam vocatorum; noscitis autem qualiter avidum quid est piscatio. Siquidem in medio ipsius operis constituti, cum illum vidissent jubentem, nihil distulerunt, nihil omnino cunctati sunt, non dixerunt: Revertamur domum, loquamur propinquis; sed cuncta illico relinquentes, fecerunt quod Elisæus quoque sub Elia legitur implesse. Talem quippe obedientiam a nobis Christus efflagitat, ut neque punctum temporis differamus, et si nos aliquid necessarium urgere videatur; propter quod et alium quem accendentem ac se rogantem, ut ad sepeliendum patrem rediret, ne id quidem facere permisit, ostendens quia Christus cunctis sit etiam necessitudinibus præferendus: » hæc *Chrysostomus.* Unde et *Gregorius:* « Audisti quia ad unius jussionis vocem secuti sunt Redemptorem, et ad unum Domini præceptum, hoc quod possidere videbantur obliti sunt: quid ergo in judicio ejus dicturi sumus, qui vocantem sequi contemnimus, et ob amorem præsentis seculi, nec præceptis flectimur, nec verberibus emendamur? » hæc *Gregorius.* Secuti autem sunt Dominum, ejus vestigia sequendo, ejus opera imitando, ejus virtutes tenendo. Hoc namque est post Christum ire; hoc est Christum sequi. Neque enim sufficit nobis pedibus tantum ire post Jesum, nisi et mente et dilectione sequamur eum. In his ergo, secundum *Hilarium,* docemur Christum sequi, et secularis vitæ sollicitudine, ac paternæ domus consuetudine non teneri. Et si pauca hi discipuli habuerunt, multa tamen reliquerunt, quia in hoc seculo nihil retinere vel amare studuerunt. Unde *Gregorius:* « Sed in hac re affectum debemus potius pensare, quam sensum; multum reliquit, qui quamlibet parum, totum deseruit; multum reliquit, qui sibi nihil retinuit; multum dimisit, qui desideria habendi dereliquit; multum dimisit, qui cum re possessa etiam concupiscentiis renuntiavit. A sequentibus ergo scilicet Christum tanta dimissa sunt, quanta a non sequentibus concupisci potuerunt. Cor namque et non substantiam Dominus pensat, nec perpendit quantum in ejus sacrificio, sed ex quanto proferatur. Æstimationem quippe pretii non habet, sed tamen regnum Dei tantum valet quantum habes. Ante Dei namque oculos nunquam est vacua manus a munere, si arca cordis repleta est bona voluntate. Nihil quippe offertur Deo ditius voluntate bona: » hæc *Gregorius.*

Digitized by Google

ORATIO

Domine Jesu Christe, fac me per aviditatem ad audiendum verbum Dei irruere retia prædicationis ac desiderii, et bonæ operationis; ab omni avaritia, adulatione, et inani gloria ea lavare, navem religionis a terrenis reducere, in ea quiescendo sedere, et per exemplum alios docere, et in profundum contemplationis et prædicationis ducere, in verbo tuæ inspirationis retia laxare, et in aquis tribulationum copiosam multitudinem internarum consolationum concludere. Voca et trahe me miserum ad tuum sanctum discipulatum, quatenus omnia relinquendo et te sequendo, ad tuorum pauperum merear pertingere consortium. Amen.

CAPUT XXX

De Epilogo vocationum discipulorum, et de diligentia Christi ad prædicandum.

1 Recapitulatio triplicis vocationis discipulorum. — Tres itaque vocationes discipulorum supra habuisti. De prima dicit Joannes, et tunc vocati ad fidem venerunt solum ut aliquam notitiam et familiaritatem Jesu contraherent. De secunda dicit Lucas, et tunc etiam secuti sunt eum animo redeundi ad propria : cœperunt tamen audire ejus doctrinam. De tertia dicit Matthæus, et Marcus, et tunc venerunt ad perseverandum cum eo, perfectionem ejus imitando; primæ duæ vocationes forma sunt novitiorum in religionibus, qui primo vocantur ad probandum et instruendum, et quandoque ad propria redeunt. Tertia tenet formam professorum, quia tunc velut professi religionem Christianam Christo inseparabiliter adhæserunt. Item de vocatione Matthæi publicani, habes infra. De modo autem vocationis aliorum non est determinatum vel scriptum. Unde *Chrysostomus :* « Quid est autem quod de aliis Apostolis nobis non dicitur qualiter et quomodo sunt vocati, nisi de Petro, Andrea, Jacobo, et Joanne, et Matthæo? Hi enim maxime erant in convenientibus et humilibus studiis, neque enim telonii officio est aliquid deterius, neque piscatione vilius. »

2 Affectio Christi in discipulos istorumque obedientia. — Considera igitur, et conspice Dominum Jesum in prædictis discipulorum vocationibus et conversatione ejus cum illis, quomodo affectuose eos vocat : reddens se eis affabilem, domesticum, benignum, et obsequiosum : attrahens eos intus et extra,

Digitized by Google

ducendo eos ad domum Matris, vel alibi, ubi pro tempore manebat, et familiariter vadens ad domos eorum. Docebat etiam eos et instruebat, ac curam de ipsis præcipuam habebat, sicut mater de unico suo filio habere consuevit. Dicitur enim quia beatus Petrus referebat, quod quando in aliquo loco cum eis dormiebat, et surgens de nocte eos recooperiebat, quia tenerrime eos diligebat : sciebat enim quid de ipsis facturus erat. Nam quamvis essent homines rudis conditionis et humilis nationis, tamen principes mundi et duces in bello spirituali omnium fidelium eos erat constituturus. — Considera etiam vocatorum obedientiam, quæ commendatur : quia prompta, eo quod continuo et statim eam ostenderunt; quia integra, eo quod omnia reliquerunt; quia recta, eo quod Dominum Jesum secuti sunt. Primum perfectum, secundum perfectius, tertium perfectissimum. Sed ad quid reliquerunt omnia? Secundum *Chrysostomum,* in hoc docuerunt nos Apostoli, quod nemo potest terrena possidere et perfecte ad cœlestia properare. Aer inter cœlum et terram constitutus ostendit quod inter cœlestia et terrena nulla potest esse conjunctio : cœlestia enim, quia spiritualia et levia, sursum ducunt; terrena, quia ponderosa et gravia, deorsum deprimunt. Sed nonne postea resumpserunt? Ergo imperfecte reliquerunt? Dicendum quod perfecta fuit obedientia, quia etsi postea resumpserunt, non ex proprietate, scilicet amore vel cupiditate, sed ex necessitate vitæ hoc fecerunt.

3 Quam sapienter electi Ecclesiæ fundatores. — Considera etiam et nota quibus, qui, et qualibus cœpit et orta est Ecclesia. Noluit Dominus primos fundatores Ecclesiæ eligere sapientes, vel potentes, aut nobiles hujus seculi, ne fides Evangelii, et virtus fidei, et opera quæ fienda erant, ascriberentur eorum sapientiæ, vel potentiæ, aut nobilitati; sibi hoc reservavit, quia sua potentia, sapientia et bonitate nos redemit. Si enim doctus vel potens aut nobilis eligeretur, fortasse ideo electum se diceret, quia doctrina, vel potentia, vel nobilitas ejus elegi meruerit; volens frangere superbiam, elegit illiteratos et mundo despectos, hosque doctores faciens et ad prædicandum mittens, per eos subjecit mundi rectores, ne fides credentium putaretur non in virtute Dei, sed in sapientia et virtute hominum. Unde *Gregorius :* « Relictis sapientibus insipientes, relictis fortibus debiles, relictis divitibus pauperes elegit, et prædicatores infirmos abjectosque, qui potentes quosque et fideles populos colligerint, habere studuit. Ad prædicandum namque eum tales venire debuerant, qui de laude propria nil habebant, ut tanto solius veritatis cognosceretur esse quod agerent, quanto et aperte cerneretur, si ad hoc agendum idonei per se non fuissent. » Unde *Chrysostomus :* « O beatos piscatores istos, quos Dominus inter tot doctores Legis et scribas, inter tot seculi sapientes ad divinæ prædicationis officium et ad gratiam Apostolatus primos elegit! Et digna sane Domino nostro atque conveniens prædicationi ejus fuit talis electio, ut in prædicatione nominis sui, tanto majoris laudis admiratio nasceretur, quanto etiam eam mundi infimi et humiles seculi prædicassent; qui non per sapientiam verbi mundum caperent, sed per simplicem fidei prædicationem de errore mortis humanum genus liberarent. Non ergo nobiles mundi aut divites elegit, ne suspecta fieret prædicatio; non sapientes seculi, qui per sapientiam mundi persuasisse humano generi crederentur; sed

Digitized by Google

elegit piscatores illitteratos, imperitos, indoctos, ut aperta esset gratia Salvatoris. Humiles quidem in seculo, etiam in ipso artis officio, sed præcelsos fide, ac devotos mentis obsequio; ignobiles seculo, sed nobiles Christo; non scriptos in alvo senatus terreni, sed scriptos in alvo senatus in cœlo; despectos terræ, sed acceptissimos cœlo; pauperes mundo, sed divites Deo. Scit enim Deus quos elegit, qui occulta cordis novit, eos utique qui non sapientiam seculi quærerent, sed Dei sapientiam desiderarent, nec divitias mundi cuperent, sed thesauros cœlestes optarent: » hæc *Chrysostomus*. Attendant hæc nobiles, potentes et sapientes, superbi hujus mundi, et cognoscant ignobiles, impotentes et idiotas sibi præferri, et ex hoc confundantur et erubescant, et a sua superbia resipiscant.

4 Exemplo suo primi discipuli monachos ad imitationem Christi invitant. — Exemplo itaque horum principum et ducum nostrorum relinquamus et nos omnia, et sequamur Jesum, in quo habemus omnia, ad quod bene hortatur nos *Chrysostomus*, dicens: « Monachus apostolicam vitam desiderat imitari. Vis, o monache, esse discipulus Christi, imo vis discipulorum ejus esse discipulus? Fac quod fecit Petrus, quod fecit Jacobus et Joannes: habebant oculum scandalizantem, patrem et navem et rete. Dicit eis Jesus: *Venite*, sequimini me; absconditur oculus, et hi sequuntur Jesum. Monachi Apostolorum imitatores sunt; non ergo possumus eos imitari, nisi fecerimus quod fecerunt et Apostoli; nemo ergo monachorum dicat: Habeo patrem, habeo matrem, et cetera pietatis carorum nomina. Respondeo tibi: Habes Jesum, quid quæris ista quæ mortua sunt? Qui habet Jesum, habet patrem, habet matrem, habet filios, habet omnem propinquitatem; quid quæris mortuos? Sequere vivum, dimitte mortuos, sepeliant mortuos suos. Dicit ad eum unus discipulus: *Dimitte me primum ire et sepelire patrem meum*: non dixit: Dimitte ut sim cum patre meo, sed dimitte me unius horæ spatio. Quid respondit Dominus? Et in una hora perire potes. Vide ne dum vis sepelire mortuum, ipse moriaris: » hæc *Chrysostomus*.

5 Quatuor primi discipuli quadrigæ comparati. — De prædictis quatuor discipulis a piscatione vocatis sic ait *Hieronymus*: « Mystice autem hac quadriga piscatorum vehemur ad æthera, ut Elias; his quatuor angulis constituitur prima Ecclesia; his quatuor litteris Hebraicis τετραγράμματον nomen Domini agnoscitur a nobis. Quibus simili exemplo præcipitur ut audiamus vocem Domini vocantis, et obliviscamur populum vitiorum et domum paternæ conversationis, quæ est stultitia Deo, et rete arenarum, in quo nos velut culices pene lapsos tenebat aer, qui pendet in nihili, navem pristinæ conversationis abominantes. Simon autem *obediens*, Andreas *virilis*, Jacobus *supplantans*, Joannes *gratia* in Latinum sonat, quibus quatuor nominibus in imaginem Dei convertimur: obedientia, ut audiamus; virilitate, ut pugnemus; supplantatione, ut perseveremus; gratia, ut conservemur. Quæ quatuor virtutes cardinales dicuntur: per prudentiam enim obedimus, per justitiam viriliter agimus, per temperantiam serpentem calcamus, per fortitudinem gratiam Dei meremur: » hæc *Hieronymus*.

6 Circuit Christus Galilæam prædicans et sanans. — *Et circuibat Jesus totam Galilæam docens in synagogis eorum, et prædicans Evangelium regni, et sanans omnem languorem et omnem infirmitatem*

Digitized by Google

in populo. Ubi *Chrysostomus* : « Quia enim illi, ut debiles, ad medicum venire non poterant, ipse, sicut studiosus medicus, circuibat graviter ægrotantes : » hæc *Chrysostomus.* Hic Salvator exemplo suo doctorum suorum vitam instruit, et qualis esse debeat Prælatus et prædicator Evangelii manifeste ostendit : ut enim non sint negligentes et pigri, sed diligentes et fervidi, docentur per hoc quod dicitur, *circuibat Jesus;* ut non sint personarum acceptores, sed in doctrina omnibus communes, docentur per hoc quod subjungitur, *totam;* ut autem non sint carnales, nec quærant delicatas procurationes, docentur per hoc quod additur, *Galilæam,* erat enim Galilæa vilis et pauper provincia; ut autem vacui et otiosi in vanum non discurrant, docentur per hoc quod subditur, *docens;* ut autem pluribus prodesse studeant, et doctrinam suam non suspectam habeant, monentur per quod sequitur, *in synagogis,* ubi plures et doctores conveniebant; ut autem non errores neque fabulas et inutilia, sed salutaria prædicent, docentur per hoc quod subditur, *et prædicans Evangelium regni,* id est, quod docet venire ad regnum; ut autem doctrinam suam virtutibus commendare studeant, et non solum spiritualia, sed etiam temporalia subsidia, et quæcunque possunt beneficia subditis exhibeant, docentur per hoc quod additur, *et sanans omnem languorem, et omnem infirmitatem in populo,* id est, in turba pauperum et minorum. Sic ergo prædicabat Jesus diligenter : quia *circuibat;* generaliter : quia *totam;* non carnaliter : quia *Galilæam;* evidenter : quia *in synagogis;* utiliter : quia *docens,* quoad virtutes et moralia, *et prædicans Evangelium regni,* quoad fidei præcepta et mysteria; mirabiliter : quia *sanans omnem languorum,* diuturnum, *et omnem infirmitatem,* leviorem, ut quibus sermo credere non suaserat, opera persuaderent. Non solum docebat verbo, sed et doctrinam suam confirmabat facto, scilicet per miracula varia, quæ solum fieri poterant virtute divina. Vel quod dixit, *languorem,* ad passiones voluit pertinere corporales; quod autem dixit, *infirmitatem,* ad passiones animæ spirituales, ut ostendatur naturæ Conditor utriusque. Unde tanquam verus medicus omnes interius et exterius curavit infirmitates. Hoc enim Propheta prædixerat, dicens : *Vere languores nostros ipse tulit, et infirmitates nostras ipse portavit.* Unde *Chrysostomus :* « Ad hoc enim doctor vitæ et medicus cœlestis Christus Dominus venerat, ut magisterio suo homines erudiret ad vitam, et ægritudines corporis animæque cœlesti medicina sanaret; ut obsessa corpora a diabolo liberaret, et variis iufirmitatibus laborantes revocaret ad vitam et integram sanitatem; nam valetudines corporum divinæ potestatis verbo curabat, animarum autem vulnera cœlestis doctrinæ medicina sanabat; verus ergo et perfectus medicus ille est, qui et corpori sanitatem, et animæ salutem restituit : » hæc *Chrysostomus.*

7 Fama miraculorum Christi, et Abagari regis epistola. — *Et abiit opinio,* et fama, *ejus in totam Syriam,* quæ est regio spaciosa continens Palæstinam, in qua Judæi habitabant, et quasdam alias provincias circa eam. Syriæ enim terminus ad Orientem est Euphrates; ad Occidentem, mare magnum Achon; a Septentrione, Armenia et Cappodocia; a Meridie Ægyptus et sinus Arabicus. Et sic large accipitur hic Syria, quia stricte accipiendo, scilicet pro quodam regno cujus caput est Damascus, sic non comprehendit Judæam. Non solum

Digitized by Google

ergo in Judæa, sed et in provinciis vicinis abiit ejus fama, propter crebra ipsius miracula : propter quod rex Abagarus, qui regnabat juxta Euphratem, scripsit Salvatori unam epistolam, ut habetur in ecclesiastica historia.

8 Intentiones sequentium Christum per quinque loca significatæ. — *Et obtulerunt ei omnes male habentes variis languoribus et tormentis comprehensos, et qui dæmonia habebant, et lunaticos, et paralyticos, et curavit eos.* Curat corpora, ut paratius adeant invisibilia : aliter parum erat mox morituris curam impendere sanitatis. Ubi *Chrysostomus* : « Et attende moderationem Evangelistæ, qualiter non unumquemque curatorum nobis enarrat ; sed brevibus verbis copiositatem transcurrit signorum : » hæc *Chrysostomus*. Per *dæmoniacos* significantur sortilegi et divini superstitiosi; per *lunaticos,* instabiles in bono; per *paralyticos,* pigri quasi impotentes bonum operari. Isti enim possunt curari per bonam doctrinam prædicatoris et confessoris discreti. *Et secuti sunt eum turbæ multæ de Galilæa,* quæ interpretatur *transmigratio,* et *de Decapoli,* quæ dicitur *decem civitatum regio,* et *de Jerosolymis,* quæ interpretatur *pacifica,* et *de Judæa,* quæ interpretatur *confessio,* et *de trans Jordanem,* qui interpretatur *rivus judicii.* Per hoc enim significatur quod illi Christum sequuntur, qui de vitiis ad virtutes transmigrant, et qui Decalogum observant, et qui pacifice cum aliis habitant, et qui peccata humiliter confitentur, et qui divina judicia formidant. Multi diversarum regionum sunt eum secuti, sicut diversi corpore, ita diversi mente. Alii propter instructionem et cœleste mysterium, ut discipuli; alii propter curationem infirmitatum, ut infirmi; alii propter refectionem, ut famelici; alii propter videnda miracula, ut curiosi, volentes si verum esset quod dicebatur, experiri; alii propter invidiam, ut Judæi observantes eum, et quærentes in aliquo verbo vel facto capere et accusare. Unde sunt *versus :*

Morbus, signa, cibus, blasphemia, [*dogma fuere*
Causæ, cur Dominum turba secuta [*fuit.*

Et ideo quoties in Evangelio turbæ vocabulum inseritur, sicut diversitas hominum, ita et diversitas voluntatum intimatur : non enim omnes eadem voluntate, sed ex diversis causis sequebantur. Quidam pro bono, quidam pro malo, omnibus tamen Dominus beneficia præstabat docendo, alendo et sanando. Istis quinque generibus Dominum sequentium respondent quinque loca prædicta : quia de *Galilæa,* id est, *rota,* veniunt curiosi, quibus dicitur : *Viri Galilæi, quid statis,* etc.; *de Decapoli* veniunt infirmi, ut per observantiam decem mandatorum curentur, quibus dicitur : *Si vis ad vitam ingredi,* etc.; *de Jerosolymis* observatores invidi, quibus dicitur : *Jerusalem, quæ occidis,* etc.; *de Judæa* famelici, ut confitendo peccata et laudes agendo, doctrinis Evangelii satientur; *de trans Jordanem* discipuli, ut instruantur et laventur, et postea instruant et lavent.

9 Accedamus et nos ad Christum, ut bona pro peccatis nobis conferat. — In istis autem quinque significantur quinque status hominum, qui sequuntur Christum : per Galilæam, id est *transmutationem,* status pœnitentium; per Decapolim, id est *Decalogi operationem,* status activorum; per Jerosolymam, id est *pacis visionem,* status contemplativorum; per Judæam, id est *confessionem,* status prælatorum; per trans

Digitized by Google

Jordanem, status innocentium, propter restitutionem sanctitatis, per Baptismum in Jordane signatam. Ubi *Chrysostomus* : « Sequamur illum igitur etiam nos : varios siquidem languores habemus animarum, et hi sunt quibus principaliter vult mederi. Accedamus ergo ad eum, et indulgentiam peccatorum precemur. Nam etiam nunc dabit ille, si nos non negligimus postulare. Nunc vero siquidem habuerimus aliquam corporis passionem, omnia facimus et negotiamur, ut in reliquum ægritudine liberemur ; anima vero nostra tam male se habente, dissimulamus, semper differimus. Propterea nec corporis quidem languoribus liberamur, quoniam quæ maxime necessaria sunt, superflua esse ducimus; quæ vero pene dissimulanda, hæc omnino necessaria judicamus; et fontem ipsum incuratum relinquentes, malorum rivulos purgare conamur, quoniam malorum quæ sunt in corpore malitia animæ est causa. Exsiccemus igitur fontem malorum, et cuncta continuo languorum fluenta siccabuntur. Nec quia non doles ipse cum peccas, age te securum; sed propter hoc ipsum maxime ingemisce, quia non sentis de peccatis dolorem : hoc enim fit, non quia peccata non mordeant, sed quia insensibilis est anima quæ peccat. Est ergo primum bonum nihil omnino peccare; secundum vero, post peccatum sentire quod commiseris atque lugere. Si autem neque hoc habuerimus, qualiter deprecabimur Deum et remissionem peccatorum petemus, de quibus nihil omnino curamus? Cum enim ipse ille qui deliquit ne hoc quidem ipsum quod peccavit studeat agnoscere, pro quibus Deum delictis rogabit quæ adhuc se commisisse nescit? Hæc vero ignorans, quonam modo nosse poterit divini beneficii largitatem? Sollicite igitur propria delicta considera ut discas quorum accipias veniam, atque ita ipsi beneficio gratus existas. Non dolere enim quia peccaveris, magis indignari atque irasci facit Deum, quam illud ipsum quod ante peccaveras; propter hæc ergo omnia, sic Deum precemur, ut etiam nostram jungamus, voluntatem videlicet, ac studium et desiderium bonum. Ita enim etiam brevi tempore poterimus a malis quæ nos obsident liberari, et tunc saltem ubinam fuerimus addiscere, ac digna perfrui libertate : » hæc *Chrysostomus*.

ORATIO

Domine Jesu Christe, qui tanquam studiosus medicus circumeundo quæsisti ægrotantes, ac corporum et animarum sanasti infirmitates, sana me, quæso, interius et exterius variis laborantem infirmitatibus; trahe me post te, ut te sequar de vitiis advirtutes transmigrando, Decalogum observando, pacifice cum aliis habitando, peccata humiliter confitendo, et divina judicia formidando. Educ me de lacu miseriæ, et de luto fæcis, et dirige gressus meos in viam salutis, ut in præceptis tuis proficiant, et ad beatam patriam festinent, ac sine impedimento me perducant. Amen.

Digitized by Google

CAPUT XXXI

De vocatione Matthæi et ejus convivio.

Matthæi cap. 9, Marci cap. 2 et Lucæ cap. 5.

1 VOCATIO MATTHÆI AD TELONIUM SEDENTIS. — *Et cum præteriret Dominus Jesus, venit ad mare Galilææ,* ubi vectigalia, maxime de rebus per mare deductis, solvebantur. *Et vidit ibi,* non tam corporis, quam mentis et miserantis intuitu, *hominem :* scilicet Matthæum, qui et Levi ante vocationem dictus est, Alphæi filium, *sedentem,* in domo, *ad telonium,* id est, ad curam et dipensationem vectigalium : Τέλος enim Græce, *vectigal* interpretatur Latine. Sedebat quippe, id est, pertinaci animo lucris inhiabat : sessio enim moram in lucro consequendo notat. *Et ait illi,* Jesus : *Sequere me,* quasi diceret ei : Jam non sede, sed amodo sequere, non ad lucra, nec secularia negotia; sed me, et affectu cordis, et officio corporis, et effectu operis. Matthæum autem talibus occupatum vocavit, ut de gratia Dei nullus desperet, quantumcunque vilibus occupatus fuerit. Qui statim *surgens,* a telonio in quo sedebat, et de amore terrenorum ad desiderium supernorum, *relictis omnibus,* scilicet suis et etiam alienis, ex rapina collectis : reliquit enim etiam propria, qui rapere solebat aliena, quia, secundum *Chrysostomum,* telonium est rapina permissa; *secutus est eum,* sine aliqua dilatione, tam gressu, quam affectu, sicut discipulus Magistrum, sicut viator ducem suum, sicut servus Dominum, sicut ovis pastorem suum; funem præcidens, non solvens, secundum *Hieronymi* consilium. Secutus est quidem sine dilatione, divina potentia intus operante, accendente et docente. Qui enim exterius vocavit, ut mox sequeretur intus accendit, traxit et modum docuit. Unde *Hieronymus :* « Fulgor ipse et majestas deitatis occultæ, qua etiam in facie relucebat humana, videntes ad se trahere poterat in primo aspectu. Si enim in magnete lapide hæc esse vis dicitur ut ferrum trahat, quanto magis Dominus omnium creaturarum ad se trahere poterat quos volebat? » Ubi et *Chrysostomus :* « Sicut vidisti vocantis virtutem, ita addisce vocati obedientiam. Neque enim restitit, neque vacillavit, sed protinus paruit; et nec in propriam domum abire rogavit, ut suis hæc intimaret : » hæc *Chrysostomus.*

2 CONVIVIUM MATTHÆI HUJUSQUE MORALIS SIGNIFICATIO. — Lætus igitur Dominum sequens, et gratus existens, eum et discipulos ipsius in domo sua recepit, et convivii magni apparatum eis exhibet congruam cœlestis beneficii vicem Christo rependens, ut illi redderet terrena, qui ei seminaverat spiritualia; et accommodaret temporalia, a

Digitized by Google

quo exspectabat bona perpetua. *Convivium,* quidem exhibet, *magnum,* id est, ex magna devotione et delectatione mentis, pro adventu et præsentia tanti hospitis, et tam magnum ut de reliquiis reficiantur Angeli in cœlis; quia gaudium est *Angelis Dei super uno peccatore pœnitentiam agente.* Et bene congruit quod magnum esset. Qui enim, ut ait *Ambrosius,* domicilio Christum recipit interno, maximis delectationibus exuberantium pascitur voluptatum. Itaque Dominus libenter ingreditur, et in ejus recumbit affectu. Ubi *Chrysostomus :* « Statim ut dictum est illi a Domino, *sequere me,* non moratur, non tardat, sed *mox* surgens, *secutus est eum.* In quo se fidelem Deo et Abrahæ filium esse simili exemplo vocem Domini sequendo probavit : unde statim, exemplo Abrahæ, et hospitio Dominum recipit, et convivium exhibet, ut vere per omnia dignus Abrahæ filius nosceretur : » hæc *Chrysostomus.* Mystice, sicut Matthæus post suam conversionem fecit Christo convivium in domo sua : sic quilibet conversus ad Christum debet sibi facere convivium spirituale in domo sua spirituali, scilicet in corde et conscientia, ubi servire ei debet de sanctis cogitationibus, meditationibus et affectionibus. Unde in Apocalypsi : *Ego sto ad ostium et pulso : si quis aperuerit mihi, introibo ad eum, et cœnabo cum eo, et ipse mecum.*

3 MULTI PUBLICANI CUM CHRISTO DISCUMBUNT.—*Discumbentibus* autem *eis in domo, ecce multi publicani et peccatores,* ac ceteri ejusdem ordinis homines, illuc ad convivium conveniebant, *et cum Jesu et discipulis ejus discumbebant.* Fuerant enim socii Matthæi, et ejusdem artis seu officii : et ideo recedens ab eis et volens sequi Christum, fecit eis convivium, sicut fecit Elisæus sociis suis, volens sequi Eliam magistrum suum. Erant etiam multi peccatores alii, qui jam pœnitentes sequebantur Dominum, sperantes veniam consequi peccatorum. Unde *Hieronymus :* « Quia viderunt publicanum a peccatis conversum, et pœnitentiæ invenisse locum, ob id etiam ipsi non desperabant ; sed veluti pœnitentes veniebant *et discumbebant cum Jesu et discipulis ejus,* forte invitati a Matthæo, ut haberet socios in pœnitentia, quos habuit socios in culpa. » Et, secundum *Glossam,* pulchrum fuit præsagium, quia qui Apostolus et doctor gentium erat futurus, in prima sua conversione peccantium gregem post se trahit ad salutem, ut jam perficeret exemplo, quod perficere debebat et verbo. Ubi *Chrysostomus :* « Post comprobatam igitur fidem Matthæi, qui unus ex publicanis fuit, merito jam cum Domino in convivio peccatores et publicani recumbunt; conveniunt autem publicani ad eum sicut ad collegam et hominem ejusdem officii; decoratus enim in ingressu Christi, et glorians de præsentia ejus, omnes eos convocavit. Christus etiam quodlibet genus remedii exhibebat, et non solum disputando et præstando sanitatum remedia, vel arguendo æmulos, sed etiam comedendo nonnullos errantium dirigebat; inde nos instruens quod quodlibet opus et tempus potest nobis utilitatem afferre; sic nec publicanorum participationem vitavit, propter utilitatem sequentem, more boni medici, qui nisi saniem tangeret, a morbo non liberaret. » Unde et *Hieronymus :* « Ibat autem Dominus ad convivia peccatorum, ut occasionem haberet docendi, et spirituales imitatoribus suis præberet cibos. Denique cum frequenter pergere ad convivia describatur, nihil refertur aliud, nisi quid ibi fecerit, quid docuerit, ut

Digitized by Google

et humilitas ejus, eundo ad peccatores, et potentia doctrinæ ejus in conversione pœnitentium demonstraretur : » hæc *Hieronymus*. Et nos eadem causa possumus manducare cum peccatoribus, ut alterius causa potius quam nostra agatur; non tamen cum usurariis et raptoribus, quia ea quæ apponuntur, restituere tenentur.

4 MURMURATIO PHARISÆORUM. — *Pharisæi* vero, tenacitati justitiæ Legis et traditionum suarum adhærentes, et misericordiam declinantes, de hoc indignati, *murmurabant*, et hoc arguentes, *ad discipulos Jesu dicebant : Quare cum publicanis et peccatoribus manducat et bibit Magister vester?* Quasi dicerent : Contrarius est Legi hoc prohibenti, et estis fatui qui talem Magistrum sequimini. Consuetudo detractorum est loqui de alio, non in facie illius. Unde quando discipuli videbantur eis peccare, alloquebantur Magistrum ut alibi; quando vero Magister, alloquebantur discipulos, ut hic; utrobique tamen in Magistrum injuriam irrogantes, quia error discipulorum ignominia est magistrorum. Sic hodie faciunt detractores bona facta membrorum Christi denigrantes. Dupliciter isti errabant, quia putabant se esse justos, cum superbi essent; et illos reos, cum jam pœniterent, similes Pharisæo qui se justificabat et alios condemnabat. Vera justitia compassionem habet, falsa dedignationem. Solent etiam justi peccatoribus indignari; sed aliud est quod agitur typo superbiæ, aliud quod zelo disciplinæ. His Pharisæis similes sunt, qui traditiones suas præceptis Domini et operibus misericordiæ præponunt, colentes cum appetitu, et exsequentes cum diligentia culicem suarum traditionum, et deglutientes camelum mandatorum Dei, ac mandata maxime saluti necessaria, quasi amara cito exhaurientes et prætereundo postponentes.

5 CHRISTUS RESPONDIT EIS PRIMO PER RATIONEM.—Sed ipsis Pharisæis murmurantibus obviat Domini misericordia, provocans peccatores ad pœnitentiam : cujus cibus, et potus, et ambulatio, et omnia quæ gessit, saluti serviunt; cujus omnis actio nostra est lectio et instructio; ac Magister, *cujus livore sanati sumus* seipsum medicum ostendens, pro discipulis suis respondit Pharisæis : primo per rationem, dicens : *Non est opus*, et peroperosus, id est, necessarius, *valentibus*, id est, sanis, *medicus*, verum est ad collationem sanitatis; sed tamen ad conservationem bene est necessarius, *sed male habentibus*, et infirmis, et ergo familiarius se debet habere ad infirmos qui eo indigent, quam ad sanos qui non egent. Cum igitur Christus sit verus medicus animarum, familiarius se debuit habere ad peccatores, qui sunt infirmi infirmitate spirituali. Quasi dicat : Vos sani estis reputatione vestra, ideo opus non habetis visitatione nostra; sed isti se infirmos reputant et peccatores. Unde *Glossa* : « Ideo vos declino, quia putatis vos non indigere; sed illos visito, quia pœnitendo dant locum gratiæ. » Ubi, secundum *Chrysostomum*, ostendit non mereri eos sanitatem cœlestem consequi, qui sanos se, id est, justos esse putant, medicinam Domini respuentes; sed eos qui infirmitatem suam, hoc est peccata propria cognoscentes, ac tota fide credentes medelam cœlestis gratiæ quærunt. Ut enim ait *Augustinus* : « Nemo a Deo fit firmus, nisi qui se a seipso sentit infirmum. »

6 RESPONDIT EIS SECUNDO PER AUCTORITATEM OSEÆ PROPHETÆ. — Deinde respondit eis secundo per auctoritatem in Osea inscriptam, exprobrando eis Scripturarum igno-

Digitized by Google

rantiam, dicens : *Euntes autem discite,* a temeritate vestra excedendo, *discite* ignorantiæ vestræ subveniendo, *quid est,* quod dicit Dominus in Osea : *Misericordiam volo,* per peccati dimissionem, *et non sacrificium,* per holocaustorum oblationem. Unde in Proverbiis : *Facere misericordiam et judicium magis placet Domino quam victimæ,* quasi diceret : Ite, et diligenter considerate illud quod scribitur in Osea propheta, quia si hanc consideraveritis Scripturam, invenietis me facere secundum ipsam. *Misericordiam volo,* potius sine sacrificio, et sum cordis humilitate, quam sacrificium sine misericordia, et cum cordis elatione : unde plus diligit Deus peccatorem humilem, qui suæ infirmitatis conscius pœnitendo se gratiæ Dei submittit, quam justum superbum, qui de sua justitia præsumens, alios condemnat et misericordiam circa eos reprehendit. Secundum *Chrysostomum,* Scribæ et Pharisæi omnia peccata sua putabant sacrificiis Legis posse deleri, et omnem reliquam virtutem contemnentes, in sacrificiis totam spem ponebant : et ideo Dominus misericordiam sacrificio prætulit, ut manifeste ostenderet, non per sacrificia Legis, sed per opera misericordiæ peccatorum delicta posse purgari. Ubi *Glossa :* « Non tamen despicit Deus sacrificium, sed sacrificium sine misericordia. Faciebant autem Pharisæi sacrificia, ut justi apparerent coram populo; nec exercebant opera misericordiæ, in quibus probatur vera justitia. » Ubi et *Rabanus* : « Admonet itaque eos ut per opera sibimetipsis supernæ misericordiæ præmia conquirant, et non contemptis pauperum necessitatibus, per oblationem se sacrificiorum Deo placere confidant. »

7 PROPONIT EIS SUUM DE MISERICORDIA EXEMPLUM. — Unde et suum de misericordia exemplum eis proponit, dicens : *Non veni enim vocare justos,* scilicet ad pœnitentiam, sed tantum ad proficiendum, et ut proficiant de virtute ad virtutem; *sed peccatores,* ad pœnitentiam, ut corrigantur per eam. Vel, *non veni vocare justos,* id est, eos qui se justos reputant, qui ignorantes Dei justitiam, suam constituere volunt, quia si convertantur peccatores, jam non sibi justi videntur; *sed peccatores,* id est, peccata et mala sua attendentes, qui se peccatores esse, et medico egere recognoscunt ac gratiæ Dei pœnitendo se subjiciunt. Vel, *non veni vocare justos,* quia nulli sunt justi, *sed peccatores,* quia *omnes peccaverunt et egent gloria Dei.* Ubi *Gregorius Nyssenus :* « Quasi diceret : Adeo peccatores non abominor quod eorum tantum gratia veni, non ut maneant peccatores, sed ut convertantur et boni fiant. » Unde Apostolus : *Christus Jesus venit in hunc mundum peccatores salvos facere.* Ecce magna spes peccatorum, quia propter eos venit Dei Filius in hunc mundum. Unde et *Augustinus :* « Nulla causa veniendi fuit Christo Domino, nisi peccatores salvos facere. Tolle morbos, tolle vulnera, et nulla est medicinæ causa. Sic venit de cœlo magnus medicus, quia magnus per totum orbem jacebat ægrotus, humanum genus. Venit unus sine peccato, qui plures salvos faceret a peccato. Non enim de cœlo traxerunt eum nostra merita, sed nostra peccata. » Ergo, ut ait *Ambrosius :* « Usurpatores justitiæ non vocantur ad gratiam; nam si gratia ex pœnitentia, utique qui fastidit pœnitentiam, abdicat gratiam. »

8 PUBLICANI QUI NUNCUPABANTUR. — Publicani quippe vocantur, qui vel publice sceleribus fœdantur;

Digitized by Google

vel qui publica vectigalia seu tributa exigunt; vel qui conductores sunt vectigalium seu fisci, aut rerum publicarum; vel qui aliis publicis negotiis et actibus implicantur, et seculi lucra per negotia sectantur, ut communiter sunt campsores, et pecuniarum numeratores, ac alii hujusmodi et similes. Principaliter tamen qui vectigalia seu tributa exigunt, dicuntur publicani, a Publio rege Romano, qui eos primo ordinavit, sic dicti. Et quia, secundum *Gregorium*, talia negotia vix aut nunquam sine peccato exerceri possunt, ideo in hoc magna Dei gratia patet, quæ ex talibus Matthæum ad statum apostolicum revocavit. Ostenditur autem hic in verbis et factis Christi, quod peccatores redeuntes sunt dulciter recipiendi, quia Christus dulcem se exhibuit in receptione Matthæi publicani. Unde, secundum *Hieronymum*, ceteri Evangelistæ propter verecundiam et honorem Matthæi, noluerunt eum appellare nomine vulgato, sed dixerunt *Levi*. Ipse autem Matthæus, secundum illud Salomonis : *Justus prior est accusator sui, Matthæum se* et *Publicanum* nominat : ut ostendat lugentibus nullum debere salutem desperare, si ad meliora conversus sit, cum ipse de publicano in Apostolum sit repente mutatus. In hoc etiam instruimur, quod peccata et defectus aliorum in quantum possumus celare et occultare debemus, ut nec verbo, nec nutu veniant in aliorum, non tantum cognitionem, sed nec suspicionem; ac nosmetipsos accusare, et, quod turpius est, in peccatis nostris exemplo Matthæi confiteri.

9 Vocatio Matthæi in sensu figurato. — Per Matthæi electionem et publicanorum vocationem, secundum *Bedam*, fides Gentium exprimitur : qui prius lucris mundi inhiabant, et nunc spiritualiter a Domino reficiuntur; sed per superbiam Pharisæorum invidia Judæorum insinuatur, qui de salute Gentium torquentur. Vel Matthæus significat hominem terrenis lucris inhiantem; quem Jesus videt, dum oculis misericordiæ respicit, et vocat eum, vel per prædicationem, vel per Scripturæ admonitionem, vel per internam inspirationem, vel per tribulationem, vel per quamcunque viam aliam. Potest etiam vocatio Matthæi ad Apostolatum significare vocationem hominis secularis ad religionis statum; Pharisæi vero murmurantes, homines maligni, religionis statui detrahentes, quibus bene dicitur : *Euntes discite quid est, misericordiam volo, et non sacrificium;* opus enim magnæ misericordiæ est peccatores ad pœnitentiam vocare.

10 Jejunium Pharisæorum. — *Tunc* accedentes Pharisæi et *discipuli Joannis* quærebant a Domino Jesu, quare ipsi frequenter, sed non sui discipuli jejunarent. Pharisæi enim frequenter jejunabant, cum quibus Joannis discipuli adhuc in consuetudinibus Judaicis permanebant. Sicut autem prius Pharisæi ad discipulos accesserant, ut apud eos Magistrum de consortio peccatorum, in convivendo arguerent; sic modo ad Magistrum accedunt, ut apud eum discipulos de jejuniorum omissione arguant, ut sic inter eos materia dissidii possit oriri. Isti in duobus deficiebant : primo, quia de sua abstinentia se jactabant, cum talia in secreto fieri debebant; secundo, quia Christum arguebant ex defectu abstinentiæ in discipulis, defectum et errorem discipulorum retorquentes in Magistrum. Per istos qui de frequenti jejunio se jactabant, et propter illud se discipulis Christi præferebant, significantur hypocritæ, propter apparentiam suæ

Digitized by Google

religiositatis alios contemnentes, dicentes illud cum Pharisæo : *Non sum sicut ceteri hominum; jejuno bis in sabbato,* etc.

11 CHRISTUS DISCIPULOS NON JEJUNANTES EXCUSAT PRIMA SIMILITUDINE DE FILIIS SPONSI. — Jesus autem confutavit eos, et rationabiliter excusavit discipulos : tum quia corporaliter cum eis erat, tum quia rudes et nondum perfecte innovati essent, nec difficilia et nova sustinerent, ponendo ad idem tres similitudines, scilicet : de nuptiis et de sponso, de panno et vestimento, de utribus et vino. Unde *ait : Numquid possunt filii* nuptiarum seu *sponsi,* scilicet Christi Sponsi Ecclesiæ, hoc est discipuli de me et Ecclesia per fidem geniti, *jejunare,* seu lugere, *quandiu cum illis est Sponsus?* Secundum *Hieronymum,* quoddam est jejunium exspectationis, ut persona melius exspectetur : et sic in Veteri Testamento jejunabatur; et isto discipuli non indigebant, quia jam præsentem Christum habebant. Aliud est jejunium vexationis, quod ordinatur ad carnis refrænationem, et disponit ad contemplationem, quo quis jejunat, retrahendo se a delectationibus carnalibus, ut repleatur spiritualibus; et isto etiam non indigebant, cum ad tales non afficerentur delectationes, et Christum præsentem haberent, cujus præsentia et doctrina plus refrænavit concupiscentias illicitas in eis quam jejunii austeritas in aliis. Et ideo *jejunare* et lugere non habebant, quandiu Sponsum per corporalem præsentiam cum Sponsa esse videbant; sed potius de Sponsi gratulari præsentia, quæ plus proficit quam corporalis abstinentia. Est et aliud jejunium, quod ex plenitudine et perfectione contemplationis procedit, quale jejunium Moysi in monte fuit : quanto enim anima est in contemplatione magis elevata, tanto est pauciori nutrimento contenta; et tale jejunium non competebat discipulis, quia adhuc erant rudes et imperfecti. Sed prius debuerunt per charitatem Spiritus Sancti innovari, quod factum est in die Pentecostes, quando fuerunt per gratiam Spiritus Sancti innovati, et tunc debebant incipere novum modum vivendi.

12 QUANDONAM SPONSUS AUFERTUR. — Deinde subjungit : *Venient autem dies,* scilicet passionis et ascensionis, *cum auferetur ab eis Sponsus,* corporali præsentia, *et tunc jejunabunt,* jejunio mœroris in humilitate tribulationis, et illi dies luctus erunt et doloris. Unde Apostolus : *In fame et siti, et jejuniis multis.* Unde et *Augustinus :* « Quasi diceret : Tunc desolabuntur, et in mœrore et luctu erunt, donec eis per Spiritum Sanctum gaudia et consolatoria retribuantur. » Secundum *Bedam,* « notandum hunc luctum abstihentiæ Sponsi, non nunc tantum, id est, post mortem resurrectionemque ejusdem Sponsi, sed et ante Incarnationem illius, per totum hujus seculi tempus esse celebratum. Prima quippe tempora Ecclesiæ ante Virginis partum Sanctos habuere, qui desiderarent Incarnationis Christi adventum. Ista vero tempora ex quo ascendit in cœlum Sanctos habent, qui desiderent ejus manifestationem, ad vivos et mortuos judicandos. Neque hic desiderabilis Ecclesiæ luctus requievit aliquantulum, nisi quandiu hic cum discipulis in carne versatus est : » hæc *Beda.* Et licet hoc de præsentia sua corporali Christus dixerit, moraliter tamen dies quibus aufertur nobis Christus, sunt dies culpæ, quando a domo conscientiæ excludimus verum Sponsum animæ Christum, et introducimus adulterantem diabolum, et tunc jejunamus et caremus cibo spiritua-

Digitized by Google

lis consolationis, et habemus dies luctus et doloris. Igitur tenendus est Sponsus, ne perdatur cibus; sed cum aufertur a nobis Sponsus per mortale peccatum, tunc jejunandum est nobis per pœnitentiæ effectum et luctum. Quandoque etiam Sponsus se subtrahit, ut avidius revocetur et fortius teneatur, et tunc continuis desideriis et suspiriis est revocandus; quia quandiu Sponsus nobiscum est et in lætitia sumus, nec jejunare nec lugere possumus. Unde *Ambrosius* : « Jejunant hi quibus abest Christus, qui bonorum meritorum copiis egent. At vero cui virtus sua voluntate sufficit, quia sua domo recipit Christum, convivium magnum exhibet : hoc est bonorum operum spirituale convivium, quo dives populus eget, pauper epulatur. Nemo tibi Christum potest auferre, nisi te illi ipse auferas; non te auferat jactantia tua, non te auferat arrogantia : » hæc *Ambrosius*.

13 SPONSUS ET SPONSA IN SENSU SPIRITUALI. — Spiritualiter anima sponsa est, cum qua Christus esse desiderat. Iste Sponsus habet omnes conditiones desiderabiles in sponso : quia ditissimus, alioquin sponsam suam non dotaret; unde in Proverbiis : *Mecum sunt divitiæ*. Quia sapientissimus, alioquin totum dissiparet; unde Apostolus : *In quo sunt omnes thesauri sapientiæ*. Quia pulcherrimus, alioquin sponsæ displiceret; unde in Psalmo : *Speciosus forma, præ filiis hominum*. Quia nobilissimus, alioquin contemneretur; unde Sapientia generositatem illius glorificat. Quia potentissimus, alioquin opprimeretur; unde Ecclesiasticus : *Unus est Altissimus, Creator*. Quia optimus, alioquin non diligeretur; unde et in Canticis : *Dilectus meus*, etc., *electus ex millibus*. De his omnibus Apostolus ad Hebræos : *Locutus est nobis in Filio*, ecce nobilitatis excellentia; *quem constituit heredem universorum*, ecce divitiarum affluentia; *per quem fecit et secula*, sic mira, ecce mirabilis sapientia; *qui cum sit splendor gloriæ*, ecce formæ elegantia; *portans omnia verbo virtutis*, ecce infinita potentia; *remissionem peccatorum faciens*, ecce bonitas immensa. Talis Sponsi sponsa, talis Sponsi filii non habent lugere, quandiu Sponsus est cum illis. Et nota quod Christus quandoque vocat se Dominum, quandoque patrem, quandoque sponsum. Unde *Gregorius* : « Quando vult timeri, Dominum; quando honorari, patrem; quando amari, sponsum se nominat Dominus. Attende ordinem : ex timore enim solet procedere honor, ex honore amor. » Unde et *Bernardus* : « Si ego Dominus, ubi est timor meus? Si ego pater, ubi est honor meus? Sed si se sponsum exhibeat; puto, quia mutabit vocem et dicet : Si ego sponsus, ubi est amor meus? Exigit ergo Deus timeri, ut Dominus; honorari, ut pater, et ut sponsus amari. Quid in his præstat, quid eminet? Nempe amor. Absque hoc et timor pœnam habet, et honor non habet gratiam. Servilis est timor quandiu ab amore non manumittitur. Et qui de amore non venit honor, non honor, sed adulatio est. Et quidem *soli Deo honor et gloria;* sed horum acceptabit neutrum Deus, si melle amoris condita non fuerint. Is per se sufficit; is per se placet, et propter se. Ipse meritum, ipse præmium est sibi. Amor præter se non requirit causam, non fructum. Fructus ejus usus ejus : » hæc *Bernardus*. Et ut idem *Bernardus* dicit : « Anima sponsa Dei dicitur, quia donis gratiarum subarata; quia casto amore illi sociata; quia prole virtutum fœcundanda. »

Digitized by Google

14 CHRISTUS PONIT SECUNDAM SIMILITUDINEM, DE COMMISSURA VESTIMENTI. — Deinde ponit secundam similitudinem, quia, *nemo*, sapiens et secrete operans assumit, vel *immittit*, et inserit veteri vestimento assumentum, vel, *commissuram*, id est particulam seu supplementum, *panni rudis*, scilicet nondum usitati, quia in novitate est spissior et rudior. Novum enim, *tollit plenitudinem*, id est uniformitatem, seu pulchritudinem, *a vestimento*, et facit difformitatem, et propter pondus suum rumpit vetus, et facit in eo scissuram seu rupturam majorem. Commissura quippe idem est quod junctura, seu particula quæ mittitur cum alia : dicta a *cum*, id est *simul*, et mittere, quasi *simul mittere* : illa enim quæ conjunguntur simul mittuntur.

15 PONIT TERTIAM DE VINO ET UTRIBUS. — Deinde ponit tertiam similitudinem, quia nemo sapiens et discrete agens, *mittit vinum novum in utres veteres*, quia tunc est in ebullitione, *et utres*, propter vini fortitudinem, *rumperentur*, et vinum effunderetur ; *et nemo bibens vetus vinum statim vult novum*, propter consuetum veteris usum. Sic a simili hominibus veteri consuetudine imbutis, et de novo conversis, non expedit statim gravem abstinentiam imponere, quia difficile est assueta relinquere. Ex omnibus his similitudinibus concludere vult Magister bonus, quod discipuli sui adhuc quasi novitii non debeant austerum continuare jejunium ; sed postea jejunarent cum essent magis solidati et innovati per Spiritum Sanctum. Ex his etiam vult concludere, quod noviter conversi non sunt nimis per pœnitentiam onerandi, ne propter nimiam austeritatem desperent et totum dimittant; et ea quæ sunt perfectionis magnæ, non sunt hominibus imponenda, donec spoliati fuerint veteri vita, quia hominibus de novo conversis opera inconsueta sunt difficilia et dura; sed paulatim assuefaciendo efficiuntur facilia et suavia. Qui ergo vult aliquem ad virtutes et perfectionem inducere, parva quædam debet primum suadere emendare; et sic gradatim ultra procedere. Unde *Chrysostomus* : « Hoc autem dixit, regulam dans suis discipulis, ut discipulos ex universo orbe terrarum cum mansuetudine suscipiant. Itaque neque nos omnia ab omnibus exspectamus in procœmis sed quemcunque possibilia sunt et velociter et ultra incedemus : » hæc *Chrysostomus*. Hujus loci memor debet esse quilibet condens decreta vel traditiones; et etiam confessor imponens pœnitentiam pœnitentibus. Melius est enim exemplo Domini pœnitentiam levem et tolerabilem alicui injungere quæ impleatur, quam gravem et importabilem, qua non impleta oneratus reus constituatur. Melior est levis pœnitentia hilariter peracta, quam gravis in angaria et rejecta. Ita est de sententia danda, ita de decreto promulgando, ut semper misericordia et lenitas superexaltet judicium et austeritatem.

ORATIO

Domine Jesu Christe, qui multis modis me vocas et admones, ut sequar te, tu, divina inspiratione cor meum accende, ut te vocantem sequar tua gratia, nec aliquid me separet a charitate tua. Da mihi ut de sanctis cogitationibus, meditationibus, et affectionibus, bonisque operibus et virtutibus

Digitized by Google

tibi serviam, et convivium ex magna delectatione et devotione mentis exhibeam. Et qui misericordiam vis potius quam sacrificium, et venisti vocare peccatores magis quam justos, præsta mihi misero peccatori, ut in me tuam misericordiam merear clementer experiri. Amen.

CAPUT XXXII

De electione duodecim Apostolorum.

Lucæ cap. 6.

1 CHRISTUS PERNOCTAT IN ORATIONE, UT NOS MODUM ORANDI DOCEAT. — Deinde postquam Dominus plures discipulos vocavit, *videns turbas*, sequentes, *dimisit eas*, et a strepitu recessit. Tunc *exiit in montem*, Thabor, *solus orare*, quia qui bene orat, mentem sursum levat a terrenis; cui etiam necessaria est tranquillitas corporalis. Hic mons est in campo Galilææ, in cujus descensu et pede ostenditur locus ubi Melchisedech obviavit Abrahæ a cæde regum revertenti, et ad radicem ejus fluit torrens Cyson. In hoc monte fuit abbatia nigrorum monachorum, sub metropolitano Nazareno, a qua civitate contra Orientem ipse mons distat quarto milliario. Vel secundum quosdam, ascendit in quemdam montem alium supra mare Galilææ situm. *Et erat pernoctans in oratione Dei*, non seculi; non pro se tanquam infirmus et indigens, sed pro nobis tanquam pius et clemens. Quædam enim oratio est Dei, ut pro spiritualibus et veris bonis consequendis. Quædam est seculi, ut pro terrenis conferendis, quæ est etiam diaboli, si ex cupiditate fiat. Quædam est tantum diaboli, pro carnalibus desideriis implendis. Ubi *Ambrosius* : « *Et erat*, inquit, *pernoctans in oratione*. Species tibi datur, forma præscribitur quam debes æmulari. Quid enim te pro salute tua facere oportet, quando pro te Christus in oratione pernoctat? Quid te facere convenit, cum vis aliquod officium pietatis adoriri, quando Christus missurus Apostolos oravit prius? Et *solus* oravit, nec usquam alibi, si non fallor, orasse cum Apostolis reperitur. Ubique solus obsecrat : Dei enim consilium humana vota non capiunt, nec quisquam interiorum potest esse particeps cum Christo. » Unde et *Bernardus* : « *Tu*, inquit, *cum oraveris, intra in cubiculum tuum, et clauso ostio ora*, et quod dixit, fecit. *Solus in oratione pernoctabat*, non modo abscondens se a turbis, sed nec ullum quidem discipulorum, nec ullum domesticorum admittens. Denique tres secum intimos sibi adduxerat, cum ultro properaret ad mortem, *avulsus est ab ipsis* orare volens. Ergo et tu fac similiter quando orare volueris. » Unde et *Chrysostomus* : « Exsurge igitur et

Digitized by Google

tu in tempestate noctis, purior est tunc temporis anima, ipsæ tenebræ silentium nimium possunt sufficienter ad compunctionem perducere. Tunc non vexat inanis gloria, non accidia et concitatio occupat; non sic ignis ferri sequestrat rubiginem, velut nocturna oratio æruginem peccatorum. Quæ de die solis æstus percussit, nocte refrigerantur; quemlibet rorem superant nocturnæ lacrymæ, et contra concupiscentiam valent, et quemlibet tumorem. Si vero prædicto rore non foveatur homo, arescit sub die. Quapropter ores noctu, et ostendas quod non solum ad corpus nox pertinet, sed etiam ad animam! » hæc *Chrysostomus*. Qui ergo Deum orando quærit, exsurgentem strepitum vitiorum premens ad superiora progrediatur, et ad verticem sublimioris curiæ ascendat, ut exteriori cessante tumultu, in quodam mentis secreto per interna desideria silenter cum Domino loquatur. Cupienti enim cum Deo loqui, et consolationem divinam promereri expedit solitudinem quærere et consolationem humanam relinquere. Cujus exemplum habemus in Joanne Evangelista; qui quantum in solitudine profecerit et lucratus sit, pene omnibus notum est. In Pathmos insulam exsilio relegatus et consortio hominum destitutus, consolationem Angelorum promeruit, et Apocalypsim quam ei Dominus pro statu Ecclesiæ præsentis, scilicet et futuræ, revelare dignatus est, propria manu scripsit. Unde *Beda* : « Historia nota est Joannem a Domitiano Cæsare propter Evangelium in insulam relegatum, cui tunc congrue secreta datum est cœli penetrare, cum certa terrarum spatia negabatur excedere. Et similia reperiuntur de pluribus aliis, qui modico tempore plus lucrati sunt soli quam toto tempore suo lucrati fuerint comitatu. Quando autem Christus orat, theoricam; quando docet, practicam vitam informat, ne quis pro cura proximi a contemplationis studio torpescat, vel pro studio divinæ contemplationis, quamvis superior sit, proximi curam negligat. » Unde *Anselmus* : « Regnum Dei prædicando diebus cum populo commoratur, et confluentes turbas miraculis et verbis ædificat; noctibus montem frequentans, orationibus vacat, admonens pro congruentia temporis nunc proximis inter quos vivimus, verbis et exemplis pro modulo nostro vitæ viam demonstrare, nunc solitudinem mentis adeuntes, et virtutum montem ascendentes dulcedini supernæ contemplationis inhiare, et intentionem nostram infatigabili affectu ad superna dirigere. » Huic illud *Bernardi* consonat, quo de se et sibi ipsi dicebat : *Venite, ascendamus ad montem Domini, et ad domum Dei Jacob, et docebit nos vias suas* : intentiones, cogitationes, voluntates et affectiones, et omnia interiora mea; *venite, ascendamus in montem Domini,* in locum ubi Dominus videt vel videtur. Curæ, sollicitudines, anxietates, pœnæ; exspectate hic cum asino corpore isto, donec ego cum puero, id est intelligentia, usque illuc properantes revertamur ad vos. Revertemur enim ad vos, et heu! revertemur quam cito.

2 MANE FACTO DUODECIM ELIGIT APOSTOLOS. — *Et cum factus esset dies, vocavit Dominus ad se discipulos suos,* forte adhuc dormientes, *et elegit ex ipsis* XII, seu fecit statuendo ut essent XII, cum illo magis principales, *quos et Apostolos,* id est missos : scilicet ad prædicandum regnum Dei, *nominavit,* prius quidem vocavit eos ad discipulatum, sed modo ad Apostolatum. Considera hic, quod Christus Apostolos electurus orabat prolixe, quia erat

Digitized by Google

pernoctans in oratione; et sic diutina et nocturna oratione præhabita, elegit Apostolos, per hoc ostendens quod promotioni prælatorum in Ecclesia Dei debent orationes devotæ præmitti, et quod ipsi per devotas orationes, et non per inductiones et promissiones, sunt eligendi. Unde *Glossa* : « Dominus in montem ascendens ad se vocat et elegit quos vult, quia non illorum electionis et studii, sed divinæ erat dignationis et gratiæ, ut in Apostolatum vocarentur. Unde ait : *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos:* ergo humanum studium, ut precum humanarum, pecuniæ, quæstus, generis, et hujusmodi excludit Dominus ab electione prælati, ut in ea currat sola gratia divina, propter quam tantum et per quam debet quis eligi. Unde in Psalmista : *Ascendunt montes, et descendunt campi in locum,* scilicet prælationis, *quem fundasti eis,* non pecunia, non carnalis affectus; sed sola gratia et electio canonica, quæ hodie ad perniciem Ecclesiæ multipliciter corrumpitur, non sine magna Dei offensa. Per hoc autem quod Apostolos instituit in monte, significavit quod Episcopi Apostolorum successores in superiori gradu sunt Ecclesiæ. Unde dicuntur Episcopi, ab ἐπὶ, quod est supra, et σκοπὸς intentio, qui supra gregem Dominicum debent intendere, ut eum ad superna valeant erigere. Sed, heu! multi ex eis inferiores in opere sunt; et nec sibi, nec aliis prosunt, et sic nomen sine re tenent. »

3 DUODENARIUS NUMERUS IN MULTIS COMMENDATUS ET PRÆFIGURATUS. — Sicut autem in vocatione fuit commendatio gratiæ, sic in numero congruentia figuræ; nam duodenarius Apostolorum numerus in multis est figuratus. Isti enim XII Apostoli sub figura loquendo sunt : Primo, XII patriarchæ; totum populum Christianum spiritualiter generando. Secundo, XII viventes fontes in Helym; doctrinis suis Ecclesiam et mundum irrigando. Tertio, XII lapides in veste pontificali; exemplis sanctis Ecclesiam adornando. Quarto, XII panes supra mensam propositionis; animas verbo vitæ reficiendo. Quinto, XII principes tribuum; præcepta salutaria promulgando, et Ecclesiam salubriter gubernando. Sexto, XII exploratores terræ promissionis; futuram vitam per contemplationem inquirendo, et postea devotis annuntiando. Septimo, XII lapides de Jordane sublati; mundi fluxum contemnendo. Octavo, XII lapides altaris; Christi sacrificium in se portando. Nono, XII vituli Domino immolati; pro Christo martyrium sustinendo. Decimo, XII boves sub mari æneo; Baptismi gratiam prædicando et ministrando. Undecimo, XII leunculi in throno Salomonis; tyrannos mundi vincendo, et obstinatos comminatione pœnarum inferni terrendo. Duodecimo, XII Prophetæ; de futuro tempore Ecclesiam admonendo. Tredecimo, XII horæ diei; vitæ Christianæ tempora ordinando. Quartodecimo, XII portæ civitatis; potestate clavium regnum cœlorum aperiendo. Quintodecimo, XII fundamenta civitatis; Ecclesiam meritis et precibus sustentando. Sextodecimo, XII stellæ in corona sponsæ; Ecclesiam doctrinis et miraculis illustrando. Secundum *Bedam*, etiam hunc numerum Apostolorum instituit certa causa mysterii, ut scilicet mundi salutem, quam verbo prædicarent, suo quoque numero commendarent. Ter enim quatuor XII faciunt; et totidem Apostoli ad prædicandum missi sunt, quia per eos fides sanctæ Trinitatis in quatuor mundi partibus prædicanda erat, ut quadratum orbem fide sanctæ Trinitatis insignirent. Unde

Digitized by Google

et de civitate sancta Jerusalem descendente de cœlo a Deo, scriptum est : quia *erant ab Oriente portæ tres, et ab Aquilone portæ tres, et ab Austro portæ tres, et ab Occasu portæ tres.* Ubi figuraliter ostendebatur, quia prædicantibus Apostolis, Apostolorumque successoribus cunctæ per orbem nationes in fide sanctæ Trinitatis Ecclesiam essent ingressuræ. Secundum *Hieronymum :* Fecit ut essent duodecim, ut sint ipsi *super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israel.* Vel cum duodenarius constet ex duplici senario, qui est numerus perfectionis, significare voluit quod duplex perfectio, scilicet vitæ et scientiæ, sive operis et sermonis, debet esse in his qui habent Apostolicum officium.

4 APOSTOLORUM NOMINA ET JUDÆ ELECTIONIS RATIONES. — Nomina autem Apostolorum quos elegit sunt hæc quæ sequentur : *Elegit ergo Simonem quem cognominavit Petrum, et Andream* fratrem ejus; *Jacobum Zebedæi,* scilicet filium, *et Joannem* fratrem ejus, imposuit his duobus nomina Boanerges, id est, *filii tonitrui;* quia sæpe audierunt terrificam vocem, et tonitruum Patris per nubem de Filio tonantis; *Philippum et Bartholomæum; Thomam et Matthæum* publicanum; *Jacobum* Alphæi, scilicet filium, qui et Jacobus justus propter sanctitatem vitæ; et minor, quia posterior in vocatione, et frater Domini, propter similitudinem est vocatus, et *Simonem* Cananæum fratrem ejus, a Cana vico seu villa Galilææ, *qui et Zelotes vocatur,* Cana enim ζelus, et Cananæus ζelotes, id est æmulator, dicitur; *Thaddæum* similiter fratrem ejus, qui et *Judas Jacobi* scilicet frater, est vocatus, et *Judam Ischariotem* a Scharioth vico Judææ, in quo ortus est, sic nominatus. Hic inter Apostolos eligitur, ad ostendendum prophetiam David esse completam, qua Dominus Jesus tradendus per discipulum prædicitur, et ad excusationem bonorum, quando in congregatione eorum aliquis malus reperitur. Unde *Augustinus :* « Non audeo mihi arrogare, quod domus mea sit melior cœtu Apostolorum. » Item, secundum eumdem *Augustinum,* ut ipso malo utens bene, et suæ Passionis impleret dispositum, et Ecclesiæ suæ tolerandorum malorum præberet exemplum. Insuper, secundum *Ambrosium,* proinde eligitur, ut ostendatur, quia magna est veritas, quam nec adversarius minister infirmat. Voluit deseri, voluit prodi, voluit ab Apostolo suo tradi, ut tu a socio proditus moderate feras tuum errasse judicium, periisse beneficium. Item, secundum *Theophilium,* ut discamus quod Deus non repellit aliquem propter futuram malitiam; sed propter præsentem virtutem dignum habet. Nominat autem Apostolos propriis nominibus, ut pseudo et falsi apostoli qui futuri erant excluderentur, et ab omnibus vitarentur, nec quisquam auderet alium inscribere catalogo Apostolorum. Item, ut tam nomina Apostolorum quam sibi credentium ostenderentur scripta esse in libro vitæ. Combinat vero eos, ac duos et duos nominatim exprimit, in signum mutuæ dilectionis et approbationis jugalis societatis. Itemque ut mutuo se juvantes essent fortiores, et insuper contra dolum in fidei confessione, et contra conflictum in tormentorum toleratione. Ut autem dicit *Augustinus :* « Elegit hos discipulos, quos et Apostolus nominavit humiliter natos, inhonoratos, illitteratos, ut quidquid magnum essent et facerent, ipse in eis esset et faceret. » Unde et *Ambrosius :* « Similiter adverte cœleste consilium. Non sapientes

Digitized by Google

aliquos, non divites, non nobiles; sed piscatores et publicanos, quos dirigeret, elegit, ne traduxisse prudentia, ne redemisse divitiis, ne potentiæ nobilltatisque auctoritate traxisse aliquos ad suam gratiam videretur; ut veritatis ratio, non disputationis gratia prævaleret : » hæc *Ambrosius*.

5 CUR SÆPIUS MONTANA PETIERIT CHRISTUS ? — Ad montana ergo Dominus conscendit, ut a turbis recederet et quiete oraret, et familiariter Apostolos eligeret et instrueret, ut et turbas ad altiora traheret; sed turbis ascendere non valentibus, sequuntur discipuli ejus. Voluit etiam docturus in montem ascendere, ut altiora præcepta daturus, de altis ea prædicaret. Et qui minora Legis præcepta filiis Israel in monte dederat, majora discipulis angelicis in monte dare voluit, ut se eumdem Deum ostenderet, qui Legem et Evangelicam vitam dedit. Post electionem itaque Apostolorum, voluit eos de operibus perfectionis instruere, quia ad gradum majorem promoti, debent cognitionem majorem habere. Unde *Beda* : « Mystice mons ille, in quo Apostolos elegit Dominus, altitudinem designat justitiæ, qua instruendi erant et quam prædicaturi hominibus. Nam quia missurus erat eos ad prædicandum Evangelium regni cœlestis, merito per sublimitatem loci, in quo electi sunt, admonere voluit eos, non in infimis desideriis animi dissolvere, sed ad superna desideranda et quærenda semper erigere debere. Sic etiam Legem daturus priori populo suo in monte apparuit, de monte quæ agenda essent innotuit. » Unde et *Glossa* : « Ascendit quippe mons in montem, ut altiora virtutum culmina doceret, et Ecclesiam, super quam sedet prædicans præceptum Domini, sublimius erigendam ostenderet, quam eadem doctrina usque ad finem seculi plenius erudiret. Quamvis ergo ibidem docere poterat ubi erat, in montem tamen ad prædicandum ascendit, in signum quod in montem et altitudinem virtutum debet ascendere, qui prædicare vult, et justitiam Dei docere. » Unde *Chrysostomus* : « In veritate consistere debet qui justitiam docet et audit : nemo enim potest in valle stare, et de monte loqui. Ubi stas, inde loquere; aut unde loqueris, ibi sta. Si animus est in terra, quomodo de cœlo loqueris ? Si de cœlo loqueris, in cœlo consiste. Et si justitiam facere non vis, quomodo Magistrum justitiæ audis ? Utquid Magistrum vocas, cujus non vis esse discipulus? » Unde *Richardus* : « Quia autem docturus discipulos in montem ascendit, hoc nobis insinuat, quod qui sacræ doctrinæ verbum dispensat, non in valle pravi operis, non in campo effrenatæ dissolutionis consistere debeat; sed in montem spiritualis conversationis per exercitia virtutum et exhibitionem bonorum operum ascendat, sicut scriptum est : *Super montem excelsum ascende, tu, qui evangelizas Sion.* »

ORATIO

Domine Jesu Christe, qui propter inæstimabilem misericordiam tuam in mundum venisti, ut peccatores ab erroribus ad pœnitentiam revocares, et ex his quamplures dignatus es eligere in tuos secretarios et discipulos speciales, revoca, misericors Deus, me miserum peccatorem errantem, amplectere redeuntem, conforta dolentem, instrue ignorantem, ac tandem me,

Digitized by Google

licet indignum, cum discipulis tuis admittens, totaliter a desiderio terrenorum leves, et mentem omnino ad cœlestia transferas, ut audiam et intelligam verba tua, et opere compleam universa. Amen.

CAPUT XXXIII

De sermone Domini in monte : primo, de octo Beatitudinibus.

Matthæi cap. 5.

1 SERMO DOMINI IN MONTE. — Post hæc Dominus Jesus fecit sermonem pulcherrimum et copiosum, quem, ut dicit *Augustinus*, si quis pie sobrieque consideraverit, inveniet in eo, quantum ad mores optimos pertinet, perfectum vitæ Christianæ modum, et istum sermonem omnibus præceptis, quibus Christiana vita informatur, esse perfectum. Hunc sermonem Matthæus et Lucas varie narrant, et ob id, quidam dicunt Dominum prius sermonem fecisse discipulis tantum in supercilio montis sedendo, per modum doctoris, et hunc narrat Matthæus; et post in latere montis communiter turbis et discipulis alium similem stando, per modum prædicatoris, et hunc narrat Lucas. Alii vero dicunt Dominum primo sedisse cum discipulis in supercilio montis, et electis XII, descendisse ad aliquam planitiem in latere montis ejusdem; et ibi unum sermonem simul cum turbis et discipulis habuisse, quem uterque Evangelista narrat diversimode, eadem tamen rei veritate. Sed primum convenientius tenetur et veritati magis consentire videtur. Et ex hoc inolevit consuetudo in Ecclesia, quod quando fit sermo turbis et secularibus, stat prædicator, ut invitans ad pugnam et operationem; quando clericis et religiosis, sedet, ut invitans ad quietem et contemplationem.

2 BEATITUDINES OCTO PRÆMIAQUE IPSIS ANNEXA. — Proponit autem Dominus Jesus in principio sui sermonis octo beatitudines seu virtutes, et subnectit præmia singulis beatitudinibus seu virtutibus correspondentia. Unde ponitur ibi aliquid per modum meriti : puta, *beati*, etc., et aliqua per modum præmii : puta, *quoniam*, etc. Primum enim pertinet ad beatitudinem meriti; secundum vero ad beatitudinem præmii. Sed qui desiderat consequi præmium, studeat primo habere meritum. Unde *Augustinus* : « Nemo quippe inveniri potest, qui beatus esse nolit. Sed o si homines quomodo desiderant mercedem, sic opus mercedis non recusarent! Quis non alacriter currat, cum ei dicitur beatus eris? Libenter audiat, et cum dicitur si hæc feceris? Non recusetur certamen, si diligitur præmium; et accendatur animus ad alacritatem operis, commendatione mercedis : » hæc *Augu-*

Digitized by Google

stinus. Beatitudo quippe dicitur dupliciter. Uno modo in spe, sicut habetur in via; alio modo in re, sicut habetur in patria. Beati sunt ergo excellentes in virtute, beatitudine viæ per gratiam, beatificandi beatitudine patriæ per gloriam. Vel, secundum *Augustinum,* non inde beati sunt, quia *pauperes spiritu;* sed *quoniam ipsorum est regnum cœlorum:* et ita de aliis suo modo.

3 PRIMA BEATITUDO : PAUPERTAS SPIRITUS. — *Et aperiens os suum docebat eos, dicens : Beati pauperes spiritu,* id est, voluntate et electione, non necessitate vel simulatione; *quoniam ipsorum est regnum cœlorum,* quod est præmium correspondens merito eorum. Ubi sciendum quod paupertas spiritus sumitur hic, pro abstinentia ab amore mundi, id est, ab amore eorum quæ in mundo sunt, et quæ amator mundi complectitur : et sic est plenaria omnium delectabilium abdicatio, omnes delectationes quæ sunt in divitiis, deliciis, et honoribus contemnens. Et ideo beatitudo ista potest intelligi dupliciter : uno modo pro contemptu divitiarum et carnalium voluptatum; secundo, pro contemptu sui et propriæ excellentiæ, ut etiam bonusse inutilem et ceteris reputet in feriorem. Contemptus autem divitiarum nascitur ex contemptu sui : qui enim veraciter et humiliter propter Deum se contemnit, temporalia, quæ propter se sunt, faciliter etiam comtemnit; nec magno pretio exteriora æstimat, qui se interius non curat. Sic ergo paupertas spiritus implicat virtutem voluntariæ propter Christum egestatis, et etiam veræ humilitatis. Et secundum utrumque intellectum hæc beatitudo primum tenet locum. Secundum primum quidem intellectum, quia paupertas est prima perfectio volentium sequi Christum, et totius spiritualis ædificii fundamentum. Non enim potest expedite sequi Christum paupertatis speculum, qui oneratus est rebus temporalibus. Nec est liber, sed servus, qui animi affectionem subjicit istis rebus transeuntibus; ejus enim rei quam affectuose diligo, me servum sponte constituo; et ideo nihil est amandum, nisi ipse Deus, vel aliud propter Deum. Unde *Ambrosius :* « Primum beatitudinem hanc uterque Evangelista posuit : ordine enim prima est, et parens quædam generatioque virtutum; quia qui contempserit secularia, ipse merebitur sempiterna. Nec potest quisquam meritum regni cœlestis adipisci, qui mundi cupiditate possessus emergendi non habet facultatem. Similiter quoad intellectum secundum, quia humilitas opponitur initio omnium vitiorum, scilicet superbiæ, quæ inter omnia vitia tenet principatum. » Unde *Augustinus :* « Recte hic intelliguntur pauperes spiritu, humiles et timentes Deum, id est, non habentes inflantem spiritum. Nec aliunde omnino incipere oportuit beatitudinem. Sic quidem pervenitur ad summam sapientiam : *Initium enim sapientiæ timor Domini;* quoniam et e contrario : *Initium omnis peccati superbia* describitur. » Unde et *Chrysostomus :* « Sicut cetera vitia deprimunt ad inferos, et maxime superbia; sic vehunt virtutes ad cœlum, maxime autem humilitas : » hæc *Chrysostomus.* Cupidi ergo et superbi appetant et diligant regna terrarum; *beati* autem *pauperes spiritu,* id est, spirituali voluntate, vel sui reputatione, *quoniam ipsorum est regnum cœlorum,* nunc in spe, et in futuro erit in re. Et bene præmium merito respondet, ut indigentiæ et humiliationi copiositas et exaltatio succedant. In regno enim intelligitur omnimodo sufficientia, et excellentia, quæ bene promittitur in cœlis

Digitized by Google

eis, qui talia contempserunt in terris.

4 SECUNDA BEATITUDO : MANSUETUDO. — Deinde sequitur secunda : *Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram.* Post paupertatem sequitur mititas : qui enim pauper est multis lacessitur injuriis, et ideo necessarium est quod sit mitis, vel mansuetus : quod idem est secundum rem, sed differunt nomine. Mitis enim est, qui alium non offendit; mansuetus, qui se offendentes tolerat. Unde mansuetus dicitur, quasi *manu assuetus,* cui facile est sustinere, non malum pro malo reddere; mitis vero, qui nulla animi accensione turbatur, sed jugiter in animi bonitate perseverat. Et secundum hoc, mitis dicitur in affectu; mansuetus in effectu. Mites ergo secundum rem sunt homines mansueti, modesti et humiles, in fide simplices et ad omnem injuriam patientes, qui nullam amaritudinem animi sentiunt, et cum irritati fuerint, nec cogitant facere malum, nec faciunt, cedunt improbitatibus et non resistunt malo; sed vincunt malum in bono. Et vere : *Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram :* scilicet duplicem, id est, corporis proprii, quam gerunt, et paradisi, quam quærunt. Terram, inquam, corporis proprii : quia mites habent dominium sui, et non iracundi, quia non subjiciunt sensualitatem rationi. Item terram paradisi : mites enim quiete et pacifice possidet Dominus in terra morientium, et ideo lege vicissitudinis mites possidebunt Dominum in terra viventium. Et, secundum *Glossam,* quoniam seipsos in præsenti possident, hereditatem Patris in futuro possidebunt. Ubi *Augustinus :* « Tunc vere possidebis terram, quando inhæseris ei, qui fecit cœlum et terram. Hoc est enim esse mitem, non resistere Deo tuo; ut in eo quod bene facis, ipse tibi placeat, non tu tibi. In eo autem quod mala juste pateris, ipse tibi non displiceat, sed tu tibi. Neque enim parum est, quia placebis ei, displicens tibi; displicebis autem ei, placens tibi : » hæc *Augustinus.* Rixentur ergo immites, et dimicent pro terrenis et temporalibus rebus; *beati* autem *mites, quoniam ipsi* hereditate ac immobiliter et solide *possidebunt terram* æternæ beatitudinis. Ad hoc enim homines feroces movent bella et lites sequentes motus irascibiles, ut quasi securi possideant terram, devictis inimicis, et ideo illis qui sunt totaliter quietati a motibus irascibilibus, bene promittitur possessio pacifica terræ viventium, de qua pelli non possunt ab adversariis. Significat enim terra, secundum *Augustinum,* quamdam soliditatem et stabilitatem hereditatis perpetuæ, ubi anima, per bonum affectum, tanquam in loco suo requiescit, sicut corpus in terra, et inde cibo suo alitur sicut corpus a terra. Ipsa est requies et vita Sanctorum. Si ergo, ut dicit *Beda,* cœlorum regnum pauperibus, et terra mitibus promittitur, quid superbis et contentiosis, nisi infernus, relinquetur ?

5 TERTIA BEATITUDO : LUCTUS ET LACRYMÆ. — Deinde sequitur tertia : *Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur.* Hæc tertia beatitudo recte primam sequitur et secundam; post contemptum namque mundi per paupertatem, post quietem mentis, per mansuetudinem, vacans homo sibi, et considerans statum suum, nihil invenit, nec in se, nec in aliis, nisi materiam luctus et flebilem, et ideo incipit lugere. Est autem lugendum non propter temporalia damna, sed propter spiritualia detrimenta. Et vere *beati qui lugent,* quoniam Deus eos consolando *omnem lacrymam ab oculis eorum absterget.*

Digitized by Google

Unde *Bernardus* : « Felix lacryma quæ manu pii Domini meretur abstergi. » Et, ut dicit *Maximus* : « Lacrymæ veniam non postulant, et tamen merentur; causam non dicunt, et tamen misericordiam consequuntur; quia sermo interdum non totum profert negotium; lacryma vero totum prodit affectum. Consolabuntur autem lugentes, et hic et in futuro. In præsenti enim consolationes spirituales, consolante Spiritu Sancto, qui Paracletus, id est *Consolator*, dicitur, recipiunt pœnitentes. Consolabuntur et in futuro, cum ad gloriam perducentur, ubi gaudium et lætitiam obtinebunt, quia, secundum *Chrysostomum*, hujusmodi luctum Dominus perpetui gaudii consolatione compensat. » Ut autem dicit idem *Chrysostomus* : « Lugendum est et vere lugendum præsentis vitæ tempus in quo tantam malorum labem, tantaque quotidie videmus flagitia cumulari, quæ si velis considerare per singula, nunquam te poteris a lacrymis temperare. Etenim si quis extrinsecus undecunque adesset, et præceptorum Christi ac nostræ conversationis perturbationem videret, inimicos nos esse et contrarios præceptorum Christi judicaret, et quasi qui studium quoddam habuerimus, contraria in omnibus gerere quam ille mandavit : » hæc *Chrysostomus*.

6 Luctus causæ quinque. — Et sciendum quod quinque sunt causæ luctus, quarum duæ respiciunt culpam, scilicet propriam et alienam; duæ pœnam, scilicet præsentem et æternam; quinta gloriam cœlestem. Lugendum est ergo in hac vita : primo, pro peccatis et miseriis propriis; secundo, pro peccatis et miseriis alienis; tertio, pro incolatu præsentis miseriæ; quarto, pro periculo et dubio pœnæ æternæ; quinto, pro dilatione gloriæ. Et ideo : *Beati qui lugent*, scilicet in præsenti, *quoniam ipsi consolabuntur*, plenarie in futuro, contra quinque luctus prædictos : contra primum, de peccatorum remissione; contra secundum, de proximorum bonorum salute et malorum condemnatione; contra tertium, de hujus exsilii liberatione; contra quartum, de evasione pœnæ futuræ; contra quintum, in gloriæ adeptione; et tunc poterunt dicere cum Psalmista : *Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ lætificaverant animam meam*. Huic sententiæ concordat *Gregorius* qui dicit : « Quatuor sunt qualitates quibus justi viri anima in compunctione vehementer afficitur : cum aut malorum suorum reminiscitur, considerans ubi fuit; aut judiciorum Dei sententiam metuens, et secum quærens cogitat ubi erit; aut cum mala hujus vitæ præsentis solerter attendens, mœrens considerat ubi est; aut cum bona supernæ patriæ contemplatur, quæ quia nondum adipiscitur, lugens conspicit ubi non est : » hæc *Gregorius*. Gaudeant ergo vani in hoc mundo; *beati* autem *qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur* in cœlo. Congrue autem lugentibus promittitur, et præparatur æterna consolatio, ut qui tristati sunt in præsenti, gaudeant in futuro, et temporalem amittentes lætitiam, perfruantur æterna.

7 Quarta beatitudo : esuries et sitis justitiæ. — Deinde sequitur quarta : *Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur*. Hæc quarta beatitudo recte sequitur tres prædictas; qui enim mundana contempsit, ac mores mansuetudine rexit, et defectus luxit, jam potest esurire et sitire justitiam, quod non prius potuit, quia, secundum *Ambrosium*, æger cum in gravi morbo est, non esurit. Pri-

Digitized by Google

mæ vero tres a seculo nequam eripiunt : paupertas enim divitias abjicit, mansuetudo injurias non sentit, luctus commissa diluit; quæ vero sequuntur, ad cœlum erigunt. Quarum prima est non tam justitia, quam esuries sive desiderium justitiæ, quia in præsenti perfectam justitiam non possumus habere, sed possumus esurire. Unde dicit : *Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam,* id est, cum omni desiderio et vehementer, ad modum esurientis et sitientis, appetunt eam; nos, secundum *Bedam,* instruens nunquam non satis justos æstimare debere, sed quotidiano justitiæ semper ardere profectu. Unde *Hieronymus :* « Non sufficit nobis velle justitiam, nisi justitiæ patiamur famem, ut nunquam nos satis justos, sed semper esurire opera justitiæ intelligamus. » Et accipitur hic justitia, secundum quod est virtus generalis ad omnes, qua declinatur a malo et fit bonum, secundum quod homo ab ea generaliter justus dicitur per exercitium; quia, secundum *Chrysostomum,* esurit justitiam, qui secundum Dei justitiam desiderat conversari; hanc justitiam et vitæ rectitudinem, non solum in nobis, sed et in omnibus aliis appetere debemus. Et hæc est justitia, quæ tribuit unicuique quod suum est : Deo, proximo, et sibi. Deo tria, scilicet : honorem Creatori, amorem Redemptori, timorem Judici. Proximo tria : obedientiam superiori, concordiam pari, beneficentiam inferiori. Sibi tria : munditiam cordi, custodiam ori, disciplinam carni. Et vere : *Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur,* ut qui per esuriem et sitim justitiæ merentur, per saturitatem gloriæ præmientur, et conatum, quem passi sunt in merendo, reficiat præmium in perficiendo. Quæ saturitas reddetur in vita beata, de qua dicit Psalmista : *Satiabor cum apparuerit gloria tua.* In præsenti quoque redditur, quia sicut avaritia sitit aliena et esurit, sic per justitiam saturatus, contentus est suis, et aliena non cupit. Non solum itaque illi qui faciunt justitiam, seu justitiæ opus, sed etiam qui eam esuriunt et sitiunt, id est, qui eam facere concupiscunt, etsi non possunt facere quod desiderant, tamen beati sunt, quia quantum in ipsis est faciunt quod desiderant; et isti quidem saturabuntur, quando omnia eorum desideria complebuntur. Unde *Augustinus :* « Qui perfecte novit et perfecte amat justitiam, jam justus est, etiamsi nulla existat secundum eam forinsecus per membra corporis operandi necessitas. » Desiderent ergo alii vana, quæ eos satiare non poterunt; *beati* autem *qui esuriunt et sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur;* hic pro modulo, sed plenarie in futuro.

8 QUINTA BEATITUDO : MISERICORDIA. — Deinde sequitur quinta : *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.* Post justitiam recte ponitur misericordia, quia una non debet esse sine alia, sed altera ab altera temperari; nam misericordia sine justitia descendit ad dissolutionem; justitia sine misericordia descendit ad crudelitatem; una cum alia incedit secundum æquitatem. Est autem misericordia *miseria cordis* super malo; unde dicuntur *misericordes,* quasi *miserum cor habentes,* quia alterius miseriam quasi suam reputant, et de malo alterius, quasi de suo, dolent. Misericordia est dimittere injurias illatas, ac omnem rancorem et odium, et dare quodcunque potest spirituale et corporale subsidium. Misericordiæ autem exhibendæ is est ordo, ut prius sit super malo proprio, secundum illud

Digitized by Google

Ecclesiastici : *Miserere animæ tuæ placens Deo;* deinde super proximi malo, ejus defectibus condescendendo, cujus finis est pro alio mori, exemplo Christi, qui pro nobis ex misericordia dedit se morti. Est igitur misericordia prima propria ad seipsum, per pœnitentiam; secunda fraterna ad proximum, per beneficentiam; est et tertia filialis ad Deum, per compassionem; sed, heu! quia nihil compatiuntur *super contritione Joseph.* Prima consequitur misericordiam in remissione omnis culpæ; secunda consequitur misericordiam in diminutione pœnæ, et intercessorum multiplicatione : qui enim diminuit alterius pœnam, meretur suæ diminutionem; tertia consequitur misericordiam in adeptione gloriæ, quia, secundum Apostolum : *si compatimur, ut et conglorificemur.* Sed, ut dicit *Ambrosius,* qui compatitur, non perfunctorie compatitur; sed ut tribulationes Christi in corpore suo impleat, sicut implebat et Paulus. Igitur studiose circa misericordiam insistere debemus, quia in omnibus misericordia Dei indigemus. Hæc virtus tanta est, quod ea præ ceteris Deo, quasi sibi propria, attribuatur. Unde dicitur : *Deus, cui proprium est misereri semper et parcere.* Hanc etiam negatam exprobrabit reprobis, et impensam commendabit justis. Maxime enim succurrent opera misericordiæ in die judicii his qui fecerint ea, quoniam, ut ait Jacobus : *Judicium sine misericordia fiet illi, qui non fecerit misericordiam.* Unde *Augustinus* « beatos esse dicit qui subveniunt miseris, quoniam eis ita rependetur, ut de miseria liberentur; fac et fiet; fac cum altero, ut fiat tecum; quod egeris cum petitore tuo, hoc agat Deus cum suo. » Unde et *Hilarius :* « In tantum enim Deus benevolentiæ nostræ in omnes delectatur affectu, ut misericordiam suam sit solis misericordibus præstiturus. » Unde et *Chrysostomus :* « Dominus misericordiarum misericordes dicit esse beatos, ostendens unumquemque nostrum misericordiam promereri non posse, nisi et ipse misericors fuerit. » Et iterum : « Videtur autem esse æqualis retributio, sed et multo major : non est enim æqualis humana misericordia, et divina. Sæviant ergo tyranni cum suis crudelitatibus, sine misericordia perituri; *beati* autem *misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur :* in futuro, ubi ab omni miseria culpæ et pœnæ sublevabuntur; et in hoc sæculo, ubi eis culpa remittitur et gratia largitur, conferuntur temporalia, et sublevantur a multiplici miseria, prout status ipse patitur, et saluti spirituali expedire videtur. »

9 SEXTA BEATITUDO : CORDIS PURITAS. — Deinde sequitur sexta : *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Sexta beatitudo optime sexto loco ponitur, quia per ipsam homo ad Dei imaginem, quæ ipsius Dei per cognitionem et amorem capax est, reparatur; quam sexta die conditus perdidit, et sexta ætate recuperavit. Et recte post misericordiam ponitur cordis munditia, quia, secundum *Ambrosium,* qui misericordiam defert, misericordiam amittit, nisi mundo corde misereatur; nam si jactantiam quærit, nullus et fructus. Dicit ergo : *Beati mundo corde,* non dicit, de superficie, ut fallaces hypocritæ, qui mundant quod foris est; non tantum corpore, ut mundani divites, qui corporis student munditiæ, sed *corde,* quos non arguit conscientia peccatorum, qui declinant a malo quolibet, et faciunt omne bonum quod possunt, bono fine et recta intentione. Et vere sic *mundo corde beati* sunt, *quoniam ipsi*

Digitized by Google

Deum videbunt, quia munditia maxime unit summæ Beatitudini, et mundus non nisi mundo corde potest videri. Illud est cor mundum, quod non arguit conscientia ulla peccati; sed est templum sanctum Dei, ex quo cogitationes malæ non procedunt. Si enim cor fuerit mundum a pravis cogitationibus, totus homo erit mundus ab iniquitatibus; ibi enim peccata oriuntur, ibi radices figunt, quæ si ibi succisæ fuerint, non est ubi crescant. *Deus* quippe *spiritus est :* et ideo non oculo carnis, sed oculo cordis et mentis tantum videri potest. Et sicut oportet oculum carnis esse purum et mundum, ut solem possit videre; sic longe plus oportet oculum cordis mundum esse, ut possit Deum, *qui lucem inhabitat inaccessibilem,* videre, quia in eo omnis sufficientia nostra completur, et finis desideriorum nostrorum habetur, qui solis mundis corde debetur. Unde *Augustinus :* « Hic est finis amoris nostri; quidquid bene agimus, quidquid laudabiliter æstuamus, quidquid inculpabiliter desideramus, ad Dei visionem cum venerit plus non requiremus. Videre Deum volumus; sed vide quid dictum est : *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Hoc para unde videas : non enim corde non mundo videre permitteris, quod non videtur nisi corde mundo. » Unde et *Ambrosius :* « Emunda cor tuum, omnes pollutas cogitationes de corde tuo abjice, nihil sit quo tuus inquinetur affectus. Simplex mens, pura sinceritas sit; talibus se Dominus, volutabris corporis depositis, demonstrare dignatur : » hæc *Ambrosius.* Immundi ergo corde, qui in sordibus suunt, sordescant adhuc; *beati* autem *mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt,* in præsenti per fidem, et in futuro per speciem; in præsenti familiarius, et in futuro gloriosius. Hic secundum quod aliquis eripuerit se a malis, et bona fecerit, secundum hoc Deum videt aut minus aut amplius; et ibi quanto munditia major, tanto visio potentior et clarior.

10 SEPTIMA BEATITUDO : PACIS AMOR. — Deinde sequitur septima : *Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur.* Septimo loco ponitur beatitudo pacis, quia in sabbato septimæ ætatis plenarie dabitur pax habentibus beatitudines supradictas. Bene autem post munditiam pax sequitur, quia ad gradum pacis qui purgatus est dirigitur, nec nisi in bona voluntate pax nutritur. Unde *Ambrosius :* « Cum interiora tua vacua feceris ab omni labe peccati, a te pacem incipis, ut sic pacem aliis feras. Dicit ergo : *beati pacifici,* nec dicit, animo pacati, quia hoc pertinet ad secundam beatitudinem, quæ est mititas; sed dicit, *pacifici,* qui scilicet primo in semetipsis pacem faciunt, et quidquid perversæ cogitationis, locutionis, operisve deprehendunt potenter expellunt, nec aliquid turbationis in suæ regno dominationis esse permittunt, et si quid eis adversitatis occurrat, pacem suam tamen servant, et cuncta cum cordis sui tranquillitate judicant. Deinde non in se tantum pacem custodiant, verum etiam alios discordantes sibi ad unitatem pacis reducunt, ac semper paci faciendæ, reformandæ, et conservandæ, sive in se, sive in aliis, invigilant. Paci autem contrariantur quinque, scilicet : bella, lites, tumultus, inquietudines et molestiæ. Pacifici ergo hujusmodi bellis sopiendis, litibus dirimendis, tumultibus sedandis, inquietudinibus quietandis, molestiis mitigandis insistunt. Hæc autem sunt officia Filii Dei, qui in se pacificus pacem reformavit in aliis, et ideo de paci-

Digitized by Google

ficis bene dicitur : *quoniam filii Dei vocabuntur. Pacifici* etiam dicuntur qui totaliter, etiam per affectum mentis, Deo, sicut summæ bonitati, conjunguntur, et sic nihil aliud extra ipsum quærunt; sed in ipso quietantur et pacificantur. Qui et *filii Dei* vocari merentur, quia filiatio Dei importat assimilationem ad Deum; proprium autem est ipsius Dei seipso frui, et in ipso quietari. Pacifici ergo esse debemus, ut vere ipsum Deum pacis in nobis habere mereamur, de quo scriptum est : *Factus est in pace locus ejus.* » Ubi *Augustinus* : « Pacifici in semetipsis sunt, qui omnes animi sui motus exponentes et subjicientes rationi, id est menti et spiritui, carnalesque concupiscentias habentes edomitas, fiunt regnum Dei. In quo ita ordinata sunt omnia, ut id quod est in homine præcipuum et excellens, hoc imperet, ceteris non reluctantibus, quæ sunt nobis bestiisque communia, atque idipsum quod excellit in homine, id est mens et ratio, subjiciatur potiori, quod est ipsa Veritas Unigenitus Filius Dei. Neque enim imperare inferioribus potest, nisi superiori se subjiciat. Et hæc est *pax,* quæ datur *in terra hominibus bonæ voluntatis,* hæc est vita consummati perfectique sapientis : » hæc *Augustinus*. Litigent ergo discordes, patrem suum diabolum imitantes; *beati* autem *pacifici,* primo sibi, deinde aliis, scilicet internam pacem et fraternam servantes, *quoniam filii Dei,* et veri imitatores ejus, in superna pace *vocabuntur*. Habent enim similitudinem Dei Patris, quia Deus pax et quies summa est, et omnia cum tranquillitate disponit.

11 Octava beatitudo : persecutionis tolerantia.—Deinde sequitur octava : *Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est regnum cœlorum.* Secundum *Chrysostomum,* posita pacificorum beatitudine, ne aliquis æstimaret quod semper pacem sibi quærere sit bonum, subdit : *Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam.* Hæc etiam beatitudo perficit hominem ad bene patiendum, sicut prædictæ ad bene agendum; quia sicut ad virtutem pertinet bene agere, ita et bene pati. Et ideo post præcedentes beatitudines, quæ consistunt in perfectione actionis, sequitur hæc, quæ consistit in perfectione passionis. Nam sicut beatitudo patriæ distinguitur penes *auream* et *aureolam,* sic beatitudo viæ, quæ est imago quædam et similitudo illius; præcedentibus enim respondet præmium aureæ, huic vero præmium aureolæ, quæ hic per regnum intelligitur. Nam, secundum *Hieronymum,* hæc martyrio terminatur. Dicit ergo : « *Beati,* scilicet non tantum qui bene operantur, sed etiam *qui persecutionem patiuntur,* scilicet patienter, et non propter scelera et peccata sua, sed propter justitiam, scilicet legalem, quæ includit omnem virtutem, id est, secundum *Chrysostomum,* pro veritate atque pietate, et pro aliorum defensione; solemus enim justitiam pro omni virtute animi ponere. Et vere beati in spe, beatificandi in re : *quoniam ipsorum est regnum cœlorum,* et quoad auream, et quoad aureolam. Sed numquid pro libertate Ecclesiæ me exponam morti? Ita, et pro aliis quæ spiritualia sunt; non pro agris, vel redditibus Ecclesiæ et similibus. Sæpe enim nos opponimus pro his, magis inducti avaritia, quam justitia. » Hujusmodi quæstionem *Ambrosius* determinans, ait : « Si a me petierit Imperator quod meum est, id est fundum meum, argentum meum, et hujusmodi, sciat me non refragaturum, quamquam omnia quæ mea sunt, sint pauperum : verum ea quæ divina sunt, imperatoriæ potestati non

Digitized by Google

sunt subjecta. Si patrimonium petitis, invadite; si corpus, occurram; vultis in vincula rapere, vultis in mortem rapere, voluntatis est mihi : non ego me vallabo circumfusione populorum, nec altaria tenebo vitam obsecrans; sed pro altaribus et spiritualibus ad ipsa pertinentibus immolabor : » hæc *Ambrosius*.

12 Beatitudinum concatenatio. — Hæc octava complementum est aliarum beatitudinum et summa omnium coronarum : tunc ut cum homo perfectus est in ceteris, tandem aptus ad patiendum adversa dignus reperiatur. Unde *Chrysostomus* : « Propterea a priori semper sequenti, viam faciens mandato, seriem et catenam nobis quamdam auream subtexuit. Cum enim quis humilis fuerit, erit consequenter et mitis; qui autem mitis, etiam peccata lugebit; qui vero ob peccata luget, esurit, sititque justitiam, qui justus est, iste etiam misericors; qui misericors fuerit et justus, idem est compunctus et mundus corde; qui vero talis est, erit etiam profecto pacificus; porro, qui ista perfecerit, erit absque dubio etiam ad pericula præparatus, nec ad maledicta prorsus ulla terrebitur, nec si mala quoque mille patiatur : » hæc *Chrysostomus*. Qui ergo prædictas virtutes habet, beatus est; multo autem beatior, qui has virtutes inter adversa servare non trepidat. Septem itaque perficiunt, sed octava clarificat et demonstrat quod perfectum est. Nam *patientia opus perfectum habet,* ut per hunc gradum perficiantur et ceteri, tanquam a capite rursus exordiens. Unde octava redit ad caput, sive ad principium, id est ad primam beatitudinem, probans et purgans eam, si quid fermenti habet admixtum. Beati enim pauperes, si persecutionem patiuntur propter justitiam. Redit etiam ad secundam, probans et purgans eam : beati enim mites, si persecutionem patiuntur propter justitiam. Ita et ad omnes alias referendo, redit iterum, utpote probatio, purgatio et consummatio earum. Debet ergo replicari ad omnes alias præcedentes, ad hoc quod sint probatæ beatitudines. Scorpius non calcatus quietus jacet, aculeos non exerit; sed tactus, statim exerit pugionem et pungit; ita et homo vacuus virtute, punctus urenti verbo vel injuria ei illata, statim, sicut serpens, ira et odio, ac verbo contumelioso, et impatientia armatus crepat et insilit in illum qui eum læsit; in quo probatur et vas vacuum esse cognoscitur. E contra, Sancti percussi in una maxilla, præbent aliam; diligunt inimicos et orant pro persequentibus se. Hinc dicit *Bernardus,* quod sicut stellæ de nocte lucent, de die autem non apparent, sic virtutes quæ non apparent in prosperis, emicant in adversis. Unde, secundum hoc, non videtur octava proprie beatitudo dicenda et per se distincta, sed præcedentium illuminatio potius et confirmatio. Octavo autem loco ponitur, quia significat generalem resurrectionem, octava ætate futuram, quæ etiam per octavas Sanctorum designatur. Hæc ergo circumcisioni et octavæ resurrectionis comparatur, quia per hanc circumciditur in nobis et aufertur, si quid fermenti in nobis remanserit, et consummamur in omni perfectione et probatione virtutum. Sicut enim in octava resurrectionis immutabimur et perficiemur in gloria, ita et per hanc, hic in merito et gratia.

13 Regnum cœlorum in omnibus beatitudinibus promittitur. — Et respondet sibi idem præmium quod primæ, scilicet regnum cœlorum; quia illi maxime persecutionem in mundo patiuntur, qui contemptui habentur, et tales sunt maxime pauperes spiritu, qui jam a pluribus

Digitized by Google

deridentur. Maxime etiam conveniunt in merito : voluntaria enim paupertas est quoddam genus martyrii, quia utrobique oportet vincere animum quoad delectabilia hujus mundi. In regno quoque includuntur duo, scilicet : divitiæ et dominatio. Promittitur ergo regnum pauperibus, per respectum ad divitias, quia qui propter Christum abrenuntiant divitiis temporalibus, in futuro gaudebunt æternis; patientibus vero, per respectum ad Dominum, quia qui hic propter Christum opprimuntur, in futuro cum Christo oppressoribus dominabuntur. Potest etiam dici quod non est idem præmium utrobique, quia ibi per regnum intelligitur præmium *aureæ*, hic præmium *aureolæ*. Hoc autem unum præmium, quod est regnum cœlorum, etiam in aliis est, sed varie nominatum. Unde *Chrysostomus :* « Tu vero etsi non per singulas beatitudines regnum audias repromitti, ne tristeris, etsi enim retributiones ipsas differenter appellat, eas tamen cunctas ad unum cœlorum regnum reducit : nihil enim omnino aliud, nisi cœleste regnum, per hæc cuncta designat : » hæc *Chrysostomus*. Videat ergo unusquisque hæc audiens, si in aliqua istarum beatitudinum continetur; et si in aliqua se invenerit, securus sit quod beatus erit : hoc enim Veritas dicit; Veritas autem mentiri non potest.

14 Persecutio triplex, triplexque patientia. — Deinde post generalem sententiam, subdit specialem persuasionem, verbum ad Apostolos convertendo, et triplicem actum persecutionis, scilicet : in corde, ore, et opere, eis prænuntiando, dicens : *Beati estis cum maledixerint,* ex odio, *et oderint,* ex animo, *vos homines,* quoad primum; *et persecuti vos fuerint, et separaverint vos,* excludendo *a synagogis,* et communione sua tanquam immundos, et sibi graves ad videndum, quoad tertium; *et dixerint omne malum adversum vos,* id est omnia genera verborum malignantium, quibus vestram famam lædant, *et exprobaverint vos,* convitia et improperia vobis dicendo, *et ejecerint nomen vestrum,* scilicet nomen Christiani, *tanquam malum,* illud exsecrantes ac diffamantes et exstinguere cupientes, quoad secundum. Non quod debeat aliquis ista quærere, sed quia timore horum non debet veritatem vitæ, justitiæ et doctrinæ dimittere. Sicut autem triplex est persecutio, scilicet : cordis, oris, et operis, et hæc tertia triplex, scilicet : in damno temporalium, in persecutione amicorum, in afflictione et injuria proprii corporis; ita et triplex est patientia, quæ odium cordis, verbum contumeliosum oris et manualem persecutionem operis sustinet patienter, remittendo omnem injuriam, compatiendo peccato proximi, orando ut a via mala convertatur, et ita peccatum ejus deleatur. Hic triplex hostis Ecclesiam Dei impugnat, contra quos triplicem patientiam opponit.

15 Christus speciatim Apostolis prædicit quanta pro nomine suo sint passuri. — Huc usque ergo ad omnes generaliter et indeterminate sententias posuit; hic vero specialiter ad Apostolos verba dirigit, quamvis et hæc etiam aliis conveniant, prædicens præcipue quanta pro nomine ejus passuri essent, et monstrans quia eorum hoc maxime proprium est, super omnes alios; quia ergo propter majorem difficultatem speciali persuasione indigebant, ideo convertitur ad eos, ut animaret, quos sicut agnos inter lupos missurus erat. Unde *Beda :* « Non ad hoc nostri similes valent, sed eorum qui *ibant gaudentes a conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati.* Ast quia

Digitized by Google

non omnis persecutio beatificat, sed tantum illa quæ gaudiose suscipitur propter justitiam, quæ est Christus Filius Virginis, ideo addit : *mentientes*, et *propter me*, seu Filium hominis; quia ad hoc quod persecutionis tolerantia beatum faciat, requiritur quod mendose et false, seu injuste, ac propter Christum nobis inferatur, in quo tristitia persecutionis convertetur in gaudium, quando reddet Deus Sanctis mercedem laborum suorum. Alias enim non est beatus, sed miser, nec est ei merces inde, sed accumulatio suæ miseriæ. » Unde *Augustinus* : « Si sustines quia peccasti, propter te sustines, non propter Deum. Si autem sustines, quia mandata Dei servasti, vere propter Deum sustines, et merces tecum manet in æternum, quæ sentitur in corde patientium, eorum qui jam possunt dicere: Gloriamur in tribulationibus. Non enim ista perpeti fructuosum est, sed ista pro Christi nomine, non solum æquo animo, sed etiam cum exsultatione tolerare. »

16 SED EOS PRIMO SPE COPIOSÆ MERCEDIS ERIGIT. — Unde concludit, subjungens præmium, et per hoc alliciens ad patiendum. Ut enim dicit *Hieronymus*, quodlibet opus leve fieri solet, cum ejus præmium cogitatur, et spe mercedis levigatio fit laboris. *Gaudete*, inquit, scilicet interius in corde, *et exsultate*, scilicet exterius in corpore, id est propter exemplum, gaudium foris ostendite, tam propter bonum virtutis patientiæ, quam propter spem præmii et gloriæ : *quoniam merces vestra*, non tantum magna et sicut aliorum, sed *copiosa*, et supra condignum est in cœlis. Multa enim merces est in cœlis, multa propter justitiam patientibus in terris. Merces ista magna est, multa est, pretiosa est, diuturna est. Tam magna est, quod non potest comprehendi; tam multa est, quod non potest numerari; tam pretiosa est, quod non potest æstimari; tam diuturna est, quod non potest finiri. Merces ista tanto est uberior, quanto gaudio et exsultatione, in tribulationibus, fides est devotior. Deus enim, non tam quantitatem laborum vel multitudinem operum remunerat, quam qualitatem et modum radicis, ex qua oriuntur et tolerantur. Non enim attendit quantum, sed ex quanto; nam minutum viduæ prætulit Zachæi dimidio. Sentiunt ergo, ut dicit *Augustinus*, istam mercedem, qui gaudent in bonis spiritualibus; sed ex omni parte perficientur, cum etiam *mortale hoc induerit immortalitem*. Sed nos, heu! in multis decipimur. Quando nobis arrident secularia, quando vulgus laudibus nos attollit, gaudemus et exsultamus, cum magis flere et dolere deberemus; quia magis periculum sunt prospera, quam adversæ laudes, quam vituperationes. Gaudeamus ergo et exsultemus, cum Apostolis, quibus salubre gaudium, et salubris exsultatio demonstratur, cum eis in contumeliis et persecutionibus gaudendum esse et exsultandum denuntiatur. Unde *Hieronymus* : « Nescio quis hoc nostrum possit implere, ut laceretur opprobriis fama nostra, et nos exsultemus in Domino. Hoc qui vanam sectatur gloriam, implere non potest. Gaudere igitur et exsultare debemus, ut merces nobis in cœléstibus præparetur. Eleganter in quodam volumine scriptum legimus : Non quæras gloriam et non dolebis cum inglorius fueris. » Unde et *Chrysostomus* : « Quantum aliquis lætatur de laudibus hominum, tantum de vituperatione tristatur. Qui vero gloriam concupiscit in cœlo, opprobria non timet in terris. » Unde dicit *Seneca* : « Nunquam felix es, si nondum te turba deridet. Si beatus esse vis, cogita hoc primum contemnere con-

Digitized by Google

temptum. Si vis beatus esse, si fide bona, vir bonus; sine te stultum videri; sine contemnat te aliquis. Quisquis volet, tibi contumeliam faciat et injuriam; tu tamen nihil patieris, si modo tecum erit virtus : » hæc *Seneca.*

17 Eos deinde exemplo ad patientiam provocat. — Non solum autem præmio, sed etiam exemplo, eos ad patientiam provocat, et rigorem tribulationum temperat, confortansque eos exemplo Prophetarum, et suadens ad sustinendum, consolationem eis de illorum societate præstat, qui ante eos afflictiones varias pertulerunt, dicens : *Sic enim,* crudeliter, multipliciter et incessanter *persecuti sunt Prophetas,* veros, ut Jeremiam, Isaiam, et alios, *qui ante vos fuerunt,* quia pro veritate persecutionem sunt passi, et ita dant vobis exemplum et animum patiendi. Quasi diceret : Non miremini si vos patiamini, quia non est novum, nec insolitum. Illorum ergo exemplum vos doceat, si illorum vos beatitudo et lætitia delectat; illorum exemplum vos invitet, ne timore deficiatis pro veritate, pro qua ipsi passi sunt sine exemplo eos invitante. Secundum hunc modum, ostendi solet elephantis sanguis uvæ et mori, ad acuendum eos in prælium. Similiter nobis proponitur exemplum Christi et martyrum, ad confortandum nos in tribulatione persecutionum. Et idcirco propositæ gloriæ præmium considerantes, ad omnem tolerantiam passionis, devota fide, parati esse debemus, ut consortes gloriæ Prophetarum atque Apostolorum, effici mereamur. Non ergo debet quis timore persecutionis veritatem deserere, sed potius ubi Christus in causa est, persecutionem affectare. Ut enim dicit Apostolus : *Omnes qui pie vivere volunt in Christo Jesu, persecutionem patiuntur.* Si ergo persecutionem pateris, habeto id signum in bonum, quia *pie in Christo vivis.* Nam si non pateris persecutionem, non vis *pie vivere in Christo.* Unde *Ambrosius :* « Et fortasse cum persecutiones non patimur, tanquam condemnati habemur, quia nequaquam *pie vivere* volumus *in Christo.* Nam utique, cum sit definita sententia, quod *omnes qui volunt pie vivere in Christo Jesu, persecutiones patiuntur :* videtur is qui persecutiones non patitur, abdicatus, quod non sit piæ intentionis in Christo. Devotionem enim fidei prælia sequuntur : » hæc *Ambrosius.* Sed diceret aliquis : Nemo potest modo propter persecutionem attingere ad beatitudinem, quia nunc in pace consistunt omnia, et sancta Ecclesia fere de nulla parte patitur adversa. Ad quod dicendum, quod ubique tentationes sunt, et persecutiones, quia quotidie in penetralibus sanctæ Ecclesiæ persequitur Cain Abel, Ismael Isaac, Esau Jacob, id est impius justum. Et si quis persecutionem non patitur ab extraneis, patitur tamen a falsis fratribus. *Omnes enim qui pie volunt vivere in Christo, persecutionem patiuntur.* Etsi non patitur quis extrinsecus, patitur tamen intrinsecus, et a nequitiis spiritualibus. Et quia non cessant persecutiones, patientia nobis necessaria est, ut reportemus repromissiones. Væ autem his qui perdunt patientiam, quia et perdunt patientiæ coronam. Non ergo murmuremus, si in paucis vexemur, quia in multis bene disponemur.

18 Lucas quatuor tantum ponit beatitudines, sed totidem maledictiones beatitudinibus correlativas. — De his octo beatitudinibus, quas ponit Matthæus, quatuor tantum ponit Lucas. Sed, secundum *Ambrosium,* in istis octo, illæ quatuor

Digitized by Google

sunt, et in illis quatuor, istæ octo. Mansuetudo enim et pax referuntur ad patientiam; munditia cordis, ad paupertatem spiritus; misericordia, ad esuriem justitiæ. Et quia Dominus supra præmiis ad virtutes et fidem populos provocavit, consequenter eos etiam a criminibus et peccatis futurorum suppliciorum denuntiatione deterret, dicens : *Verumtamen væ,* scilicet doloris æterni, *vobis divitibus,* non tamen omnibus, sed *qui habetis hic consolationem vestram* a vobis optatam : abutentes divitiis ad vitæ voluptatem. Quasi diceret : Non habetis meam, et nec in præsenti, nec in futuro. Divites ergo vocat, qui in bonis ducunt dies suos, quia non tam divitiæ, quam amor et abusio divitiarum, in culpa est. Cum enim superius regnum cœlorum pauperum esse dicatur, ex opposito apparet, quod ab hoc regno se alienat, qui in temporalibus, quæ non consolatio, non deliciæ, sed remedium, refrigerium, contra necessarias temporis miserias esse debent, consolationem quærit, auditurus a justo Judice : *Fili, recordare quia recepisti bona in vita tua.* Unde *Ambrosius :* « Qui consolationem vitæ præsentis habuerunt, remunerationem perpetuæ perdiderunt. *Væ vobis qui saturati estis,* in præsenti vacando comessationi, et ebrietati, et in deliciis vivendo, *quia esurietis* in futuro, non cibi carentia specialiter, sed totius boni penuria generaliter. Sicut dives qui epulebatur quotidie splendide, in deliciis vivens, dirum *væ* sustinebat esuriens, quando de digito Lazari, quem despexerat, guttam aquæ quærebat. Epulones arctissimo jejunio macerabuntur in pœna, ut culpæ eorum, scilicet gulæ, pœna sit contraria. Sicut ergo contraria contrariis punientur in pœna, ita contrariis contraria curari debent in pœnitentia. » Ubi *Beda :* « Si beati sunt illi qui justitiæ semper opera esuriunt, infelices e contrario æstimandi sunt, qui sibi in desideriis placentes, nullam veri boni famem patiuntur, satis se rati beatos, si non ad tempus sua voluntate priventur. *Væ vobis qui nunc ridetis,* risu inordinato, ac gaudetis et lascivitis gaudio vano, *quia lugebitis* dolore interiori, *et flebitis* dolore exteriori. Vel *lugebitis,* pro omnis boni carentia : *et flebitis,* pro omnis mali præsentia, in ardoribus sempiternis *ubi erit fletus et stridor dentium.* Si enim lugentes beatificentur, et consolabuntur; merito ridentes, tanquam miseri, cruciabuntur. » Unde Salomon ait : *Risus dolore miscebitur, et extrema gaudii luctus occupat.* Ubi *Basilius :* « Cum Dominus ridentes nunc arguat, palam est quod nunquam erit fideli tempus risus, et præcipue in tanti multitudine eorum qui in peccato moriuntur, pro quibus oportet lugere. » Et *Chrysostomus :* « Dic autem mihi, cur concuteris et defluis, qui debes assistere terribili judicio, et ponere rationem de omnibus hic operatis. *Væ vobis, cum benedixerint vobis homines,* scilicet adulando, ac laudando, et extollendo vos per applausum talem, nutrientes vos in malis, ut cæci efficiamini, vosmetipsos non cognoscentes, nec attendentes illud Apostoli : *Si hominibus placerem, servus Christi non essem.* Secundum hoc, *faciebant pseudoprophetis patres eorum,* qui benedicebant illis prophetis, qui ob captandum vulgi favorem, et ad habendum populi applausum, de corde suo, non de Spiritu et ore Domini, prophetabant falsum. Et hoc est quod Psalmista deplorat : *Quoniam laudatur in desideriis animæ suæ; et qui iniqua gerit, benedicitur.* Sed et *væ* eis qui sic laudant, quia plus nocet lingua adulatoris, quam gladius persecu-

Digitized by Google

toris. Qui enim mala agentibus adulatur, pulvinar sub capite dormientis ponit, ut fulcitus laudibus in malis requiescat. Si ergo beati sunt, qui ab hominibus odiose maledicuntur; merito infelices reputandi sunt qui ab hominibus adulatorie benedicuntur. Magna quidem Dei ira est et ultio, quod peccatori deest correctio, et adest adulatio, quasi de bene gesto : quia ipsa adulatione nutritur in culpa, et majorem fovetur ad pœnam. Has sententias Lucas ponit, ut veritas quatuor beatitudinum quas anteposuit, clarius per oppositam damnationem elucescat. »

ORATIO

Domine Jesu Christe, qui ut altiora virtutum culmina doceres, in montem cum discipulis ascendisti, ibique beatitudines et virtutes sublimes docuisti et præmia singulis congruentia promisisti, da mihi, fragili, ut tuam vocem audiens, studeam per virtutum exercitium habere meritum, quatenus, te miserante, consequar et præmium. Fac ut considerans mercedem, opus mercedis non recusem, sed spes æternæ salutis mitiget in me dolorem medicinæ præsentis, et accendat animum ad claritatem operis. Fac me miserum nunc beatum, beatitudine viæ per gratiam, et tandem beatum, beatitudine patriæ per gloriam. Amen.

CAPUT XXXIV

Sermonis in monte continuatio : Quod Prælati debent lucere opere et sermone, et quod Christus non venit Legem solvere, sed implere.

Matthæi cap. 5.

1 APOSTOLI ET PRÆLATI PRIMUM COMPARANTUR SALI. — Et quia Dominus hortatus est Apostolos ad sustinendum tribulationes, nunc consequenter ponit quatuor similitudines, scilicet comparando eos sali, luci, civitati, et lucernæ, quibus ipsos ostendit similes, ut per hoc intelligant se in tribulationibus debere magis esse fortes. Ac si eis diceret : Non vos debetis in tribulationibus deficere, quia defectus vester multis esset occasio ruinæ. *Vos enim estis sal terræ; vos estis lux mundi;* vos estis civitas supra montem posita, et lucerna supra candelabrum posita. *Vos,* inquam, *estis,* id est esse debetis. Duæ pri-

Digitized by Google

mæ similitudines dicuntur per affirmationem, in quibus ostenditur ad quid sunt; quia ad condiendum affectum, et illuminandum intellectum. Duæ sequentes dicuntur per negationem, in quibus ostenditur ad quid non sunt; quia nec in absconsione personæ, nec in occultatione doctrinæ. Apostoli igitur et prælati dicuntur sal terræ, propter vitæ perfectionem, qua homines condiuntur, et mentes eorum, qui adhuc terrena capiunt, imbuuntur. Sal enim terram sterilem facit, cibos condit, carnes siccat, et a putrefactione conservat, ex aqua et igne conficitur, in omni sacrificio offertur. Sic exemplum sanctitatis, terrenum affectum mitigando, sterilem facit; sanctum desiderium sapidum reddendo condit; carnem mortificando dessiccat; a putredine libidinis restringendo conservat; ex aqua devotionis, et igne dilectionis, decoquendo in fornace pœnitentiæ, conficitur; in omni opere dirigendo, et moderando, offertur. Præcipue autem sal in Scriptura discretionem significat, quæ in prælatis esse debet, qua debent opera subditorum sic condiri et dirigi, ut coram Deo sapida reddantur, sicut cibaria sale condita magis sapida sentiuntur.

2 Salis depravatio. — Et monet Apostolos et ceteros Ecclesiæ prælatos, ut in virtutibus persistant: *quia si sal*, id est prælatus, vel doctor, per quem alii condiendi sunt, *infatuatus fuerit*, vel *evanuerit*, et defecerit, scilicet aut persecutionis et adversitatis timore, aut cupiditatis et prosperitatis amore, aut superbiæ et vanæ gloriæ elatione, aut carnalis affectus attractione, aut negligentiæ et incuriæ seductione; aut subversus errore, quominus condiat et doceat subditos exemplo et verbo, *in quo salietur* infirmus populus subditus qui debet condiri vita et doctrina majorum? vel in quo, et quo alio doctore condietur, et emendabitur, scilicet ipsum sal, id est ipse qui habet alios condire; secundum illud Sapientis: *Quis medebitur incantatori a serpente percusso?* Unde dicendum est ei: *Medice, cura teipsum.* Similiter si discretio, quæ opera nostra condit, ab operibus nostris bonis, de genere defuerit, Deo accepta non erunt. In cujus figura, sal in omni sacrificio ponebatur. Sal igitur sic evanescens, propter inutilitatem sui, ad nihil valet ultra, neque in terra, neque in sterquilinio. Non est utile terræ, quia suo injectu prohibet eam germinare; non sterquilinio, id est fimo, quia sibi immixtum non sinit ipsum fecundare. Quasi diceret: Nihil valet, quia nec in se fructificat, aut fructum boni operis fert ut terra; nec in aliis fecunditatem, seu fecundandi virtutem dat, aut eos extollere valet ut fimus; sed mittatur foras ab officio, et humilietur inter homines, quia sibi nocet, et aliis non prodest, unde talis debet repelli a prælatione, ne officium prælatorum in conspectu hominum reddatur vile. Aut ergo a dignitate ecclesiastica deponetur, aut ab unitate Ecclesiæ numero vel merito secernetur, aut a Sanctorum gloria excludetur, et talis conculcabitur ab hominibus in mundo per derisionem, ab Angelis in judicio per separationem, a dæmonibus in inferno per afflictionem.

3 Deinde comparantur luci. — Dicuntur etiam Apostoli et prælati lux: *Vos estis lux mundi*, id est hominum qui sunt in mundo, propter verbum doctrinæ, qua debent ignorantes de credendis et faciendis illuminare. Sicut enim sol et luna illuminant oculos corporis; sic Apostoli et doctores illuminant oculos mentis. Prius autem est bene

Digitized by Google

vivere quam bene docere. Et ideo postquam Apostolos dixerat *sal terræ,* sapienter vivendo; dicit eos lucem mundi, tenebrosos illuminando. Debet ergo prælatus esse *sal,* bene vivendo, *lux,* bene docendo; *sal* in exemplis, *lux* in doctrinis. Rectus ordo iste, primo bene vivere, deinde bene docere. Secundum *Glossam,* Deus est lux non illuminata, sed illuminans; Apostoli et apostolici viri, lux illuminata et illuminans; simplices justi, lux non illuminans, sed illuminata. Prima est sicut lux solis; secunda, sicut lux lunæ; tertia, sicut lux stellæ.

4 LUCERNA NON DEBET ET CIVITAS SUPRA MONTEM POSITA NON POTEST ABSCONDI. — Deinde post condimentum salis et radium lucis, sequitur civitatis protectio, et lucernæ illuminatio, quia Apostoli et prælati non debent se abscondere, neque lucernam divini verbi ponere sub modio et occultatione humani timoris, neque sub lecto et quiete mundanæ prosperitatis; sed debent esse civitas in monte posita, ut sint refugium injuste oppressis; et lucerna supra candelabrum posita, ut per sanctæ vitæ exempla luceant tenebrosis. Unde ad similitudinem civitatis supra montem, et lucernæ supra candelabrum positæ, sic monet Apostolos et prælatos simili lumine coram hominibus lucere et fulgere, ut visis operibus eorum bonis, odore et admiratione talium homines attrahantur et informentur, ac inde Deus Pater glorificetur, et non ipsis, sed ei a quo omne bonum et laus impartiatur. Debent ergo lucere et opere, et sermone. Non enim ait : Ut audientes vestrum sermonem bonum; sed, *ut videntes opera vestra bona, glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est.* Magis enim operando quis proficit quam loquendo, et plus movent exempla quam verba, quia major est splendor operis quam sermonis. Iste enim tantum ore prædicat, et una hora in septimana; ille vero totus prædicat, et omni totius temporis hora. Unde alibi : *Fulgebunt justi, et tanquam scintillæ in arundineto discurrent.* Quod, secundum *Gregorium,* est vita secularium, qui foris quasi ad alta proficiunt, sed intus a soliditate inanescunt. E contra vero docere voce, et non opere, quædam vanitas est, et parum prodest; quia, secundum *Bernardum,* lingua magniloqua et manus otiosa, doctrina lucida et vita tenebrosa, monstruosa res est. Ad hoc autem lucere debent, ut finem boni operis in laudibus Dei, non hominum, constituant; quia non debent de hoc suam, sed Dei quærere gloriam, et proximi ædificationem, ut videntes *opera* eorum *bona,* Deum per quem in eis fiunt, non facientes *glorificent,* per imitationem eorum, per laudem quoque eorum, omnia ei ascribentes ut Auctori bonorum. Non est ergo huic contrarium, quod infra dicitur : *Attendite, ne justitiam vestram faciatis coram hominibus,* quia opere bono quærenda est gloria divina, et sic loquitur hic; sed fugienda gloria propria et humana, et sic loquitur infra.

5 CHRISTUS NON VENIT LEGEM VETEREM SOLVERE, SED ADIMPLERE. — Deinde incipit eos jam informare, quod doceant præveniendo primo falsam opinionem, quam habere poterant. Tanquam si quærerent, dicentes : Ecce volumus doctrinam tuam non abscondere, sed quid est hoc ipsum quod vetas abscondi? Numquid alios docturus es, contra ea quæ in Lege et Prophetis scripta sunt? Non inquit : *Nolite putare,* ne scilicet in errorem incidatis, *quoniam veni solvere Legem aut Prophetas,* prohibendo scilicet ne spiritualiter fiant. Ut enim dicit *Augustinus,* omnia quæ in Veteri

Digitized by Google

Testamento conscripta sunt, Novi Testamenti typum et imaginem prætulerunt. *Non veni solvere,* et destruere *Legem, sed* potius *adimplere* eam. In hac autem Domini sententia, secundum *Augustinum,* duplex est sensus. Nam *adimplere Legem* est aut addendo aliquid quod minus habet, aut faciendo quod habet. Dominus ergo addit quod minus habet, non utique solvit quod invenit, sed magis perficiendo confirmat. Omnia etiam quæ Lex et Prophetæ de eo promiserant, jam pro parte in ipso completa sunt; et antequam *transeant cœlum et terra,* et elementa mutentur ab hac mutabili forma, in immutabilem, scilicet antequam iste mundus, quoad figuram, non quoad materiam, finiatur, omnia quæ de eo scripta sunt, spiritualiter implebuntur, nec *unum iota, aut unus apex,* id est minimum etiam Legis præceptum, potest cadere ab effectu impletionis, ut remaneat irritum et inane. *Iota* minima littera est inter alias, et uno ductu fit; *apex* autem est particula litteræ, quæ ponitur in summitate, ad distinctionem, et notat minima præcepta; quia minimum præceptum, vel minima præcepti particula, *non præteribit a Lege,* id est non remanebit, quin impleatur suo tempore, vel in capite, vel in corpore.

6 PRÆDICATORES EXEMPLO DEBENT OSTENDERE, QUOD ORE DOCENT. — Deinde post modum implendi et docendi ipsi Christo proprium, ostendit modum implendi a parte doctorum, et qualiter debet ei confirmari doctrina prælatorum. Et ponit quamdam divisionem bimembrem doctorum. Quidam enim sunt, qui male vivunt et bene docent, sicut Scribæ et Pharisæi faciebant. Et de istis dicitur : *Qui ergo solverit,* male scilicet vivendo, et transgrediendo *unum de mandatis istis minimis,* id est de mandatis Decalogi, quæ dicuntur minima, quia inchoant hominem, et ad vitam pertinent incipientium, *et docuerit sic homines,* malis exemplis corrumpendo, *minimus vocabitur in regno cœlorum,* id est in Ecclesia militante; quia, secundum *Gregorium,* cujus vita despicitur, restat ut ejus prædicatio contemnatur. O quot sunt hodie in Ecclesia tales minimi, qui tamen sibi videntur valde magni! Ubi *Augustinus :* « Consequens est, ut qui minimus est in regno cœlorum, qualis, nunc est Ecclesia, non intret in regnum cœlorum, qualis tunc erit Ecclesia; quoniam docendo quod solvit, ad eorem societatem qui faciunt quod docent, non pertinebit. » Unde et *Chrysostomus :* « Docere et non facere, non solum nihil lucri, sed et damni plurimum confert. Grandis enim damnatio est componenti quidem sermonem suum, vitam vero suam atque opera negligenti. » — Alii autem sunt qui bene vivunt et bene docent, et tales debent esse prælati Ecclesiæ, et de istis subditur : *Qui autem fecerit, et docuerit, hic magnus vocabitur in regno cœlorum.* Quia, secundum *Chrysostomum,* per verba philosophari facile est; quæ vero, per opera demonstratio, generosi cujusdam et magni est; magni quoque erunt, etsi non adeo magni, qui faciunt et non docent : factores enim Legis justificabuntur apud Deum. Omnia autem mandata deputantur facta; quando quidquid non fit, ignoscitur. Ideoque dicere debemus : *dimitte nobis debita nostra.* Deinde confirmat quod dixit, quia in tantum non solvit Legem, sed superabundanter vult eam impleri, quod nisi sui eam superabundanter impleverint, et justitia eorum super Scribarum et Pharisæorum, qui dicunt et non faciunt, superabundaverit, et non

Digitized by Google

solum doceant, sed etiam faciant, quia ad salutem non sufficit bona doctrina, nisi adsit bona vita; vel, secundum *Augustinum*, nisi non solum illa Legis minima præcepta impleverint, sed etiam ista quæ ab eo adduntur, negat eis introitum regni cœlorum; per justitiam enim Legis, nullus intrare potuit in regnum cœlorum, licet justitia proprie sumatur pro virtute cardinali, qua redditur unicuique quod suum est, large tamen sumitur hic; quia, ut dicit *Hieronymus*, omnes virtutum species uno justitiæ nomine continentur. Et secundum hoc dicit *Augustinus*, duas esse partes justitiæ, scilicet declinare a malo, et facere bonum, quia sic justitia distinguitur contra peccatum. Ubi sciendum quod sicut sunt varia dona gratiarum Dei, ita sunt varii status et conditiones hominum. Propter quod his qui sunt in statu majori, respectu minorum, apte dici potest: *Nisi abundaverit justitia vestra plus quam*, talium, scilicet minorum, *non intrabitis in regnum cœlorum.*

7 Ira et vindicta in Lege nova prohibentur. — Hic advertendum est quod Salvator præcepta Decalogi replicat, et ad observationem eorum homines inducit, verum intellectum eorum declarando, et errores Judæorum circa hæc excludendo. Nam doctores Judæorum dicebant, per præcepta Decalogi negativa, tantum actum exteriorem, non motum animi, esse prohibitum, et quod voluntas mala non est peccatum, nisi exeat in effectum. Unde dicebant de hoc præcepto: Non occides, quod per hoc prohibetur occidendi factum, et non occidendi propositum. Et hoc est quod dicit: *Audistis quia dictum est antiquis: Non occides*, scilicet hominem, hoc est, sic interpretabantur præceptum hoc; sed hunc errorem excludit Salvator, prohibens irasci sine causa. Unde non occidere hominem injuste manu et actu pertinet ad justitiam Legis. Qui autem sic occiderit, reus erit, secundum Legem, judicio mortis, seu accusatione et damnatione in mortem, quia Lex punit secundum talionem. Sed perfectus superaddit, prohibens ne quis sine causa justa irascatur fratri in corde, vel signum commoti animi ostendat in voce, dicens: *Raca*, quæ vox indignantis est, absque certa expressione vituperii vel blasphemiæ, aut certam injuriam, sub expressione verbi irroget, dicens: *Fatue*, quod est magis injuriari, quam dicere *Raca*. Prohibetur ergo: primo, motus iræ in animo; secundo, indignationis in signo; tertio, vituperationis in verbo. Tribus autem generibus et gradibus culpæ assignat tres gradus pœnæ: prima culpa est ira vel odium in corde latens; secunda culpa est ira in generalem contumeliam prorumpens; tertia culpa est ira in specialem contumeliam procedens. His tribus culpis debetur pœna differens, eis correspondens. Nam *qui irascitur* motu interiori, vel odio, *fratri suo*, non vitio, ut sit ira per vitium, non per zelum, qui deliberat odium conceptum implere opere, si opportunitas adesset; *reus erit judicio*, id est dignus accusatione apud Deum, et in foro summi Judicis, licet non hominis, cum de voluntate non possit accusari coram homine. *Qui autem dixerit fratri suo Raca*, ex indignatione et contemptu; *reus erit concilio*, id est consensu judicii, de danda in eum sententia, et determinanda pœna, quia jam venit in notitiam culpa. *Qui autem dixerit Fatue*, ad contemptum personæ, non ad correctionem culpæ; *reus erit gehennæ ignis*, et pœnæ determinatæ, quia, secundum *Glossam*, non modicus furor est, quem Deus

Digitized by Google

sale sapientiæ condivit, infatuatum dicere et salienti derogare. Moyses ergo et Lex securim posuit ad ramum arboris, prohibens homicidium ; Christus vero tanquam sapiens agricola et Evangelium securim posuit ad radicem, prohibens iram, ut omnem radicem peccati de cordibus nostris auferret, quia per iracundiam etiam usque ad homicidium perveniri potest. Et bene incipit ab ira, quia, secundum *Glossam,* janua omnium vitiorum est iracundia : qua clausa, virtutibus intrinsecus dabitur requies ; aperta ea, ad omne facinus armabitur animus. Secundum *Hieronymum,* ira est omnis malus motus ad nocendum ; aut ergo surgit subito, et sic est veniale, aut ex deliberatione et consensu, et sic est mortale. Considerandum tamen quod licet ira sit peccatum, non tamen omnis ira : ira enim est appetitus vindictæ ; vindicta autem, si sit justa, non est peccatum eam appetere. Est autem injusta quadrupliciter : vel quoniam appetitur pœna ejus qui non meruit ; vel appetitur plus quam meruit ; vel si appetatur ordine debito prætermisso ; vel quia appetitur propter indebitum finem, ut quando appetitur solum propter vindictam, non propter justitiam. Christus itaque radices inimicitiarum, ipsosque fontes per quos charitas necari solet intercipiens, studet nos mutuis nobis charitatis nexibus colligare, quod tamen, heu ! parum curamus advertere. Unde *Chrysostomus :* « Et nos quidem majores nostros et potentiores, etiamsi injuriis et contumeliis contra nos agant, ferimus, verentes ne quid ab eis gravius patiamur ; erga æquales vero vel inferiores, interdum nec læsi irascimur, in tantum humanus metus timore Dei præponitur. Noli, inquit, irasci fratri tuo sine causa ; nam multo hoc levius est, quam si tu alium feras irascentem tibi sine causa. Cum ergo, quod majus est, propter timorem hominum feras, propter timorem Dei ne minimum quidem patieris ? » hæc *Chrysostomus.* Et si prohibetur ira recens, multo magis inveterata, ut dicit *Augustinus :* « Si irasci non est fas fratri, aut dicere *Raca,* aut *Fatue :* multo magis in animo tenere aliquid, ut in odium indignatio convertatur. »

8 Reconciliatio autem jubetur, muneribusque anteponitur. — Ideo ex præmissis concludit, quod volens offerre Deo in altari fidei et cordis sui quodcunque *munus,* scilicet cordis, oris, operis, sive hostiam, sive eleemosynam, sive doctrinam, sive orationem, sive hymnum, sive psalmum, sive aliud spiritualium vel corporalium donorum, *prius,* debet *reconciliari fratri,* læso seu offenso per eum verbo vel facto, damno corporali vel spirituali, quia munus non accipitur, nisi ante discordia ab animo repellatur. Deus quippe non munus repellit, sed charitatem proximi quærit, et ideo charitatem prius proximo exsolvat, qui munus suum Deo placere exoptat. Munus enim Deo oblatum non proficit ipsi offerenti, nisi sit in charitate. Charitatem autem non habet, nisi proximo per eum læso velit satisfacere. Ubi sciendum quod si commode possit haberi ipsius fratris offensi præsentia, tunc pergendum est ad eum pedibus corporis, et revocandus est in gratiam satisfaciendo, vel veniam postulando. Si autem ejus præsentia non possit commode haberi, tunc sufficit ad eum ire pedibus mentis, prosternendo et subdendo se illi, piis votis et affectu humili, habendo propositum satisfaciendi, loco et tempore competenti. Et hoc modo utitur Ecclesia Romana, quæ reum confitentem absolvit, et sibi

Digitized by Google

satisfactionem læso faciendam imponit. Sciendum est etiam, quod si offensa nota est fratri, postulanda est reconciliatio ; si vero abscondita, non teneor sibi manifestare, ne concitetur ad iram, sed postulanda est a Deo, et manifestanda sacerdoti. Et, secundum *Chrysostomum,* si cogitatu offendisti, reconciliare cogitatu ; si verbis offendisti, reconciliare verbis ; si operibus offendisti, reconciliare operibus. Omne enim peccatum, quo modo committitur, eodem modo de ipso pœnitentia agitur. Et si offendit quis verbo detrahendo, debet reconciliare famam restituendo. Attende bene ista, quia relucet hic circa nos magna Dei misericordia, quando hominum utilitates plus aspicit quam suos honores, et plus diligit fidelium concordiam quam munera sibi oblata. Unde *Chrysostomus :* « O admirabilem benignitatem, atque ineffabilem erga homines amorem Dei ! Honorem suum despicit, dum in proximo charitatem requirit. Nihil enim ita studet Deus, ut nos mutuis nobis charitatis nexibus colligare : propter hoc enim facta sunt omnia, idcirco et Deus homo factus est, atque omnia illa gessit, ut nos in unum congregaret : » hæc *Chrysostomus.* Relucet et hic nihilominus severitas Dei magna, quando discordantium vota recusat et munera. Unde *Gregorius :* « Ecce a discordantibus accipere non vult sacrificium, holocaustum suscipere recusat. Hinc ergo perpendite quantum sit malum discordiæ, propter quod et illud abjicitur, per quod culpa relaxatur. » De hoc malo discordiæ sic dicit *Cyprianus :* « Discordans et dissidens, et pacem cum fratribus non habens, nec si pro nomine Christi occisus fuerit, crimine dissensionis fraternæ poterit evadere. Quale delictum est quod nec baptismo sanguinis potest ablui ? Quale crimen est, quod martyrio non potest expiari ? » Et ideo, ut ait *Chrysostomus :* « Munera Abel suscepta sunt a Deo, Cain reprobata, quia Abel pura ac simplici mente Domino munera offerebat ; Cain vero iram adversus fratrem tenebat ; et ideo ille placuit in munere, qui placebat in corde. Sed, heu ! hodie multi huic Cain sunt similes, cum discordiis et dolis ad altare accedentes. » Unde idem *Chrysostomus :* « Cum Deus tantum curæ reconciliationis nostræ habeat, ut patiatur interrumpi ministeria sua, donec tu eas et resolvas inimicitiam cum fratre tuo ; nec nos hoc ipsum erubescimus, sed multos dies patimur manere inimicitias, et trahimus sicut funem longum discordias, ignorantes quod tanto longior erit nobis pœna, quanto et discordia. »

9 DEBEMUS QUAM CITO CONSENTIRE ADVERSARIO NOSTRO, SIVE SIT PROXIMUS LÆSUS, SIVE CONSCIENTIA, SIVE DEUS PER PECCATUM. — Et quia dictum est de concordia cum fratre offenso habenda, inducit generaliter, ut consentiamus adversario nostro, et concordemus cum eo cito dum simus in via et in hac præsenti vita, ubi est locus et tempus pœnitendi et mœrendi, et quod possumus hodie, non differamus in crastinum, quia mora trahit ad se periculum, et nemo scit vitæ suæ terminum. Ut alibi idem *Chrysostomus :* « Nihil quippe est quod ita vitam nostram valeat evertere, ut operum actionem bonorum dissimulare semper, semperque differre. Sæpe enim istud ex omnibus nos bonis fecit excidere. » Cito, inquam, concordemus cum adversario, *ne ipse adversarius tradat nos,* id est causa sit ut tradamur *judici,* in ultimo examine ; *et judex tradat nos ministro,* et exactori, id est ma-

Digitized by Google

ligno spiritui ad ultionem; *qui mittet in carcerem,* id est infernum, et pœnam exigit pro culpa quam suggessit. Unde *non exibit homo, donec reddat novissimum quadrantem,* et minutum, id est, luat etiam minima et leviora peccata, quia nihil erit impunitum. *Donec* enim ponitur hic pro *nunquam,* ut sit abnegativum omnium temporum, sicut quandoque omnium affirmativum. Unde, secundum *Augustinum,* non significat finem pœnæ, sed continuationem miseriæ. Pœnam ergo gehennæ tunc homo, etiam pro peccatis minimis, ratione mortalis annexi, semper reddet patiendo et nunquam persolvet veniam consequendo, quia semper punietur et eluet, neque unquam veniæ locus ibi erit, unde nunquam ad novissimum quadrantem venitur, qui semper solvitur : et ideo nunquam homo exibit, quia in inferno; ubi locus veniæ non est, nunquam erit redditio possibilis. Non loquitur hic de diabolo adversario nostro, quia illi non est consentiendum, sed potius resistendum; sed hoc loco adversarius noster est proximus offensus, seu læsus, cui debemus per satisfactionem debitam, et ipsius placationem consentire, et cum eo concordare, vel quicunque alius nobis adversatus, cui benevoli et benigni esse debemus. Vel adversarius noster est synderesis et conscientia, quæ malæ nostræ voluntati, et contra malum remurmurat, et nos accusat, testimonium nobis perhibente conscientia, cui debemus ad bonum consentire. Mystice etiam adversarius noster est Deus, quando peccamus, quia nobis resistit, cum ab eo peccando recedimus, cui consentire debemus pœnitendo, et ejus voluntatem faciendo. Vel sermo divinus, qui peccare volentibus contradicit, et nos peccantes arguit et accusat; cui debemus obedire, a peccatis abstinendo et avertendo, ac præceptis ejus humiliter nos subdendo.

10 FALSA JUDÆORUM INTERPRETATIO QUORUMDAM PRÆCEPTORUM REDARGUITUR. — Deinde subjungit quædam alia, ad confirmandum quod dixit supra, scilicet quod non venit *solvere Legem, sed adimplere,* et dat intellectum alterius præcepti in Lege. Judæi enim per istud præceptum : *Non concupisces uxorem proximi tui,* intelligebant signa exteriora tantum prohibita, ut sunt tactus impudici, oscula, et hujuscemodi, et sic exponebant : *Non concupisces,* id est, signa concupiscentis non facies. Similiter per istud præceptum : *Non mœchaberis,* intelligebant actum mœchiæ exteriorem tantum esse prohibitum, et sic concupiscentia et voluntas interior latens, omnimode in corde, non expressa signo vel facto, nullum esset peccatum. Sed hoc est irrationabile, quia actus exteriores, vel signa, non habent rationem peccati, nisi in quantum sunt voluntarii. Et ideo Salvator, hunc errorem excludens, dicit : *Omnis qui videt mulierem ad concupiscendum eam,* id est ea intentione et animo, et hoc fine attendens ut concupiscat eam, quod non est jam titillari, sed plene consentire libidini, *jam mœchatus est eam in corde suo.* Unde *Chrysostomus* : « Et si concupiero, nec etiam plus fecero, cum adulteris ero. Per Legem ergo, luxuria perpetrata; per Auctorem vero munditiæ, luxuria cogitata damnatur. Lex adulterium damnat; Evangelium vero etiam concupiscentiam, quæ radix est adulterii, punit. Unde Joannes in lumbis, sed Christus in pectore cinctus fuit. » Et sciendum quod quædam est concupiscentia ex subito motu, sine deliberatione boni operis vel mali, et sine consensu, et dicitur

Digitized by Google

propassio, et hoc est peccatum veniale. Alia est cum deliberatione animi, et cum consensu in delectationem, vel in opus, et dicitur passio, et hoc est peccatum mortale. Dominus vero loquitur hic de concupiscentia deliberata, quæ implicat in se consensum in delectationem vel in opus. Concupiscentia ergo cum consensu in animo est mortale peccatum, etiam antequam exprimatur facto, vel signo. Et quia visus est concupiscentiæ provocativus, ideo, secundum consilium *Ambrosii,* avertamus oculos a vanitatibus, ne quod oculus viderit, animus concupiscat. Unde *Gregorius :* « Providendum ergo nobis est, quia intueri non decet, quod non licet concupisci. Ut enim munda mens in cogitatione servetur, a lascivia voluptatis suæ deprimendi sunt oculi, quasi quidam raptores ad culpam. » Ubi et *Chrysostomus :* « Qui studet elegantes facies inspicere, ipse fornacem sibi passionis accendit, et captivam faciens animam, ad opus quoque celeriter adducit. Quid jam hic quoque respondent, qui ausi sunt temere cohabitare virginibus? Hujus enim sanctione Legis, mille sunt adulteriorum rei, quotidie illas ad concupiscendum videntes. Audiant hæc qui sæpius ad theatra festinant, seque ibi pene quotidie adulterii obscœnitate commaculant, et adulteros seipsos per unumquemque diem faciunt, et decem mille construunt perditionis occasiones : » hæc *Chrysostomus.* Sed contra hæc audi efficax consilium *Gregorii :* « Caro, inquit, cum concupiscitur, pensetur quid sit exanimis, et intelligitur quid amatur. Nihil quippe sic ad edomandum desideriorum carnalium appetitum valet, quam ut unusquisque hoc quod vivum diligit, quale sit mortuum penset : » hæc *Gregorius.*

II AMPUTANDÆ SCANDALI ET PECCATI OCCASIONES. — Et quia Dominus dixerat, ex visione mulieris, mæchari videntem, ideo consequenter docet abjicere occasionem, quæ facit hominem ruere in talem consensum : ut, *si oculus tuus dexter, vel manus tua dextera scandalizat te,* id est faciat te ruere in prædictum consensum, *erue eum,* vel abscinde eam, non membrum, sed membri abusum, cohibendo ipsum membrum ab exercitio et affectu illicito, *et projice abs te,* ex toto annihilando. *Expedit enim tibi, ut pereat unum membrorum tuorum,* prædicto modo, scilicet actum illicitum, quamvis delectabilem, deserendo, *quam totum corpus tuum,* cum anima *mittatur in gehennam.* Unde *Gregorius :* « Intueri non decet, quod non licet concupisci. » Et *Bernardus :* « Qui manum mulieris tenet, sciat se esse in vinculis diaboli. » Attendant ergo multi quam malum sit pulchras facies mulierum, seu quorumcunque juvenum intueri; aut horum manus vel facies, seu quascunque corporis partes contrectare; vel libenter cum eis fabulari, quia, secundum plures doctores Ecclesiæ, et religiosæ vitæ patres, talia designant interioris hominis corruptionem, ac quamdam ejus mollitiem et dejectionem. Hic, secundum *Augustinum,* non præcipitur aliquod membrum, ad litteram, erui; sed occasio peccandi. Potest enim esse occasio ex aspectu, et tunc oculus scandalizat; et cum bona fit intentione, tunc scandalizat oculus dexter. Vel potest esse occasio ex contactu, et cum bona intentione, et tunc scandalizat manus dextra. Hujusmodi ergo si scandalizant, abjicienda sunt, quia fugiendæ sunt occasiones peccandi. Et potest accipi exemplum de visitatione bona, vel opere bono de genere; verbi gratia, si aliquis vadit ad collegium mulierum causa prædicationis, vel

Digitized by Google

consilii dandi, vel si dat eleemosynam alicui mulieri, et ex hoc percipiat occasionem ruinæ sîbi imminentis, per ortum alicujus familiaritatis malæ, vel tentationis periculosæ, debet illud bonum de genere dimittere, ne tota congeries bonorum operum subjaceat ruinæ. Et ideo dicit *Alanus :*

Si vitare velis Venerem, loca, tempora, vita;
Et locus et tempus, pabula donat ei.

Et idem remedium est in omnibus. Unde *Seneca :* « Qui deponere vult desideria rerum omnium, quarum cupiditate flagravit, et oculos, et aures, ab his quæ reliquit, avertat. » Et hoc patet ex eo quod dicit idem : « Avarior redeo, ambitiosior, luxuriosior, imo vero crudelior, quia inter homines fui : » hæc *Seneca.* Vel accipe hic oculum et manum interiorem, scilicet cordis, quod membrum dextrum hic dicitur comparatione sinistri et exterioris, scilicet corporis fragilioris. Si ergo dextera scandalizat sinistram, quid faciet? Unde *Hieronymus :* « Cavendum est ne quod in nobis est optimum, labatur in vitium. Si enim dexter oculus et dextera manus scandalizant, quanto magis ea, quæ in nobis sinistra sunt? Si anima labitur, quanto magis corpus, quod est ad peccata proclivius? » Unde et *Chrysostomus :* « Oculum hic, vel manum, non corporis humani significat, sed oculum, vel manum cordis, id est sensum malæ concupiscentiæ, et carnalis desiderii cogitationem, quam per fidem cœlestem erui, et abscindi a cordibus præcipit, unde omnia mala procedunt. Unde hic magis membra vitiorum malæ mentis et pravæ cogitationis excidere nos Dominus præcipit, propter regnum cœlorum, ne dominantibus vitiis, et corpus et anima, id est totus homo, reus efficiatur ignis æterni. »

12 Divortium, olim toleratum, damnatur. — Deinde postquam docuit alienam uxorem non esse concupiscendam, consequenter docet suam non esse dimittendam; et dat intellectum cujusdam permissi in Lege, scilicet de uxoris dimissione, et libelli repudii datione. Credebant enim Judæi, quod hoc esset simpliciter licitum; sed est falsum, quia ideo hoc permittebatur, non quia licitum, sed ad evitandum majus malum, scilicet uxoricidium. Minus enim malum erat uxores dimittere, quam eas interficere : et ideo non erat licitum, nisi propter fornicationem, uxorem dimittere. *In Lege* ergo *Moyses jussit dari libellum repudii propter duritiam cordis* maritorum, odio uxores suas habentium, non dissidium concedens, sed homicidium auferens; et minus malum permittens, ut majus abscideret, ne mariti, propter odium, sanguinem funderent. Christus autem jubet uxorem non dimitti debere, *excepta fornicationis causa,* quia tunc ipsa uxor esse primo noluit, quæ fidem conjugalem marito non servavit. Tunc enim licitum est eam dimittere, quantum ad cohabitationem, et debiti redditionem; manet tamen vinculum matrimonii, per totam eorum vitam; et ideo si dimissa nubit alteri, committit adulterium, et similiter qui ducit eam. Quisquis tamen causa fornicationis vult uxorem abjicere, prius debet a fornicatione purgatus esse. Quia, secundum *Hieronymum,* quidquid viris jubetur, hoc consequenter redundat in feminas : neque enim adultera uxor dimittenda est, et vir mæchus tenendus.

13 Doctrina Christi de juramento præstando. — Deinde postquam

Digitized by Google

docuit Dominus non esse injuriam proximo inferendam, prohibendo iram et concupiscentiam, consequenter docet ab injuria Dei abstinendum, prohibendo perjurium et juramentum; et dat intellectum cujusdam præcepti, quo prohibetur perjurium in Lege Veteri. Circa quod errabant Judæi, credentes quod solum juramentum mendax esset prohibitum, et quod juramentum illicitum esset servandum; et similiter quod juramentum incautum, quod sine necessitate fit, esset licitum. Propter quod Salvator dicit non esse jurandum omnino, id est ex quacunque causa, ubi non excluditur juratio necessaria, sed incauta. Justitia ergo Pharisæorum est non perjurare. Hanc confirmat Dominus, vetans jurare, quod pertinet ad justitiam eorum qui intraturi sunt regnum cœlorum. Sicut enim falsum loqui non potest, qui non loquitur; sic perjurare non potest, qui non jurat. Et sicut *in multiloquio non deerit peccatum,* sic nec in multijurio, perjurium. Sicut autem Deus præcepit sibi victimas legales offerri, non quia ei placerent, sed ne eas, prout consueverant, idolis immolarent; sic infirmis concessit jurare per Deum, non quod Deo placet hoc fieri, sed quod minus malum est hoc Deo, quam creaturis exhiberi. Unde, secundum *Hieronymum,* in Lege præceptum est non jurare, nisi per Deum : non quod bonum sit, sed ne Judæi pessima consuetudine jurantes per creaturas, crederent eas venerandas. Evangelium autem non recipit juramentum, cum omnis sermo fidelis pro jurejurando sit. Ubi *Chrysostomus :* « Unde jurare nos prorsus non convenit. Quid enim unicuique nostrum jurare necesse est, cum nobis mentiri omnino non liceat? Quorum verba ita vera semper, ita debent esse fidelissima, ut pro juramento habeantur? Et idcirco Dominus, non solum perjurare, sed etiam jurare nos prohibet, ne tunc tantum videamur verum dicere cum juramus, et ne quos veraces in omni sermone esse constituit, putaremus sine juramento licitum esse mentiri. Juramenti enim hæc causa est, quia omnis qui jurat, ut, quod verum est, eloquatur. Et Dominus inter juramentum et loquelam nostram nullam vult esse distantiam. Quia, sicut in juramento nullam convenit esse perfidiam, ita quoque in verbis nostris nullum debet esse mendacium. Quod utrumque et perjurium et mendacium divini judicii pœna damnatur. Quisquis ergo nostrum loquitur, jurat, quia scriptum est : *Testis fidelis non mentietur.* Unde non immerito non jurare sæpe Scriptura divina commemorat, quia Deo, qui verax est, et noscit quidquid dicitur, pro juramento habetur; quia verum est omne quod loquitur : » hæc *Chrysostomus.* Unde et *Seneca :* « Nihil intersit an affirmes, an jures. De religione et fide scias agi, ubicunque de veritate tractatur. » Secundum *Augustinum,* quoniam ille jurat qui adhibet testem Deum, ridiculum est putare, ut non juraverit quis, quia non dixit per Deum, sed dixit, *testis est mihi Deus,* vel *ecce coram Deo, quia non mentior,* vel, *Deus scit quia non mentior.* Præcepit ergo Dominus non jurare *omnino,* id est jurare non in omni modo, et in omni casu : quia hæc est incauta juratio. Per hoc tamen non excluditur juratio in necessitate : quia negatio ibi præponitur signo universali affirmativo, quod æquipollet suo contradictorio; sed postposita æquipollet suo contrario. Hic enim non dicitur omnino non jurare : quia esset sensus, quod in nullo casu esset jurandum, quod est falsum, quia in aliquo casu

Digitized by Google

est jurandum, et in aliquo non; sed dicitur hic, *non jurare omnino,* id est jurare non omnino, id est non omnimodo : et ideo non est sensus, quod in nullo casu sit jurandum, sed quandocunque deest necessitas, et non est necessarium, et sic excluditur omne juramentum incautum. Unde, secundum *Augustinum,* Dominus non præcepit non jurare tanquam omnino illicitum; sed ne quisquam jurare appetat, tanquam per se bonum, et ut nullus juret de facili absque necessitate, et dilabatur in perjurium, ex jurandi consuetudine. Ad hoc autem quod rectum sit juramentum, tria requiruntur : unum ex parte rei de qua juratur, scilicet veritas, aliter enim non esset confirmandi idoneitas; alterum, ex parte causæ, pro qua juratur, justitia, aliter enim non esset debita jurandi necessitas; tertium, ex parte jurantis, scilicet judicium, sive discretio, aliter enim non esset debita periculi cautela. Unde in Jeremia : *Jurabis, dicit Dominus, in veritate, et justitia, et judicio.* Et non solum incaute jurare per Deum est illicitum, sed etiam per creaturas, in quantum in eis relucet virtus divina. Ideo sequitur : *Neque per cœlum, quia thronus Dei est,* id est principaliter ibi relucet gloria Dei, *neque per terram, quia scabellum pedum ejus est,* id est infima creatura, sicut scabellum est inferior pars sedis, *neque per Jerosolymam, quia civitas est magni Regis,* id est Dei, qui est Rex Regum, et ad ejus deputata cultum, quia scilicet est opus divinum, non tuum; quod probat, dicens : *Quia non potes facere unum capillum album, aut nigrum.* Unde vult dicere, sicut nec per Deum non est jurandum, ita nec per creaturas : quia cum quælibet creatura sit opus divinum, qui jurat per creaturam, jurat per Deum. Ideo etiam prohibemur jurare per creaturas, ne creaturam in honore divinæ venerationis habeamus, vel ne putemus non esse perjurium, jurare falsum per creaturas; et dum per creaturas juramus, nihil jurare, et juramentum non obligare credamus. Fiunt tamen interdum per cruces et Evangelia, id est per eum cui hæc sunt dedicata. Et similiter fiunt per Sanctorum reliquias, quia in his potius Deum quam Sanctos veneramur, a quo auctore, omne bonum quod habent, eos habere recognoscimus. Qui autem jurare prohibuit, quomodo loqui oportet, docuit, subdens : *Sit autem sermo vester, est est, non non,* simpliciter affirmando veritatem, et negando falsitatem. Unde duplicat utrumque, ut quod est intus in corde hoc dicatur foris in ore. Tunc est enim sermo noster, *est est, non non,* cum gemina veritate cordis et oris, aliquid affirmamus vel negamus. Igitur sicut est in conscientia, ita sit et in lingua; et sicut est in re, ita et in ore; et sicut est in ore, ita et in opere, ut quod re affirmamus, operibus probemus, et quod verbis negamus, factis non confirmemus. *Quod autem his abundantius,* et amplius, *est,* scilicet jurare, *a malo est,* id est ab infirmitate et suspicione illius qui sine juramento non credit. Non dixit : Malum est; tu enim non facis malum, qui bene uteris juratione, quæ etsi non bona, tamen necessaria est, ut alteri persuadeas, quod utiliter suades; sed *a malo* et infirmitate illius *est,* cujus infirmitate cogeris jurare, cum vides pigrum ad credendum, quod ei utile est credere, nisi firmetur juratione. Semper tamen est malum ibi ex aliqua parte : vel ex parte jurantis, quando jurat sine necessitate; vel si requisitus jurat, est ibi a parte requirentis. Et hoc vel malum culpæ, quando scilicet requirit

Digitized by Google

juramentum sine necessitate; vel malum pœnæ, quia ex infirmitate humana, quæ est quædam pœna generi humano inflicta, procedit, quod homines non credunt sibi mutuo simplici verbo, absque juramento. Verum igitur loquamur, neque id jurationibus crebris, sed morum probitate commendemus. Et in loquendo ore tantum utamur, quia quod ore amplius est, scilicet etiam ceteris artibus uti, a malo est. Ut enim in Proverbiis dicitur : *Homo apostata vir inutilis digito loquitur.* Stultus ergo est, qui talem imitatur, et similiter *digito loquitur;* sed magis stultus est, si etiam manu, in qua plures digiti sunt, loquatur; et per consequens, stultissimus est, si etiam brachiis et humeris, in loquendo utatur. Si autem ad motum membrorum istorum accedit et motio capitis, jam videtur quasi insano similis. Expedit ergo omnia membra, præter os, in loquendo continere, ne inde scandalum ad alios possit quomodolibet derivare.

ORATIO

Domine Jesu Christe, qui antiquis temporalia, nobis vero æterna promisisti, ut nostra superabundet justitia, da mihi coram te et proximis sermone et opere lucere, ac Legem tuam non solvere, sed superabundanter implere. Custodi me ab ira et offensione proximi, ut munus cordis, oris, vel boni operis, quod tibi obtulero, acceptum sit in conspectu tuo. Concede mihi, clementissime Deus, a concupiscentiis et aspectibus malis cavere, omne juramentum declinare, ut sicut a proximi, sic et a tua injuria valeam abstinere, et tibi in omnibus semper placere. Amen.

CAPUT XXXV

Sermonis in monte continuatio : De patientia et largitate circa proximum exhibenda.

Matthæi cap. 5.

1 Lex talionis apud Judæos. — Postquam ergo Dominus docuit non esse inferendam injuriam proximo, nec irreverentiam Deo; consequenter docet qualiter Christianus se habere debet ad eos qui sibi injuriam inferunt, ponens pauca verba, quæ omnibus hominibus ad perfectionem sufficiunt, in quibus omnis patientiæ et largitatis virtus aperte commendatur et suadetur. Et primo ponit intellectum cujusdam præcepti judicialis, ubi errabant Judæi, credentes, quod vindicta esset propter

Digitized by Google

se appetenda ; sed hoc est falsum ; quia velle pœnam alicujus, absolute non potest habere rationem boni, sed solum in quantum appetitur propter aliud, scilicet propter ordinem justitiæ servandum ; vel propter illius qui deliquit correctionem ; vel propter aliorum terrorem, ut videntes talem puniri, coerceantur a malis; vel propter aliquod hujusmodi. Ubi ergo nullum bonum tale ex pœna alicujus æstimatur evenire, sed magis timetur de scandalo, vel de majori malo suscitando, tunc tenetur homo desistere a vindicta quærenda, et hoc est necessitatis; si autem citra talem casum desistat, est supererogationis. Igitur, *non resistere malo* in aliquo casu est præceptum, et in aliquo consilium; et aliquando non resistere esset malum, quando scilicet per hoc daretur audacia malis hominibus simplices opprimendi, et potest eorum malitiæ sine periculo occurri. Malo enim culpæ semper est resistendum; sed malo injuriæ, nunquam libidine vindictæ, sed per judicem, amore justitiæ, causa scilicet utilitatis Ecclesiæ, et correctionis proximi, ne malis discat assuescere. Unde in Lege præceptum judiciale de pœna talionis erat circa mortem, percussionem, mutilationem, ut percutiens, in eo pateretur et puniretur in quo læserat, et sic redderet animam pro anima, *oculum pro oculo, dentem pro dente.* Quia enim Judæi proni ad inferendas injurias proximo, etiam sine causa, et sævi in vindicando proprias injurias erant, modumque et mensuram pœnæ excedebant, Lex, tam pro temeritate lædentium quam læsorum, instituit modum et terminum ultionis, quem nullus excederet in injuriis vindicandis, scilicet pœnam talionis. Provida enim quadam cautela, modum posuit : tam propter protervitatem lædentium, ut reprimerentur timore; quam læsorum, ne ultionem sumerent ultra modum proprium. Christi autem, cujus ut dicitur *misericordia superexaltat judicium,* et ipsius Evangelii justitia est *non resistere malo*, scilicet per malum, sed in bono patientiæ vincere malum injuriæ. Nec etiam, quod majus est, respondendum est injuriis, ut injuriis lacessiti, parati et prompti simus ad illas patienter sustinendas. In Lege est retributio, quia jubet læsum æquali judicio judicari; in Evangelio, gratia, quia docet patientiæ virtutem, etiam per membrorum damna servari. Unde *Chrysostomus :* « Si alterius oculum eruis, non tuum recuperasti, sed cum membro etiam patientiam perdidisti. Diabolus vulnera procurat corporum, propter vulnera animarum. Si tu non percusseris, ab homine quidem victus videris; sed diabolum vicisti. Unde si non reddideris malum pro malo, etsi membrum corporis perdidisti, lucrum patientiæ acquisisti; si autem reddideris, et corporis damnum passus es et salutis, nec tantum læderis quando ab iniquis noceris, quantum cum a constantia bonitatis recesseris : » hæc *Chrysostomus.*

2 QUO SENSU MAXILLA ALTERA PERCUTIENTI PRÆBENDA? — Sunt autem quatuor gradus ad pacem : primus est non plus reddere; secundus est minus reddere et hoc additum est per traditionem Pharisæorum, qui dabant quadraginta disciplinas, una minus; tertius est malum non reddere; quartus est, paratum esse amplius tolerare. Primi duo fuerunt in Lege; in tertio incipit Evangelium, cum dicit : *non resistere malo;* in quarto est Evangelii consummatio, quod consequenter exponit declarando. Unde quia non dixit, resistendum malo, ne aliquis intelligeret de malo culpæ, non injuriæ,

Digitized by Google

subjungit, dicens : *Sed si quis te percusserit in dexteram maxillam præbe illi et alteram,* scilicet dexteram mentis interiorem, ne exterioris hominis cæde vel tacitus intra se moveatur interior, id est, sis paratus in animo ad aliam percussionem, et majora, et ampliora sustinendum, antequam per impatientiam malo resistas, et scandalum, vel aliquod malum aliud contra charitatem suscites. Unde *Augustinus :* « Non tantum non repercutias, sed si vult alteram ferire, patienter sustineas. » Ubi *Chrysostomus :* « Qui repercutit, Legis implet mandatum, non Christi. Sed dicis, dignus est ille repercuti ; etiam, sed tu non es dignus repercutere, quia discipulus illius es, cui cum malediceretur, non remaledicebat : » hæc *Chrysostomus.* Ad omne ergo nos exemplum patientiæ et humilitatis Dominus per Evangelica præcepta confirmat. Non solum enim prohibet repercutere percutientem, sed et jubet nos paratos esse iterum percuti et non resistere malo injuriæ, ⌜quominus adhuc possit nobis inferri. Unde *Beda :* « Quid tam magnum, quam percutienti præbere maxillam ? Nonne indignationis impetus frangitur, ira sedatur, et per patientiam ille mutatur, vel invitatur ad pœnitentiam? Per hujus ergo mandati impletionem, homo Christo conformatur, diabolus ab homine vincitur, plena pax inter homines obtinetur. » Unde *Chrysostomus :* « Hujusmodi meditatio tolerantiæ ducit ad passionem martyrii. Facile enim persecutionis tempore, pœnas corporis poterit sustinere, si in pace ante exercitatus, hujusmodi injurias æquanimiter ac libenter suscipiat. » Hic, secundum *Augustinum,* non prohibetur ea vindicta, quæ ad correctionem valet, sed huic vindictæ inferendæ non est idoneus, nisi qui odium dilectione superat ; non enim odit pater filium castigando. Unde non debet quis odio et libidine vindictam expetere, sed amore, et ad correctionem, et ut injurians ab eo, cui rerum ordine potestas data est, tanquam filius a patre corrigatur ; paratus, si opus sit, æquo animo plura tolerare, ab eo quem vult esse correctum. Talis enim vindicta ad correctionem, propter amorem, pertinet ad misericordiam. Beatus ergo, qui ipso corde est ad omnia paratus in omnibus quæ patitur pro Deo, veraciter possit dicere, et canere illud propheticum : *Paratum cor meum, Deus, paratum cor meum.*

3 QUO ETIAM SENSU NON CONTENDENDUM SIT, SED PALLIUM DANDUM? — Non solum autem maxillam præbendam percutienti Dominus præcepit ; sed damna subiri, quia, secundum *Chrysostomum,* post corporalis injuriæ tolerantiam, vult nos etiam Dominus secularium habere contemptum, et non tantummodo in plagis, verum etiam in pecuniis, rebusque diversis nos vult præstare patientiam. Unde addit : *Et ab eo qui aufert tibi vestimentum, noli prohibere,* scilicet repugnando, vel cum eo contendendo : exemplo Domini, qui vestimenta sua permisit a se auferri, et a militibus dividi. Dum enim vis vindicare vestem corporis, pretiosissimum animæ vestimentum perdis. *Et ei qui vult tecum in judicio contendere,* id est contentiose agere, *et tunicam tuam tollere,* id est vestem interiorem et magis necessariam, per quam et cetera necessaria intellige, hoc est si te ad judicium propter tunicam trahat, ac negotium tibi, molestiamque commoveat, *dimitte ei et pallium,* id est exterius vestimentum, et cetera quibus non adeo indiges ; nunquam contentiose, et cum iracundia agas. Quasi diceret : Si quis contendendo velit tibi auferre unum de

Digitized by Google

necessariis, antequam contendas in judicio, sustine potius ut auferatur tibi et reliquum de eis. Hoc quoque, secundum *Augustinum,* ad præparationem cordis, non ad ostensionem operis intelligendum. Ex hoc etiam potes trahere, ut si quis vult tunicam tuam tollere, id est animam, vel interiora bona, dimittas pallium, id est exteriora negotia. Ubi *Chrysostomus :* « Si litem tibi videris imminentem, etiam illa quæ non poteris indulge ; melius est enim jurgio liberari, quam retinere materiam jurgiorum. Difficile est rem dimittere ; sed difficilius de judicio sine peccato exire. » Et iterum : « Non solum, inquit, injuriam patiens, nihil iracundiæ moveas adversus eum, qui injuriam facit, et non solum pro his quæ abstulit non indigneris ; sed et si quid tibi forte subrelictum est, id sponte largire ei qui totum abstulit. Cum enim ille talem te invenerit, resipiscet continuo, et facti pigebit eum. » Ubi et *Beda :* « Quod de vestimento et tunica dictum est, non in eis solis, sed in omnibus faciendum est, quæ aliquo jure temporaliter nostra esse dicimus. Si enim de necessariis hoc imperatum est, quanto magis superflua contemnere oportet. Lex igitur est, ut alterius non tollas, etsi tuum non das ; gratia autem, ut et alterius non tollas et tuum des. » Secundum *Augustinum,* qui sponte vel convictus pecuniam debitam reddere noluerit, in tantum ut velit litigare, dimittenda illi est ; servum enim Dei non oportet litigare, manente illa regula, ut animo paratus sit amittere quod sibi debetur. Nam si modeste ac leviter omnino egerit ut sibi restituatur, non tam intendens fructum pecuniæ, quam ut hominem corrigat, cui sine dubio perniciosum est habere unde reddat, et non reddere : non solum non peccabit, sed proderit etiam plurimum, ne ille, dum in alia pecunia lucrum facere vult, damnum fidei patiatur. Quod tanto est gravius, ut nulla sit comparatio. Et nota quod repetere sua contingit dupliciter : aut coram judice in fideli, et sic Christiano non licet, et maxime ubi Ecclesia libertatem habet ; aut coram fideli, et hoc dupliciter : aut contentiose et cum fraude, et sic nulli licet ; aut modeste et cum justitia, et sic infirmis et imperfectis licet ; simpliciter vero repetere sine contentione et fraude, non coram judice, omnibus licet. De religiosis vero sua non habentibus, est sciendum quod repetere aliqua contingit dupliciter : aut ut aliqua propter utilitatem propriam, sic perfectis non licet ; aut ut congregationis propter utilitatem communem, sic licet etiam perfectis, qui etsi non habent sua in proprio, tamen habent in communi, et ita nomine communitatis licet repetere. Vel si non habent dominium, nec in communi, nec in proprio, habent tamen res ad usum deputatas. Tamen magis expediret judici secreto significare, quam in judicio repetere.

4 QUID SIT ANGARIA, ET QUO SENSU SUBEUNDA ? — Deinde subjungit : *Et quicunque te angariaverit mille passus, vade cum eo alia duo,* id est patienter feras, si amplius te ire oporteat. *Angaria* dicitur indebiti servitii exigentia in propria persona, vel quæcunque coactio injusta. Unde *angariare* est inique seu injuste aliquo modo trahere, vel personalia obsequia et opera impendere, opprimendo in persona, et gravando. Est ergo sensus : Quicunque te in servitio indebito, sine peccato tamen, coegerit servire ; ad hoc etiam ita debes paratus esse, ut amplius pati velis, quam ille optat inferre. Nam mille passus est iter

Digitized by Google

sabbati, et ideo hoc non est contra sabbatum Legis; sic sustinere injurias in his quæ non sunt contra sabbatum pectoris. Vel in millenario, perfectio spiritualis significatur quæ impletione hujus præcepti ostenditur. Et cum millenarius sit numerus perfectionis, in tribus millenariis, notatur quod in tribus consistit perfectio patientiæ, scilicet: in corpore, et ratione, et voluntate, quod significatur per alia duo millia. Ubi *Chrysostomus*: « Vides superabundantiam philosophiæ, et cumulum sapientiæ. Postquam nimirum dederis maxillam, et tunicam, et vestimentum, etiamsi nudo, inquit, corpori tuo uti voluerit inimicus ad injurias et labores; nec sic quidem illum oportet prohibere. Vult enim omnia nos possidere communiter, et pecunias videlicet et corpora, non cum indigentibus solum, verum etiam cum injuriam facientibus. Unum enim misericordiæ est, alterum patientiæ. » Et iterum: « Ad omne devotionis opus impigros nos esse præcipit Dominus, ac paratos. Bonum enim nostrum vult non tam necessitatis esse, quam propriæ voluntatis; ut dum amplius ex nobis facimus, quam ab aliis postulamur, majoris mercedis gratiam consequamur. Integræ enim charitatis, ac perfectæ devotionis officium est, plus sponte præstare, quam poteris: » hæc *Chrysostomus*. Ubi, secundum *Augustinum*, Christus monet, non tam ut pedibus agas, quam ut animo sis paratus. Non solum ergo tua, ut devites altercationem, sed et te ipsum præbe angarianti; non tam opere et pedibus, quam animo et compassionis affectu paratus multo plus servire quam præcepit. Totum enim quod dictum est, intelligendum secundum præparationem animi in casu consimili, non autem in casu, in quo ex tali permissione nutriretur percutiens, aut rapiens, vel angarians, seu alias offendens in sua malitia et iniquitate. Imo in tali casu sustinere non esset bonum, nisi propter scandalum, vel aliquod majus malum evitandum. Nam, testante *Augustino*, cui licentia iniquitatis eripitur, utiliter vincitur: quoniam nihil est infelicius infelicitate peccantium, qua pœnalis nutritur impunitas; et mala voluntas, velut hostis interior, roboratur.

5 Injuriæ condonandæ nullum genus in Evangelio prætermissum. — Ut autem dicit idem *Augustinus*, in his trium exemplorum nullius genus injuriæ est prætermissum. Nam omnia in quibus improbitatem aliquam patimur, in duo genera dividuntur, quorum alterum est quod restitui non potest; in quo vindictæ solatium tumidus animus quærere solet, qui talia fomenta desiderat, sed sanus et firmus misericorditer perferendam alterius infirmitatem judicat, neque hic vindicta ad correctionem prohibetur, ut etiam supra dicitur. Alterum injuriarum genus est, quod in integrum restitui potest; cujus sunt duæ species: una ad pecuniam, altera ad operam pertinet. Exemplum primi, de percussa maxilla; secundi, de tunica et vestimento; tertii, de angaria passuum. Quia quod in corpore læsum est, non restituitur in integrum; et reddi vestimentum potest; et adjuvari opera potest, si opus fuerit. In his ergo omnibus generibus injuriarum Dominus docet patientissimum et misericordissimum, et ad plura perferenda paratissimum animum Christianorum esse oportere, propter spem retributionis æternæ.

6 Largitas petenti exhibenda. — Sed quoniam parum est non nocere, nisi etiam præstet beneficium quantum poterit, consequenter adjungit Dominus, et dicit: *Omni petenti*

Digitized by Google

te tribue, quasi diceret : Ita debes esse patiens in adversis propriis, sed et compatiens alienis. Non dicit quid tribuendum, quia non semper res est danda; semper tamen dandum est, saltem bonum responsum. Qui ergo in necessitate sua petit a te rem corporalem vel spiritualem, da ei donum, vel verbum. Si enim rationabiliter petit, tribuendum est donum quod petit, vel de præcepto cum in extrema necessitate positus omnino indiget, dareque possis, vel de consilio, cum petens aliter transire potest; et hæc est eleemosyna corporalis. Et si deest tibi facultas, da affectum et bonam voluntatem, bonum responsum et orationem. Si autem irrationabiliter petit, dandum est verbum, docendo eum de irrationabilitate suæ petitionis, et de causa justæ negationis, ut non eum inanem dimittas; et hæc doctrina est pars et opus justitiæ, et eleemosyna spiritualis. Et si iste non accipit id quod petit, melius tamen scilicet correctionem, accipit. Ita, *omni petenti te dabis,* quamvis non semper id quod petit, dabis. Unde, *omni petenti,* inquit, non omnia petenti; ut des quod dare honeste et juste potes. Ubi *Ambrosius* : « Non minus est criminis habenti tollere, quam cum possis et abundans sis, indigentibus denegare. Et esurientis panis est, quem tu detines; viduarum indumentum est, quod tu recludis; miserorum redemptio et absolutio est, pecunia quam tu in terra fodis. Tot ergo bona scias te invadere, quot bona posses præstare. » Quia, ut dicit *Chrysostomus,* divitiæ nostræ non sunt, sed Dei; omnes enim dispensatores divitiarum suarum nos voluit esse, non dominos. Da ergo et tribue, non vende. Vendit, qui multas preces exspectat; vendit, qui beneficium procrastinat; vendit, qui pauperi improperat; vendit, qui tristi vultu donat; vendit, qui vicissitudinem exspectat. Pauper tamen et nihil habens non tenetur ad donum muneris a manu ; sed ad donum compassionis a corde, consolationis in ore, subventionis in opere tenetur pro loco et tempore. Unde *Glossa :* « Si deest facultas, da obsequium, vel affectum, vel verbum. Hæc sunt illa quatuor quæ obtulit Magdalena Christo, scilicet : lacrymas compassionis, capillos subventionis, osculum obsecutionis, unguentum consolationis. »

7 MUTUUMQUE NON NEGANDUM. — Et eodem modo intelligendum est quod subditur : *Et volenti mutuari,* id est mutuum accipere a te, *ne avertaris ab eo,* scilicet non mutuando, vel mutuum differendo, vel diminuendo. Mutua sibi, si petit rationabiliter ; vel rationem redde, si petit irrationabiliter. Da mutuum hilariter : *Hilarem enim datorem diligit Deus,* et ex charitate pura, nihil unde sperans, vel recipiens ultra sortem, nec servitium nec quodcunque commodum ; ita quod propter istam spem, non debet mutuum fieri, licet a Deo possit inde merces sperari. A misericordia te non avertas, nec in homine spem mercedis figas, sed in Deo, qui cum multo fœnore tibi reddet, quod illo jubente facis. Unde *Augustinus :* « Nec propterea voluntatem alienes ab eo qui petit, quasi nihil recepturus a Deo, cum rem quæ datur mutuo, ille qui accepit exsolvat, quia cum id ex præcepto Dei facis, apud illum qui hæc jubet, infructuosum esse non potest : » hæc *Augustinus.* Dicens ergo : *Omni petenti, tribue,... et volenti mutuari, ne avertaris ab eo,* duo genera beneficii complectitur : vel cum benevole damus, vel cum reddituro commodamus; et ad utraque parati esse debemus. In utroque enim genere eleemosynæ, dato scilicet et mutuo,

Digitized by Google

tenemur omni petenti egenti subvenire, etiam inimico, si perfecti sumus; si imperfecti, non nisi in summa necessitate esse viderimus. Unde *Chrysostomus :* « Si misericordiam postulamur, quod possumus, largiamur, ut ipsi id quod a Deo petimus, præcedente merito, facilius impetrare possimus. Verum si eos qui nos petunt despiciamus, qua fiducia Deum nobis, quod petimus, præstare credimus? Jubemur enim per omnia, religionem pietatis ac fidei custodire, ut necessitatem tribulationis alterius, quasi propriam, computemus; nec pluris facultatem, quam fratrem faciamus, exspectantes mercedem retributionis æternæ : » hæc *Chrysostomus*. Et non solum de eleemosynis hoc intelligendum est, sed et pecunia quæ nunquam deficit, id est de sapientia et doctrina, quæ non est petenti deneganda; quoniam avarum dedignatur possessorem, et in alios translata crescit, et magis ditat auctorem. Ergo petenti eam, pro Deo distribuas, et volenti eam mutuari a te, ut alios doceat, ne avertaris; quia quod alios præter te docebit, tibi redd*e*tur a Deo cum fœnore multo. Utraque ergo pecunia, scilicet corporalis et spiritualis, est commodanda, sed materialis sine usura, spiritualis cum usura. Deinde sequitur : *Et qui aufert tibi quæ tua sunt,* sive pecuniam, sive rem aliam, *ne repetas,* scilicet in judicio, ac cum lite et contentione. Non enim licet alicui rem in judicio repetere, turbato animo, et ex ira et commotione, ac per inordinatum affectum vindictæ potius quam ad emendationem delinquentis; vel ex avaritia, qua magis vult cum jactura proximi bene se habere.

8 Dilectio inimicorum commendatur. — Et quia docuit Dominus injuriam inferentibus non esse resistendum, sed plura perferenda esse paratum, consequenter docet injuriam inferentibus, impendendum esse charitatis affectum simul et effectum. Quia enim opera justitiæ infructuosa sunt sine charitate, ideo addit de charitatis perfectione, et dat intellectum præcepti de dilectione proximi, in quo errabant Judæi. Ex hoc enim quod præceptum est in Lege, diliges proximum tuum sicut teipsum; et quod iterum ibidem dicitur : *Diliges amicum tuum,* arguebant a contrario sensu, quod debebant odire inimicum; sed hoc est falsum, quia omnis homo ex charitate diligendus est, in quantum ad imaginem Dei est, et capax ipsius, per cognitionem et amorem. Dicit ergo : *Audistis quia dictum est in Lege : Diliges proximum tuum,* et affectu sic ligat omnes, et effectu sic ligat perfectos pro loco et tempore : *et odio habebis inimicum tuum;* hoc autem ultimum non est scriptum in Lege, sed est traditio Scribarum, qui hoc addebant, et ex aliis scriptis ibidem, ut dictum est, colligebant. Vel si alicubi scriptum dicatur, tunc, secundum *Augustinum,* non vox jubentis justo accipienda est, sed permittentis infirmo. *Ego autem dico vobis : Diligite,* scilicet affectu, *inimicos vestros,* homines scilicet, non vitia; naturam, non culpam. Quia, secundum *Augustinum,* sic diligendi sunt homines, ut eorum non diligantur errores. Diligere debemus inimicos, bona gratiæ et gloriæ eis optando, quibus homo non potest uti male; alia vero bona, scilicet naturæ, vel fortunæ, non sunt eis optanda, nisi quadam generalitate, in quantum valent ad salutem eorum, quod soli Deo est notum; quia talibus bonis potest homo bene uti vel male, et ideo circa hæc non est aliquid petendum determinate. Et nota quod diligere amicum est magis debitum, et non excludit Dominus a dilectione ami-

Digitized by Google

corum mercedem, sed innuit minorem, quia ceteris paribus, dilectio inimicorum est magis meritoria, quam amicorum, quia difficilior et cum majori conatu bonæ voluntatis; quia purior, et ex motu gratiæ, non naturæ inclinantis; quia liberalior, non ex debito meriti præcedentis.

9 NON SUFFICIT DILECTIO CORDIS, NECESSARIA EST INSUPER OPERIS EXHIBITIO. — Et quia non sufficit diligere corde, nisi dilectio probetur operis exhibitione, ad minus loco et tempore, subdit : *Benefacite,* scilicet effectu, *his qui oderunt vos* in his quæ spectant ad eorum salutem, eam modo debito et possibili procurando, quia benefacere est dilectionis effectus et exhibitio. Et ideo, sicut tenemur diligere inimicos, quantum ad bona gratiæ et gloriæ, ita tenemur in effectu salutem eorum procurare. Inimicus ergo, quoad naturam, qua est proximus, de necessitate præcepti, est generali dilectione diligendus, qua dicitur : *Diliges proximum tuum*, sed dilectione speciali, ut specialiter quis moveatur ad diligendum inimicum non est præcepti, sed perfectionis. Non enim est præceptum ad omnes specialiter affici, quia nec hoc est possibile; et ideo nec est præceptum specialiter affici ad inimicum, sed generaliter in quantum est homo proximus. Et quia exteriora beneficia proportionantur interiori dilectioni, signa generalis dilectionis, ut aliquod bonum facere toti communitati, vel orare pro toto populo in communi, ista exhibere inimicis, cum ab his quæ sunt generaliter exhibenda non debeant excludi, est de necessitate præcepti; quia si ab his intenderet homo eos excludere, jam generaliter dilectio non ferretur, imo magis odium ostenderetur. Et quia ex tempore extremæ necessitatis obligatur homo omni homini in tali necessitate existenti : ideo etiam inimico, nisi ex hoc deterior fieret, et fidem impugnaret, debet in tali necessitate beneficium exhiberi. Beneficia vero, quæ sunt signa dilectionis specialis, non tenetur inimico exhibere, extra casum necessitatis; sed hoc est perfectionis. Dilectio ergo, alia interior, alia exterior. Dilectione interiori, et perfectione sufficientiæ, quilibet etiam imperfectus tenetur quemlibet etiam inimicum diligere; dilectione autem exteriori, id est beneficii exhibitione et perfectione supererogationis, tenetur tantum perfectus hoc facere. Imperfectus enim tenetur inimico rancorem odii dimittere, et bonum optare, sive petierit veniam, sive non; et si petierit veniam, tenetur ei colloqui, et dicere : Ave; sed non tenetur beneficia temporalia ministrare. Perfectus autem tenetur etiam præsidia temporalia conferre, et necessaria ministrare, sive ab eo veniam petierit, sive non. Quia si inimicum a communione nostra separemus, eo ipso ei benefacimus, dum illud hoc fine faciamus, ut eum ab errore revocemus. Unde *Glossa* : « Benefacite ministrando cibum mentis, id est, instructionem vel correctionem corporis, omnia enim in Ecclesia, etiam excommunicatio, eo spectant, ut fratres et amici fiant. » Et quia est quoddam beneficium ad salutem pertinens, quod a quolibet quantumcunque paupere potest exhiberi, scilicet orare pro animarum salute, ideo subjungit : *Benedicite,* scilicet bona gratiæ et gloriæ imprecando *maledicentibus vobis,* retro detrahendo, vel aperte blasphemando; *et orate,* dicta bona optando, et Deum deprecando, *pro persequentibus et calumniantibus vos,* falsum crimen vobis imponendo. Hujus exemplum dedit Dominus

Digitized by Google

in cruce suspensus, et Stephanus lapidatus, et David a Semei maledictus. Ubi nota quod triplex est injuria, scilicet : cordis, quæ rancor vel odium dicitur; oris, quæ detractio vel maledictio; operis, scilicet læsio manualis. His igitur generibus tria Dominus apponit remedia, contra primum : *Diligite inimicos vestros;* contra secundum : *Benedicite maledicentibus vobis, et orate pro persequentibus et calumniantibus vos;* contra tertium : *Benefacite his qui oderunt vos.* Unde *Glossa :* « Contra Ecclesiam tribus modis pugnatur, odio, verbis, et cruciatu corporis; e contra Ecclesia diligit, orat, et benefacit. Si ergo volumus esse perfecti, debemus injuriantibus nobis beneficium dare cordis, ipsos diligendo; beneficium oris, pro eis orando; et beneficium operis, ipsis benefaciendo. »

10 Exemplum sumendum a Patre cœlesti pluente super justos et injustos. — Et quia magnum dedit præceptum, præclarum subdit præmium. Ita, inquit, diligite, benefacite, orate pro inimicis vestris, *ut sitis filii Patris vestri* altissimi, *qui in cœlis est.* Filii, inquam, per bonitatis imitationem, per gratiæ adoptionem, per educationem, per hereditatis adoptionem. Ut sicut estis filii Dei per naturam et creationem, sic etiam sitis filii ejus per gratiam et imitationem, in eo quod est ei proprium : nam *proprium est ei misereri,* et esse beneficum. Unde *Beda :* « Nulla major potest esse merces, quam filios hominum terrigenas, effici filios Altissimi, *qui in cœlis est.* Nos enim potestate accepta efficimur filii Dei, in quantum ea quæ ab eo præcipiuntur, implemus. » Et subjungit : « *Qui solem suum facit oriri super bonos et malos, et pluit super justos et injustos,* ac gratos et ingratos; et non solum amicis, sed etiam inimicis benefacit. Sic enim inimicos nutrit ut amicos, ac hos et illos sui solis splendore illuminat, et suarum pluviarum inundatione fecundat, et beneficia communia non subtrahit, etiam malis hominibus, qui tamen ei in quantum in eis est inimicantur; sed pro sua misericordia indiscrete omnibus vitæ præsentis beneficia largitur. » Ubi *Hieronymus :* « Noli negare quod Deus nulli negat, quamvis sit blasphemus et impius. Sine distinctione omnibus tribuamus non quærentes cui, sed quare demus. » Ut autem dictum est supra, orare generaliter pro inimicis, et eis benedicere, pro quanto in generalitate populi includuntur, est præceptum, sicut quod in generali dilectione diligantur; sed in speciali ista facere, non est præceptum, sed perfectionis. Et sciendum quod *Chrysostomus* ponit novem gradus, secundum accessum ad perfectionem mandati hujus. Unde ait : « Vidisti nempe quantis ad perfectionem gradibus ascendit, et quemadmodum nos in ipsum veritatis cacumen statuit et paulatim in ipsum cœlum reducit : primus igitur gradus est, nequaquam ad lædendum priorem venire; secundus, ut non amplius referat, quam quod a lædente sustinuit; tertius, ne læsus faciat illa quæ passus est, sed quiescat; quartus, ut etiam præbeat seipsum ad injuriam sustinendam; quintus, ut etiam ad majora se præbeat, quam vult esse qui fecit; sextus, non odisse eum a quo ista perpetitur; septimus, etiam diligere lædentem; octavus, beneficiis eum libenter afficere; nonus, etiam Deum pro adversario deprecari. » Perspexisti celsitudinem Philosophiæ, et idcirco tam claro digna est præmio, quia tam magno est subjecta præcepto. Nam et præmium illi tale proponit, quale priorum omnino nulli; ut scilicet fie-

Digitized by Google

rent similes Dei, prout tamen hominibus id esse possibile est. Igitur benefaciendum est omnibus, quia, ut dicit *Seneca*, nemo non cum alteri prodest, sibi profuit. Quia vero perfectio dilectionis, ultra dilectionem inimicorum, non potest procedere, ideo postquam præcepit inimicos diligere, consequenter subjungit : *Estote ergo vos perfecti, sicut et Pater vester cœlestis perfectus est*, quæ est lex amoris conservando, ut quæratis etiam inimicis prodesse; quod Deum facere manifestum est, qui beneficia largitur etiam malis hominibus; sic quod propter eorum malitiam, non deserit beneficentiam circa ipsos, ita nec vos circa inimicos. Nam, secundum *Chrysostomum*, sicut filii carnales similantur patribus, in aliquo corporis signo, ita filii spirituales, Deo in sanctitate; et nihil nos Deo ita assimilat, sicut injusta facientibus ignoscere, et pro eis orare.

11 CHRISTIANI IN DILECTIONE PUBLICANIS ET ETHNICIS PRÆSTARE DEBENT. — Et arguit hoc exemplo publicanorum et infidelium, qui suos amicos diligunt et eis benefaciunt. Si ergo supra ipsos mercedem beatitudinis volumus habere, debemus plus propter Deum facere, dilectionem etiam ad inimicos extendendo. *Si enim diligitis*, inquit, *tantum eos qui vos diligunt; quam mercedem habebitis*, hac scilicet de causa a Deo in æterna vita? Quasi diceret : Nullam. De his enim dici potest : *Receperunt mercedem suam.* Talis namque dilectio est naturalis, et non procedit de charitate, quæ se extendit ad omnes homines, et ideo non est meritoria. Sed tamen hæc oportet facere, et illa non omittere. Diligere enim diligentes est naturæ; diligere non diligentes est gratiæ; non diligere diligentes est perversitatis maximæ; non diligere non diligentes est imperfectionis humanæ. *Et si salutaveritis fratres vestros tantum*, qui aliqua affinitate juncti sunt vobis, id est salutem eis optaveritis, ac charitatis et dilectionis affectum eis ostenderitis, *quid amplius*, scilicet quantum ad perfectionem *facitis*? Subdit autem : *Et si benefeceritis tantum, his qui vobis benefaciunt*, quod est debiti naturalis, ex accepto beneficio *quæ vobis est gratia*, id est quod meritum gratiæ apud Deum? Quasi diceret : Nullum. *Nonne et Publicani et Ethnici*, id est peccatores et Gentiles, *hoc faciunt*? Publicani, qui publica vectigalia exigunt, a Publio rege Romanorum nomen traxisse dicuntur; Ethnici vero, ab ἔθνος Græce, quod *gens* Latine est, vocantur, qui tales sunt ut fuerunt geniti, scilicet sub peccato. *Et si mutuum dederitis his a quibus speratis recipere, quæ gratia vobis*, scilicet apud Deum? Quasi diceret : Nulla. Nam, ut dicit *Glossa*, ex hoc solo quod speratis recipere, non pro Deo datis. Unde de talibus dici potest : *Receperunt mercedem suam*, quia spe retributionis humanæ mutuant. *Nam et peccatores*, qui gratiam Dei non habent, *peccatoribus fenerantur*, id est mutuum dant, *ut æqualia*, non ultra sortem *recipiant*. Ex quo patet, quod plus quam peccatores sunt qui mutuant, ut cum usura recipiant. Quasi diceret, secundum *Bedam* : Si tales inter se, natura duce, norunt esse benefici, quanto vobis gradus professionis eximior necesse est, ut cura virtutis sit uberior, quatenus etiam non amantes charitatis sinu amplectamini? Unde *Chrysostomus* : « Quoniam igitur digni supplicio sumus, qui cum ad similitudinem Dei vitam nostram informare jubemur, forsitan ne Gentilibus quidem invenimur æquales. » Et iterum : « Sed si nos in his nec

Digitized by Google

Publicanis, nec Gentilibus, meliores efficimur; nonne lugendi et plangendi sumus? Quinimo in tantum longe sumus a diligendis inimicis, ut nec amicis quidem charitatis vicem reddamus, sed e contrario odio habeamus etiam diligentes; in quo non solum Gentilibus et Publicanis nequaquam differimus, sed multo etiam inferiores existimus. Christus etiam non solum vult nos ignoscere delinquentibus; sed ut etiam amemus eos, et oremus pro ipsis. Nam si tantummodo non lædas eum qui te læsit, avertis te tamen ab eo, nec libenter eum videas; manet sine dubio vulnus in pectore, dolor augescit in corde. Numquid tu ita vis tibi propitium fieri Deum; ut non te quidem lædat, avertat se tamen abs te, et peccatorum tuorum memoriam teneat, et videre te nolit? Igitur qualem vis erga te esse Deum cum delictorum veniam poscis, talem te exhibere debes his qui deliquerunt in te: » hæc *Chrysostomus*.

12 DIFFERENTIA INTER AMOREM QUI PROCEDIT A NATURA, ET AMOREM QUI NASCITUR EX GRATIA. — Intellige quod quando ista fiunt ex naturali affectione, quæ potest procedere ex causa utili aut delectabili, et ex causa honesti, et per habitum moralis amicitiæ, sic non sunt meritoria vitæ æternæ. Sed quando ista procedunt ex habitu charitatis, tunc sunt meritoria, ac principium et ratio merendi ad Deum, quæ sola dividit inter filios regni et perditionis. Diligere enim propter amorem reciprocum naturæ est debitum; diligere propter beneficium acceptum, vel speratum, est mercenarium; diligere propter mutuæ familiaritatis oblectamentum est malum; diligere propter peccati consensum est malignum; diligere propter opus bonum est gratuitum. Qui enim diligit proximum, aut quia bonus est, aut ut bonus sit, aut quia ejusdem corporis membra, et ejusdem Patris filii sumus, vere diligere dicitur. Talis enim amor spiritualis est, et ideo indeficiens; carnalis enim amor cito dilabibitur, sicut et ipsa caro; quali videlicet amore Publicani et Ethnici se invicem diligunt, in quibus est natura sine gratia, et tantum diligentes se diligunt; statim enim ut se ab aliis non diligi intelligunt, ipsi quoque alios non diligunt. Nos ergo omnes diligere, omnium salutem quærere, omnibus benefacere, et charitatis affectum ostendere debemus, non quærentes cui, sed quare ista faciamus. Sic enim augetur amor et concordia crescit. Ista itaque debent fieri, non in spe retributionis humanæ, sed divinæ. Sicut enim Deus est omnis boni principium, sic vult esse et finis. *Ego sum,* inquit, *alpha et omega, principium et finis*. Unde *Augustinus:* « Qui amicum propter commodum quodlibet amat, non amicum convincitur amare, sed commodum. Et ideo Deus, quo nihil est majus aut melius, propter quod diligatur, propter se ipsum perfecte diligitur. Si vero saltem propter illa quæ præstat, amatur, non utique gratis amatur, quia jam illud propter quod diligitur ei, quod dictu quoque nefas est, antefertur. » Et iterum: « Gratis Deus ametur, ut operis quo illi ministratur, pretium sit esse cum illo. Nihil enim debemus pro amore Jesu quærere, nisi ejus suavem præsentiam: » hæc *Augustinus*. Unde *Bernardus:* « Non sine præmio diligitur Deus, etsi absque præmii intuitu sit diligendus; verus amator præmium non quærit, sed meretur: » hæc *Bernardus*.

13 EXHORTATIO AD CHARITATEM. — Amemus ergo adversarios nostros et nihilominus se ei beneficia præstemus, ut simus *perfecti,* pro-

Digitized by Google

modulo nostro, perfectione gratiæ, *sicut et Pater* noster *cœlestis perfectus est,* perfectione naturæ : quoniam perfectus Dominus, bonos et perfectos vult habere fideles. Simus interim perfecti, saltem perfectione sufficientiæ, quæ est in Dei et proximi charitate, et nitamur ad cumulum perfectionis supererogationis, quæ est diligere inimicos et orare pro eis, sicut fecit Christus. Unde *Chrysostomus :* « Non tantum lædimur ab iniquis, quando nocemur ab ipsis, quantum cum per malitiam eorum, constantia bonitatis, a suo proposito victa recesserit. Ne igitur odio habeas facientem tibi mala, et ne maledicas vexanti, sed magis ama, quasi multorum tibi conciliatorem bonorum, teque ad amplissimum honorem lædendo ducentem. Alioquin et laborem sustinuisti, fructu autem privatus es, et jacturam quidem feres, mercedem autem perdes; quod certe extremæ omnino dementiæ est, ut aliqui cum majora perpessi sunt, nequaquam minora sustineant. Et quemadmodum, inquies, fieri ista possibile est? Vidisti Deum hominem factum; et eousque pro tua descendentem salute, tantaque propter te esse perpessum; et adhuc inquiris aut dubitas, quemadmodum possibile sit injurias donare conservis? Sed tu plurimum læsus es! Quid verum tale perpessus es, quale tuus, imo omnium Dominus? Sin autem omnino nimis læsus es, idcirco maxime beneficium refer nocenti; ut et tibi ipsi clariorem facias coronam, et fratrem a periculo gravissimi languoris absolvas : » hæc *Chrysostomus.*

ORATIO

Domine Jesu Christe, mitissime et totius humilitatis et patientiæ magister, da mihi, servorum ultimo et simplici, ut me humilem et aliis inferiorem constituens ab omnibus contemni cupiam, et conculcari, injuriamque in corpore vel rebus patienter sustinens, animum paratum ad plura sustinenda habeam, ac omni petenti in corporalibus pro posse subveniam. Concede etiam, ut non solum amicos sed et inimicos me corde, ore, vel opere, persequentes e contra valeam diligere, eisque benefacere et benedicere, ac pro eis orare, ut inter filios et electos tuos merear tua gratia numerari. Amen.

CAPUT XXXVI

Sermonis in monte continuatio : De laude humana in bonis operibus non quærenda.

Matthæi cap. 6.

1 MERCES BONORUM OPERUM UNDE PETENDA? — Post hæc magnæ perfectionis verba docet, ne de bonis operibus inaniter glorientur; quia valde difficile est, ut in eis vana gloria totaliter evitetur. Unde ait : *Attendite,* id est diligenter considerate, et attenti ac cauti estote

Digitized by Google

scilicet contra insidias superbiæ; quia etiam bonis operibus insidiatur, ut faciat ea perire, *ne justitiam vestram,* id est opera justitiæ, scilicet opera bona de genere, quæcunque fuerint illa, quia omnia continentur sub nomine justitiæ generaliter dictæ, *faciatis coram hominibus,* eo scilicet fine, *ut videamini ab eis,* id est propter laudem humanam et favorem mundi, non propter gloriam Dei, nec propter ædificationem proximi; *alioquin mercedem non habebitis apud Deum,* cujus amore ea non fecistis. Ille enim debet mercedem dare, cujus mandato vel amore movetur operarius. Nisi ergo Deus singulariter sit in causa, non operis mercedem, sed fallaciæ supplicium apud Deum habebunt; quia hic ab humano ore mercedem, scilicet levem auram favoris recipere voluerunt. Ab his tamen duntaxat acceperunt, a quibus eam concupierunt. Ex quo enim intentio fertur ad homines tantum, non est aliquid a Deo juste exspectandum, quia non virtus sed causa virtutis, mercedem habet apud Deum. Hoc igitur deputatur eis pro mercede, cujus amore fecerunt, scilicet laus humana, quam quæsierunt. Et non solum vera mercede, ob pravam intentionem evacuantur, sed et nihilominus pro inani gloria, quæ sive præcedat opus, sive sequatur, semper mortale peccatum est, pœnam æternam merentur. Minuitur etiam probitas conscientiæ, ex famæ mercede. Unde *Boetius:* « Minuit se probitatis conscientiæ secretum, quoties ostendendo quis fructum recipit famæ pretium. » Et ideo, ut idem *Boetius* dicit : « Sapiens bonum suum, non populari rumore, sed conscientiæ veritate, metitur. » Et considera quod, ut ait *Chrysostomus,* non solum non ostendi jubet, sed et studere latere. Neque enim est æquale non studere apparere, et studere latere. Per hoc tamen non prohibentur opera bona fieri coram hominibus, ad Dei gloriam et proximi ædificationem, quia hoc est bonum et meritorium apud Deum. Sed, ut dicit *Gregorius,* valde perfectorum est, sic ostenso opere, gloriam Auctoris quærere, ut de illata laude nesciat privata exsultatione gaudere; quoniam infirmi, quia perfecte contemnendo non superant, restat necesse est, ut bonum quod operantur, abscondant.

2 TRIPLICIS GENERIS SUNT OPERA BONA. — Deinde postquam generaliter justitiam nominavit, nunc consequenter per partes exsequitur, et specialiter prohibet in eleemosyna, et oratione, ac jejunio, vanam gloriam quæri, quia hæc tria præcipue consuevit inanis gloria comitari. Hæc sunt tria satisfactionis opera, scilicet eleemosyna contra peccatum in proximum, oratio contra peccatum in Deum, jejunium contra peccatum in semetipsum. Hæc etiam tria valent contra tres radices peccatorum, scilicet contra tria mala quæ in mundo sunt : eleemosyna enim est justitia, contra concupiscentiam oculorum; oratio, contra superbiam vitæ; jejunium, contra concupiscentiam carnis.

3 DE ELEEMOSYNA ET QUOMODO FACIENDA. — Ait ergo : *Cum facis eleemosynam,* corporalem scilicet vel spiritualem, *noli tuba canere ante te, sicut faciunt hypocritæ,* id est noli eam facere in manifestatione, et velle innotescere, ut glorieris in laude tua, sicut ille apertum dat signum, qui canit tuba. Non est ingrata Deo eleemosyna quæ videtur, sed quæ ideo fit ut videatur. Et quia tales principaliter intendunt honorem vanum et transitorium, ideo amittunt verum et æternum. Unde sequitur : *Amen dico vobis, receperunt mercedem suam,* scilicet gloriam humanam,

Digitized by Google

quam quærebant pro dono eleemosynæ; sed pœna exspectatur, pro mala intentione. Ita ergo faciunt hypocritæ. *Te autem faciente eleemosynam,* quod est opus de genere bonorum, *nesciat sinistra tua,* et intentio perversa, *quid faciat dextera tua,* et intentio sancta. Sinistra est appetitio et delectatio laudis humanæ, vel commodi terreni; dextera autem intentio implendi præcepta divina, seu amor Dei et cœlestis præmii. Est ergo sensus : non se immisceat intentio alicujus pravitatis, dum præcepta Dei implere satagis. Et exponit quod dixit, *nesciat;* illud enim nescitur, quod in abscondito est, et ideo dicit : *Ut sit eleemosyna tua in abscondito,* sit scilicet secundum rationem intentionis, etsi non secundum rationem operationis; *sit in abscondito* et secreto mentis, id est in ipsa bona conscientia, quæ humanis demonstrari non potest oculis. Sufficit tibi ad promerendum præmium, qui solus conscientiæ inspector est. Et hoc est quod subditur : *Et Pater tuus,* scilicet Deus, qui est Pater omnium per creationem, et justorum per gratiæ adoptionem, *qui videt in abscondito,* quia ipse solus videt intentionem cordium, *reddet tibi,* quia retribuet bonis, secundum intentionem cordis hominibus absconditam et occultam, etsi non in præsenti, tamen in futuro. Non ergo si hæc sciant homines, formidandum est, sed si hoc animo fiant, ut fructus placendi hominibus in eis exspectetur, et laus humana admisceatur. In omni enim opere nostro, nescit sinistra quid facit dextera, si non amore laudis humanæ, sed Dei amore et justitiæ id agamus. Et ideo sive in synagogis, sive in vicis et plateis eleemosynam, vel aliud opus bonum quis faciat, in abscondito tamen facit, quicunque hoc faciens, non ab hominibus, sed a Deo, videri desiderat. E contra vero, qui in abscondito eleemosynam facit, et videri cupiens laudem ex hac et gloriam quærit, non in abscondito quidem facit, quoniam absconditum non vult esse quod facit; tantumque ei valet, ac si in publico fieret. Unde *Chrysostomus :* « Potest enim aliquis coram hominibus eleemosynam facere, nec tamen ad hoc facere, ut eam hominum oculis ostendet; et aliquis non coram hominibus faciens, eo tamen animo facere, ut se id facientem optet videri. Propter quod non factum ipsum, sed voluntatem, aut coronat, aut punit; nec fini operis, sed voluntati operantis, mercedem damnumve decernit. Non igitur tantummodo dedisse eleemosynam, sed quemadmodum oportet dedisse, virtutis est : » hæc *Chrysostomus.*

4 De oratione et orandi modo. — Similiter in oratione, docet nos fugere vanam gloriam, ut non ores in publico, ad manifestationem, ut videaris ab hominibus, sicut faciunt hypocritæ, qui, ut dicit *Chrysostomus,* non intendunt exaudiri, sed videri. Et quia intentionem habent perversam, ideo damnosam subdit sequelam *quia receperunt mercecedem suam,* scilicet laudem transitoriam, sed tandem recipient pœnam æternam. Argumentum habes ex hoc, quod cum vana gloria sit mortale peccatum, ideo omne opus ex vana gloria factum est mortale reputandum, quia pro eo pœna infligitur æterna. Ita ergo faciunt hypocritæ. *Tu autem cum oraveris, intra in cubiculum tuum,* id est in locum secretum, *et clauso ostio,* ne veniat multitudo impediens elevationem mentis, et avertens te a proposito, *ora Patrem tuum,* cœlestem, *in abscondito.* Et est sensus secundum *Remigium :* Sufficiat tibi ut ille solus noverit tuam orationem, qui omnium corda novit occulta,

Digitized by Google

quia ipse qui est inspector, erit exauditor. *Et Pater tuus,* cujus honorem debes intendere, *qui videt in abscondito, reddet tibi* fructum orationis in aperto. Unde *Chrysostomus :* « Qui sic orat secreto, ut ab hominibus absconse orare videatur, non Deum aspicit, sed homines. Et ideo quantum ad propositum suum in Synagogis orat, ac etiam sic dupliciter laudatur, et quia orat, et quia absconse orat. Cujus autem orantis mens solum aspicit Deum, quamvis in Synanoga oret, tamen apud se, in secreto videtur orare. Orans ergo nihil novum faciat, quod aspiciant homines, vel clamando, vel pectus percutiendo, vel manus expandendo : » hæc *Chrysostomus.* Ubi sciendum quod duplex est oratio. Quædam publica, quæ fit a ministris Ecclesiæ, et ista non debet fieri in occulto, sed magis in publico, et in Ecclesia coram populo, quia pro tota offertur communitate, et populus in hoc conformare se debet ministris Ecclesiæ, ipsum Deum deprecando, secundum modum congruum et sibi possibilem. Alia est oratio privata, et talis magis debet fieri in secreto, duplici de causa : una est, quia oratio est elevatio mentis in Deum, mens autem citius et melius elevatur in Deum, quando homo est in secreto loco et a tumultu separatus; alia est ad evitationem vanæ gloriæ, quæ de facili insurgit in publico. Orare itaque volentibus salubre dat Christus consilium, ut intrent in cubiculum, scilicet cordis secretum et claudant ostium, scilicet carnales sensus, per quos exteriora improbe se ingerunt, et turbæ phantasmatum orantibus obstrepunt; ut sic etiam clauso ostio mentis, et collectis animæ viribus, oratio spiritualis fiat in intimis cordis, et inde dirigatur ad Deum ferventius, ubi oratur Pater in abscondito; quia absconditum et cubiculum est secreta cordis intentio. Quantum enim homo contemnit quod est extra se, tantum potest se recolligere intra se; et quantum se recolligit intra se, tantum potest supra se ad orationem et Dei contemplationem ascendere. Deinde circa orationem, excludit Gentilium errorem, dicens : *Orantes autem nolite multum loqui, sicut faciunt Ethnici, qui putant in multiloquio,* et altiloquio, ac suaviloquio, *suo exaudiri ;* et quod ipsi ita verbis flectere queant Deum, sicut orator judicem. *Scit enim Pater vester cœlestis, quid opus sit vobis, antequam petatis eum,* quia audit præparationem cordis singulorum. Hoc addit ad excludendum istorum Gentilium falsum intellectum, secundum quem aliquid Deo notificatur de novo, quia omnia scit ab æterno. Non prohibet Dominus in oratione multiplicationem verborum, simpliciter et absolute, quia et ipse pernoctavit in oratione, et *factus in agonia prolixius orabat ;* sed prohibet ne multiloquio utamur in oratione, eo fine et ea intentione, quibus utebantur Gentiles idololatræ, qui triplici de causa utebantur vocali oratione in multiloquio facta. Prima, quia orabant dæmones, qui nescirent quid illi peterent, nisi verbis et signo exteriori instructi essent; secreta enim cordis humani penetrare non valent. — Secunda, quia putabant dæmonibus, quasi hominibus, verbis persuasibilius et multis persuadendum esse, et sic eos ad miserandum provocari. — Tertia, quia dæmones, quos orabant, quandoque absentes esse putabant, et quod per talem orationem revocari possent. Ista sunt mala, et ideo ab oratione fidelium removenda. Similiter autem triplex est causa, quare nos utamur vocali oratione. — Prima, ut obsequium

Digitized by Google

oris, sicut et cordis et operis Deo impendamus : triplex enim sacrificium Deo debemus, scilicet sacrificium cordis, oris, et operis. — Secunda, ut ad memoriam revocemus quod petere debemus, et ut ipsa vocalis oratio pigritiam nostram excitet, quia si homo semper in silentio oraret, de facili obdormiret, oblitus quid peteret.— Tertia, ut vocali oratione proximus instruatur, et ad consimile opus invitetur. Vult autem Deus ut oremus, ne quod ab eo nobis datur, vile habeamus ; sed eo ipso amplius eum adoremus, desideremus et ita amplius mereamur. Nec ad eum orantes frustra scienti loquimur, quia, secundum *Hieronymum,* non narratores, sed rogatores sumus : aliud est enim narrare ignoranti, aliud petere scienti. Unde et *Chrysostomus* dicit, quod oportet orare, ut scilicet Deum non doceas, sed inflectas, ut familiaris efficiaris interpellationis frequentia, ut humilieris orando, utque peccatorum tuorum recorderis. Et notandum quod possunt multiplicari verba in oratione, ut per significationem verborum devotorum animus melius elevetur in Deum, et non solum mente, sed etiam corporali voce homo elevetur in eum, secundum illud : *Cor meum, et caro mea exsultaverunt in Deum vivum,* non tamen potest ibi dari regula certa, sed debet homo talibus uti in oratione, quantum percipit quod faciunt ad devotionis exercitationem. Si autem e contrario percipiat quod multiplicatio verborum distrahat mentem ejus, quia aliquando multiloquium oris impedit devotionem mentis, tunc debet cessare a verbis, et orare Deum mentis affectibus. Unde, secundum *Augustinum :* Quando rogamus Deum, pietate opus est, non verbositate; aliud est sermo multus, aliud diuturnus affectus. Nam plerumque hoc negotium plus gemitibus agitur, quam sermonibus; plus fletibus, quam affatu. Hæc tamen intelligenda sunt de orationibus privatis et voluntariis, quia orationes debitæ et publicæ debent esse in verbis, ut possint percipi ab aliis.

5 De jejunio et quomodo christiane jejunandum est. — Deinde docet fugere hypocrisim in jejunio, dicens: *Cum jejunatis,* quod expedit pro tempore, *nolite fieri tristes, sicut hypocritæ.* Non solum prohibet fieri, sed velle, cum dicit, nolite : in voluntate est enim prima radix merendi vel demerendi. Item fieri prohibet, non esse, quia, secundum *Chrysostomum,* sciens Dominus quod non potest esse hilaris qui jejunat, non dixit : Nolite esse tristes, sed : *Nolite fieri.* Aliud est enim esse, aliud fieri. Assiduum quidem jejunium naturaliter facit esse tristem; qui autem per hypocrisim pallentes apparent, tristes non sunt, sed fiunt *sicut hypocritæ* tristes in apparentia, ut ipsa vultus tristitia sit ostentatio jejunii falsa et vana. *Exterminant enim,* et quasi extra proprios terminos ponunt et adducunt, *facies suas,* ac deformant corpora sua habitu sordido et squalido deturpant, *ut appareant hominibus jejunantes,* ac semper videantur tristes, et quasi de peccatis aliorum lugentes; ostendunt enim quamdam faciei tristitiam et extra solitum aliorum modum in vultu et veste squalorem demonstrant, ut pœnitentiæ rigorem simulent, et religiosi præ cæteris appareant, et inde laudes ab hominibus recipiant. O insania vanitatis, nolunt esse, quod tamen volunt apparere! Et propter hoc cum assertione comminatur eis pœnam non modicam, dicens : *Amen,* id est vere dico vobis, *quia receperunt mercedem suam,* scilicet laudem hominum, quam quærebant, et in

Digitized by Google

futuro recipient pro simulatione damnationem, quam non timebant. Et signanter dicit receperunt, non recipiunt, quia talis laus adeo brevis est, quod quasi nihil de præsenti habet. Unde in Job : *Laus impiorum brevis, et gaudium hypocritæ instar puncti.* Non ergo prohibet Dominus tristitiam pœnitentiæ pro peccatis, sed tristitiam fictam pro laudibus consequendis; nec prohibet videri jejunantes, sed hoc non appetere propter hominum favores, quia non virtus vetatur, sed mens ficta reprobatur. Unde *Chrysostomus :* « Si ergo qui jejunat et tristem se facit, hypocrita est, quanto magis iniquior est qui non jejunat, sed argumentis quibusdam in facie sua pingit venalem pallorem, quasi jejunii signum? » Deinde subdit modum jejunandi debitum : *Tu autem, cum jejunas,* non scilicet imiteris hypocritas; sed *unge caput tuum, et faciem tuam lava.* Quia ridiculum esset caput oleo, ad litteram, ungere, ideo, secundum *Hieronymum,* accipitur metaphorice a Palæstinis, qui in festis solebant hoc facere, ut quando jejunamus, lætos nos et festivos esse monstremus; *unge ergo caput tuum,* id est hilarem te exhibe, *et faciem tuam lava,* ad litteram, ne sordidus appareas. Duo dicit contra duo : *unge oleo* lætitiæ, contra tristitiam hypocritarum; *lava* aqua munditiæ, contra exterminationem facierum. Vel secundum duas partes justitiæ : *lava* faciem internam, id est conscientiam, a malo per confessionem tergendo, ut munda sit ante Deum; sicut enim in conspectu hominum gratiosa est facies pulchra, sic in oculis Dei preciosa est conscientia munda; *et unge caput,* id est, mentem [illegible]ationem quæ in anima præeminet [illegible]e cogitationes et cetera hominis [illegible]it in bono, per devotionem gaudendo, ut in jejunio hilarem animum exhibeas Deo. Spiritualis enim hilaritas in jejunio, sicut in eleemosyna est necessaria, quia sicut *Deus diligit hilarem datorem,* sic et hilarem jejunantem. Ubi *Augustinus :* « Intelligendum est, hoc præceptum ad interiorem hominem pertinere. Ungere ergo caput ad lætitiam pertinet; lavare autem faciem, ad munditiam. Et ideo caput ungunt, qui lætantur interius mente, atque ratione. Et hoc faciat qui non foris quærit lætitiam, ut de laudibus hominum gaudeat. Ita enim et faciem lavabit, id est, cor mundabit, quo visurus est Deum, non pro interposito velamine propter infirmitatem contractam de sordibus. » Vel, secundum *Chrysostomum, unge caput,* id est Christum, oleo misericordiæ, scilicet pauperes recipiendo; *lava faciem,* id est intentionem, propter Deum hoc faciendo. Et subdit, removens intentionem pravam : *ne videaris hominibus,* id est, ob laudem et gloriam hominum quærendam, *jejunans, sed Patri tuo* cœlesti, cujus gloriam tantum debes in operibus tuis quærere, *qui est in abscondito* cordium, quia *scrutatur renes et corda* hominum, vel *in abscondito* remunerationum, quas abscondit timentibus eum, vel quia Deus in vita præsenti non potest a nobis videri, licet præsens sit ubique. *Et Pater tuus,* qui non obliviscitur prolem suam, *qui videt in abscondito,* id est, approbat rectam et secretam intentionem, *reddet tibi,* talis jejunii mercedem, quia *reddet Deus mercedem laborum Sanctorum suorum.* Ubi *Remigius :* « Sufficit enim tibi, ut qui est inspector conscientiæ, sit etiam remunerator. » De utilitate autem et fructu jejunii sic dicit *Augustinus :* « Jejunium purgat mentem, sublevat sensum, carnem spiritui subjicit, cor facit contritum et humiliatum, concupiscentiæ nebulas dispergit, libidinem exstinguit, charitatis lumen accen-

Digitized by Google

dit. » Hic, secundum *Augustinum*, animadvertendum est, non solum esse jactantiam in corporum et rerum corporearum nitore atque pompa, sed etiam in ipsis sordibus et squalore; et hoc eo periculosius est, quo sub nomine servitutis Dei decipit, quæ tamen ex ceteris operibus cognosci potest. Et ideo medium est tenendum quia nec nitor, nec squalor nimius decet Christianum.

6 LAUS HUMANA INANISQUE GLORIA IN OMNIBUS VITANDÆ.— Ex præmissis etiam perpende, quod virtutes propter se et Deum, non propter homines, sunt appetendæ. Unde *Chrysostomus* : « Non parvus autem fructus est humanam gloriam contemnere, per hoc enim aliquis a gravi servitute liberatur et proprius virtutis operator efficitur, eam amans non propter alios, sed propter seipsam. » Notanter vero orationi eleemosynam et jejunium adjungit, quia oratio est quædam avicula quæ penetrat cœlum, et habet duas alas, scilicet eleemosynam et jejunium; et ideo primo agit de eleemosyna, et ultimo de jejunio, et medio loco de oratione, quia ipsa oratio his quasi duabus pennis a dextris et a sinistris sublevata, penetrat cœlum, et ipsa quasi volando pervenit ad Deum. Unde in Tobia : *Bona est oratio cum jejunio et eleemosyna.* In omnibus ergo nostris operibus humanam laudem fugere debemus, quia, ut dicit *Boetius* : « Sapiens bonum suum non populari rumore, sed conscientiæ veritate, metitur. Nec solum autem in operibus, sed etiam in otio laus humana est fugienda. » Unde *Seneca* : « Absconde te in otio, sed et ipsum otium absconde. Non inscribas tibi philosophiam, aliud proposito tuo nomen impone, valetudinem, imbecillitatem vocato et desidiam. Gloriari in otio ambitio est. Animalia quædam inveniri possunt quæ vestigia circa ipsum confundunt cubile, idem tibi faciendum est, alioquin non deerunt qui persequantur. Optimum est non jactare otium suum. Ille se abscondit, ille clausus est, ille multis annis non transit domus suæ limen. Convocat turbam, quisquis otio suo aliquam fabulam imposuit. Cum secesseris non est hoc agendum, ut de te homines loquantur, sed ut ipse tecum loquaris. Quid in otio facis? Ulcus meum curo. Si ostenderem tibi pedem turgidum, lividam manum, ac contracti cruris aridos nervos, permitteres me uno loco jacere et fovere morbum, majus malum est hoc quod non possum tibi ostendere. Nolo me laudes, nolo dicas : O magnum virum, contempsit omnia, et damnatis humanæ vitæ furoribus fugit! Nihil damnavi nisi me, non est quod proficiendi causa venire ad me velis. Erras qui hinc auxilii aliquid speras. Non medicus, sed æger hic habitat. Malo illa, cum discesseris dicas : Ego istum beatum hominem putabam et eruditum; erexeram aures, destitutus sum. Nihil vidi, nihil audivi quod concupiscerem, ad quod reverterer. Si hæc sentis, si hæc loqueris aliquid per profectum est. Malo ignoscas otio meo quam invideas : » hæc *Seneca.*

ORATIO

Domine Jesu Christe, qui nobis in omnibus operibus tuis humilitatis exemplum ostendisti, ac vanam et inanem gloriam fugere docuisti, custodi me, quæso, intus et foris contra insidias superbiæ, ut nullus pateat locus inimicis animæ meæ, et da mihi ut in eleemosyna, oratione, jejunio, et in cunctis bonis operibus laudem humanam, et mundi favorem non quæram,

Digitized by Google

sed pure propter Dei gloriam, et proximi ædificationem ea faciam, nec de eis unquam inaniter gloriam præsumam, ne mercedem hic recipiens, in futuro vera mercede merear evacuari, et nihilominus pœnis æternis deputari. Amen.

CAPUT XXXVII

Sermonis in monte continuatio : De oratione Dominica.

Matthæi cap. 6.

1 ORATIONIS DOMINICÆ EXCELLENTIA. — Inter cetera autem quæ de oratione dicuntur, oratio Dominica interseritur, quæ multis ex causis orationibus ceteris antecellit, scilicet : auctoritate doctoris, quia ipsius Salvatoris ore prolata fuit; brevitate sermonis, quia facile dicitur, et cito profertur; sufficientia petitionum, quia utriusque vitæ continet necessaria; et fecunditate mysteriorum, quia immensa continet sacramenta. Unde *Chrysostomus* : « Dominus sub compendio verborum formam orandi tradens discipulis, et summam et sufficientiam omnium petendorum, tum beatitudinum, tum donorum omnium, videlicet ad vitam præsentem et futuram pertinentium complectitur. In hac orationis formula brevis paucitate verborum, sed sufficiens continentia omnium petendorum, omni oratione spiritualioris et sanctioris, quia ex ore Altissimi processit, quia petuntur et includuntur quæ in omnibus aliis orationibus continentur. O quam fidelis hæc et beata nobis oratio est, cujus ordinem nobis Doctor vitæ, ac Magister Cœlestis instituit! Quam beati etiam nos esse possumus, si hujus orationis Dominicæ verba non tantum officio oris, sed etiam fidelissimæ conversationis actu servemus! Hanc itaque formam Dominus discipulis suis ad spem salutis humanæ orandi constituit, universa igitur quæ fidei ac saluti nostræ sunt necessaria in hac brevitate orationis dominicæ continentur : » hæc *Chrysostomus*. De sufficientia quoque istius orationis benedictæ, sic dicit *Augustinus* : « Quæcunque alia verba dicamus, quæ affectus orantis format, nil aliud dicimus, quam quod in ista oratione Dominica positum est, si recte et congruenter oramus. Et si per omnia precationum sanctarum verba discurras, nihil invenies quod in ista oratione Dominica non contineatur; quisquis autem id dicit quod ad istam Evangelicam precem pertinere non possit, carnaliter orat, quod nescio quomodo non dicatur illicite quando renatos Dominus non nisi spiritualiter docet orare : » hæc *Augustinus*. *Cyprianus* etiam de oratione Dominica dicit, quod Christus in ista oratione magisterio suo omnem precem nostram salutari sermone breviavit. Quare autem hæc oratio tam brevis est, et tam pauca verba complectitur, possunt assignari septem rationes : prima, ut citius addiscatur; secunda, ut melius retineatur; tertia, ut nullus de ejus ignorantia excusetur; quarta, ut frequentius dicatur; quinta, ut tædium in dicendo removeatur; sexta,

Digitized by Google

ut fiducia cito impetrandi tribuatur; septima, ut in devotione mentis, non in multiplicatione verborum, virtus orationis esse ostendatur. Omnes vero petitiones, sub septenario numero comprehenditur, quia septenarius est numerus universitatis; at universitas omnium recte desiderabilium in his comprehenditur petitionibus : ideo rationabiliter omnes petitiones sub septenario est complexus.

2 EJUS PRÆFATIO, QUA BENEVOLENTIAM DEI CAPTAMUS EUM NOMINANDO PATREM. — Habet ergo hæc oratio Dominica octo partes. Prima est captatio benevolentiæ, quam sequuntur septem petitiones. Captatur autem benevolentia tripliciter, ex parte rogati, quia *Pater,* cujus filii sumus per fidem; ex parte rogantium, quia *noster,* nobis datus per charitatem; ex parte assessorum rogati, quia *in cœlis* est, id est in Sanctis, quorum auxilio erigimur per spem. Dicamus ergo : *Pater,* in quem credimus, *noster,* quem diligimus, *qui es in cœlis,* de quibus speramus; hæc enim tria faciunt orationem dignam, scilicet : motus fidei, charitatis, et spei. Ipse quidem Dominus dicitur *Pater noster* tripliciter, secundum triplex esse quod ab eo accepimus, scilicet : naturæ, gratiæ et gloriæ. Esse naturæ dedit nobis in creatione; esse gratiæ, in recreatione, seu redemptione; et esse gloriæ, in regni comitatione. Dicitur ergo Pater omnium generaliter ratione creationis; sed fidelium specialiter, ratione adoptionis. Nomine autem Patris intelligitur hic tota Trinitas, scilicet Pater, Filius, et Spiritus Sanctus. O quanta fiducia et fiducialis audacia, quod factura Factorem, creatura Creatorem, homo Deum Patrem audeat nuncupare! Quis unquam ausus est in veteri Lege talia præsumere? Nemo, utique. Quia, secundum *Glossam,* Deus antiquis, ut servis, dicebatur Dominus; nunc dicitur Pater, cui non timore, sed amore, servimus. Unde et *Augustinus :* « Nunquam invenitur præceptum populo Israel ut diceret *Pater noster,* sed est eis insinuatus tanquam Dominus servis. Nos vero per sanguinem Domini Jesu filii adoptionis effecti, confidenter clamamus : *Abba Pater.* » Et iterum : « Quo nomine et charitas excitatur; quid enim charius filiis esse debet quam pater? Et supplex affectus, cum homines dicunt : *Pater noster,* et quædam præsumptio impetrandi quæ petituri sumus; quid enim non det jam filiis petentibus, cum hoc ipse ante dederit, ut filii essent? Postremo quanta cura animum tangit, ut qui dicit : *Pater noster,* tanto Patre non sit indignus! Admonentur hic etiam divites, vel genere nobiles secundum seculum, cum Christiani facti fuerint, non superbire adversus pauperes et ignobiles, quoniam simul dicunt : *Pater noster,* quod non possunt vere ac pie dicere, nisi se fratres esse cognoscant : » hæc *Augustinus.* Unde et *Chrysostomus :* « Quanta Domini circa nos dilectio, quanta misericordia ejus et pietas, quæ nobis tantæ gratiæ munus indulsit, ut licenter Dominum ac Deum nostrum servi Patrem dicere audeamus! Quo vocabulo non jam tantum servos, sed etiam filios Dei esse demonstrat, quia ergo tanti muneris gratiam consecuti sumus, quasi filii Dei agere et conversari debemus, ut id nos esse quod dicimur, spirituali actu probemus; ne aliter agentes quam Dei filios convenit, rei sub usurpatione tanti nominis teneamur. Docet autem et generalem pro fratribus facere orationem; non enim dicit, Pater meus, sed *Pater noster,* ut pro communi, scilicet corpore, precem fundas, et ubique non tam

Digitized by Google

propria commoda, quam proximorum requiras. Ab hoc autem inimicitias interimit, et superbiam reprimit, et invidiam repellit, et matrem bonorum omnium charitatem introducit, et humanarum rerum inæqualitatem prorsus excludit, et mutuam regis cum paupere æqualitatem honoris ostendit; si tamen in maximis et ad æternam gloriam necessariis communione sociemur. Cunctis enim unam atque eamdem nobilitatem donavit Deus, cum dignatus est Pater omnium vocari : » hæc *Chrysostomus*. Admonemur hic ad fraternam unionem et dilectionem; sicut geniti ab uno Patre cœlesti per gratiam, ab uno etiam terreno per naturam plasmato et creato a summo Patre cœlesti, omnes etiam de eodem luto formati, ne simus elati, quasi alii aliis clarioribus sint orti natalibus.

3 Quo sensu audienda hæc vox : *Qui es in cœlis.* — Per cœlos autem intelliguntur Sancti et justi, qui templum Dei sunt, quia in eis tanquam in templo suo Deus habitat. Nam licet Deus sit in omnibus, per divinitatis præsentiam, est tamen speciali modo in justis per inhabitantem gratiam, et specialissime excellentia ejus relucet in Beatis per gloriam. Unde *Augustinus* : « Recte intelligitur quod dictum est, *Pater noster, qui es in cœlis,* in cordibus justorum esse dictum tanquam in templo sancto suo. Simul etiam ut qui orat, in se quoque ipso velit habitare quem invocat. Et cum hoc affectat, teneat justitiam, quo munere invitatur ad inhabitandum animum Deus : » hæc *Augustinus*. Vel *qui es in cœlis,* id est, in secreto tuæ majestatis, quæ adhuc celatur nobis, secundum illud Isaiæ : *Vere tu es Deus absconditus,* in quo admonemur et Sanctos imitari in conversatione, ac secreta et abscondita petere. Vel *in cœlis,* id est in illa cœlesti regione æternæ beatitudinis, ut commorationem vitæ præsentis velut peregrinam, et a Patre nostro nos separantem, horrentes, ad regionem in qua Patrem nostrum commorari fatemur, summo desiderio properemus, et ad illam tanquam ad patriam totam nostram intentionem figamus. Admonemur etiam ut nihil admittamus ejusmodi, quod hereditate paterna nos privet. Et per hoc quod dicitur esse *in cœlis,* non excluditur quin sit ubique et in omnibus locis; quamvis enim ubique sit totus essentialiter, præsentialiter et potentialiter, tamen dicit de eo, *qui es in cœlis,* ut innuat quod cœlestis Pater cœlestes vult habere filios; et ideo, ut ait *Chrysostomus*, erubescant se terrenis rebus substernere, qui Patrem habent in cœlis. Item, ut orantes cœlestia petamus, et ut in cœlis hereditatem filiorum Dei cogitemus. Item, quia in cœlis magis relucet suæ divinæ operationis potestas et virtus præcipue, et potius dicitur esse ibi quam alibi, sicut anima ubique est in corpore, intensius tamen dicitur esse in corde, vel secundum alios etiam dicitur esse in capite, quia ibi nobiles suæ operationes magis videntur apparere.

4 Prima orationis Dominicæ petitio. — Jam nunc quæ sunt appetenda videamus. Primum autem omnium quæ petuntur, hoc est : *Sanctificetur nomen tuum*, id est, nomen tuum quod in se et semper venerabile est et sanctum, glorificetur ac sanctum et celebre sit, et ostendatur in nobis : et in corde credendo et amando; et in ore laudando et prædicando; et in opere bene vivendo, ut scilicet in nostra vita et conversatione spirituali sanctus appareas. Ita ergo dicitur sanctificari, sicut clarificari, et magnificari, non in se, sed in nobis; non enim petimus quod aliqua sanctitas

Digitized by Google

ei de novo accrescat, quia hoc est impossibile, sed quod sanctitas quæ æternaliter inest, reluceat amplius in creaturis, ac primo et principaliter quæratur in operibus humanis, ut, secundum Apostolum : *Omnia in gloriam Dei faciamus.* Unde *Chrysostomus* : « Digna prorsus ejus qui Deum Patrem appellavit oratio, nihil omnino prius quam pro illius gloria supplicare. Dignare, inquit, in tam munda nos conversatione servare, ut per nos cuncti te omnino glorificent. Sicut enim cum quis cœli pulchritudinem aspicit, dicit gloria tibi Deus, sic etiam cum aspicit alicujus virtutem, quia hominis virtus multo magis quam cœlum, glorificat Deum : » hæc *Chrysostomus.* Vel *nomen tuum,* scilicet paternitatis quo diceris Pater, *sanctificetur,* id est confirmetur in nobis per perseverantiam et stabilitatem, ne a sanctificatione nominis in aliquo discrepemus, sed Patris nomen in nobis tanquam in filiis vita et moribus ostendamus, ut nunquam per peccatum a filiationis gratia separemur, vel a nobis gratia separetur filiationis; sed filii tui per gratiam semper maneamus, ut vere simus filii tui, quorum tu Pater esse dignaris. Vel *nomem tuum,* id est notitia tua, *sanctificetur,* id est confirmetur nobis per veram fidem, ut tu Deus qui in te sanctus es, sanctus habearis ab hominibus, et ita omnibus innotescaris, ut non existiment aliquid sanctius quod magis timeant offendere, et quod diligentius studeant honorare.

5 Secunda petitio. — Deinde sequitur secunda petitio : *Adveniat regnum tuum,* scilicet Ecclesiæ; id est manifestetur hominibus, ut tu qui nunc regnas, semperque regnasti in terris, ab hominibus ignorantibus regnare percipiaris et cognoscaris, quibus regnum Dei, quamvis nunquam discedat de terris, tamen absens est, sicut lux præsens abest cæcis et oculos claudentibus. Vel *adveniat regnum tuum,* scilicet gratiæ, pro quotidie regnas in Sanctis, quod sit cum diaboli imperio per exstinctionem vitiorum de cordibus nostris pulso, tu in nobis per virtutum flagrantiam incipias dominari, ut non regnet diabolus, aut mundus, vel carnalis affectus seu ullum peccatum in nobis, sed tu solus sine illis. Vel *adveniat regnum tuum,* scilicet gloriæ, quod præstituto tempore omnibus est perfectis, ac Dei filiis generaliter repromissum. Ubi desiderium nostrum ad futurum regnum excitamus, ut nobis et ad nos veniat et in eo regnare mereamur. Nam velimus, nolimus utique adveniet, et utinam paratos inveniat ! Unde *Chrysostomus* : « Hoc quoque gratissimi omnino servi est, neque inhærere præsentibus, neque magnum aliquid ea quæ videntur putare, sed ad Patrem semper urgeri, semperque in futura gestire. Quod certe de optima oritur conscientia, et mente terrenis omnibus exuta. Qui enim isto amore succenditur, et hoc habet desiderium, neque hujus opibus et benignis inflari poterit, neque adversis et tristibus humiliari, sed tanquam in ipso cœlo habitans et conversans, ab utraque erutus est in æqualitate. » Et iterum : « Sed magnæ fiduciæ et sinceræ conscientiæ est hoc Domini regnum, ut adveniat confidenter optare. Et idcirco quia ut regnum Dei veniat semper oramus, tales nos in fide Domini et mandatis ejus exhibere debemus, ut futuro regno digni esse possimus : » hæc *Chrysostomus.* Et sic regnum Dei est triplex, scilicet in Ecclesia, et in anima, atque in vita æterna; nec possumus ad Deum venire per gloriam, nisi ipse primo veniat ad nos per gratiam.

Digitized by Google

6 Tertia petitio. — Post hæc sequitur petitio tertia : *Fiat voluntas tua, sicut in cœlo et in terra,* id est sicut in Angelis et electis, qui sunt in cœlo, perfecta est voluntas tua, ut voluntati tuæ conformati præceptis tuis obediant, et tibi omnino adhæreant, et inculpate serviant, teque perfruantur; ita fiat in hominibus qui de terra sunt, et in terra conversantur. Vel *fiat voluntas tua, sicut in cœlo et in terra,* id est sicut in justis, ita et in peccatoribus, ut ad te, scilicet unum Deum et verum, convertantur, et universi non suam, sed tuam faciant voluntatem, ac te credant omnia quæ videntur vel aspera vel prospera, pro nostris utilitatibus dispensare. Tantum enim spiritualiter interesse videtur inter justos et peccatores, quantum corporaliter inter cœlum et terram, et hoc accidit ex diversitate affectuum. Nam affectus justi est circa cœlestia; peccatorum autem affectus versatur circa terrena. Vel *fiat voluntas tua sicut in cœlo et in terra,* id est sicut in spiritu, ita et in carne; ut caro non concupiscat adversus spiritum, sed quemadmodum bonus spiritus non resistat tibi, ita et corpus non resistat spiritui, et per consequens nec tibi; et utroque omnia quæ odis, odiamus; et quæ diligis, diligamus; et quæ præcipis, impleamus. De voluntate Dei sic dicit *Cyprianus* super orationem Dominicam : « Voluntas Dei est quam Christus fecit et docuit; humilitas in conversatione, stabilitas in fide, modestia in verbis, in factis justitia, in operibus misericordia, in moribus disciplina; injuriam facere non nosse, et factam posse tolerare; cum fratribus pacem tenere, Dominum toto corde diligere; amare in illo quod Pater est, timere quod Deus est; Christo nil præponere, quia nec nobis quidquam præposuit; charitati ejus inseparabiliter adhærere; cruci ejus fortiter ac fidenter assistere; quando de ejus nomine et honore certamen est, exhibere in sermone constantiam qua confitemur, in quæstione fiduciam qua congredimur, in morte patientiam qua coronamur. Hoc est coheredem Christi velle esse, hoc est præceptum Christi facere, hoc est voluntatem Patris implere : » hæc *Cyprianus.*

7 Quarta petitio. — Deinde sequitur quarta petitio : *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie,* id est victum quotidianum corpori necessarium, nomine panis designatum ; et in hoc intelliguntur peti omnia vitæ necessaria. Unde *Augustinus :* « Sic ergo hic sufficientiam petimus a parte quæ excellit, id est nomine panis totam significantes. » Panem ergo dicit, non carnes, non pisces, id est non aliquod superfluum, sed tantum quod est naturæ necessarium, quod bene significatur per panem, quia, secundum Ecclesiasticum : *Initium vitæ hominis aqua et panis.* Et addit *nostrum,* ut nemo sibi temporalia appropriet, quia, secundum *Chrysostomum,* omnia quæ nobis dat Deus, sive orantibus, sive militantibus, non solum nobis dat; sed etiam aliis per nos, ut de eo quod accepimus a Deo, partem impotentibus faciamus. Qui ergo de laboribus suis indigentibus non præstat, non tantum panem suum, sed etiam alienum manducat. Et qui de justitia panem acquisitum manducat, suum panem manducat; qui autem cum peccato, alienum, nam illi Deus dat panem, qui cum justitia præparat; diabolus autem ei qui præparat cum peccato. Secundum *Gregorium, nostrum* hunc panem dicimus, et tamen ut detur oramus : Dei enim est ex munere, quia ab illo datur et noster fit ex perceptione, cum accipitur. Dicit autem *quotidianum,* non

Digitized by Google

annuum, vel ad plures annos provisum, et in horreis reservatum, quem Matthæus dicit *supersubstantialem,* id est superadditum substantiæ et substentationem. Et, secundum *Cyrillum,* ex eo etiam quod *quotidianum* alimentum jussit quærere, videtur quod nihil concedat eos habere, sed magis honestam colere paupertatem. Non enim est habentium panem petere, sed oppressorum penuria. Et subjungit : *Da nobis hodie,* quia nec minimum habere possumus, nisi det ille *qui dat escam omni carni.* Unde homo devotus tali mente debet sumere cibum, ac si sibi de manu Domini præsentialiter ministretur. Et addit *hodie,* id est in præsenti : vel *hodie,* id est illum qui nobis hodie tantummodo sufficit, ut de crastino non cogitemus, quia nescimus si in crastinum proveniamus. O sapientia vera et divina providentia, quæ docuit et panem solum petere, et hodie nominare ! Hoc enim dicto et aviditas et avaritia tollitur, et humanæ vitæ incertum insinuatur. Vel *panem nostrum quotidianum da nobis hodie,* id est panem spiritualem, scilicet præcepta divina, quæ quotidie oportet meditari et operari. Nam de ipsis Dominus dicit : *Operamini cibum qui non perit. Quotidianus* dicitur iste panis, quandiu durat hæc vita temporalis. Dictum est autem, *da nobis hodie,* quod intelligitur pro toto tempore hujus vitæ humanæ ; in futura enim eis qui hic meruerunt non auferetur, quia cibo spirituali in æternum saturabuntur. Vel *panem nostrum quotidianum da nobis hodie,* id est panem sacramentalem et vivum qui de cœlo descendit, qui est supersubstantialis, id est super omnes substantias et universam superat creaturam, qui panis noster est in altari et quotidie offertur pro salute fidelium, qui reficit animam naturam corporis transcendentem, quo quotidie ad roborandum nos indigemus, quia quotidie labimur, et ad lapsum proni sumus. Qui etiam vocatur *quotidianus,* quia quotidie ipsum sumimus per ministros Ecclesiæ, qui hoc sacramentum percipiunt pro se et pro tota communitate. Unde *Chrysostomus :* « Non immerito semper orare debemus ut hunc panem cœlestem quotidie mereamur accipere, ne aliquo interveniente peccato, a corpore Domini separemur. » Potest etiam adhuc de alio triplici pane exponi, scilicet doctrinali seu intelligentiæ, luctuali seu m œstitiæ, et cœlesti seu gloriæ. De primo dicitur : *Cibavit illum pane vitæ et intellectus ;* de secundo : *Cibabis nos pane lacrymarum ;* de tertio : *Beatus qui manducabit panem in regno Dei.* Et bene illa beata fruitio dicitur panis, quia sicut panis corporalis satiat appetitum edentis, sic fruitio illa satiat desiderium contemplantis, secundum illud : *Satiabor cum apparuerit gloria tua.*

8 Quinta petitio. — Post hoc sequitur petitio quinta : *Et dimitte nobis debita nostra,* id est peccata quæ nos debitores pœnæ constituunt et quibus obligamur ad pœnam, aut satisfactoriam, aut purgatoriam, aut æternam. Debita, inquam, et peccata quæcunque contra te commisimus, vel contra proximos, vel contra nosmetipsos ; item contra te Patrem, et contra te Filium, vel contra Spiritum Sanctum ; item corde, vel ore, vel opere commissa. Ubi *Cyprianus :* « Et ne quis sibi quasi innocens placeat, et se extollendo plus pereat, instruitur se peccare quotidie, dum pro peccatis quotidie jubetur orare : *Sicut et nos dimittimus debitoribus nostris.* » Ecce regula nobis proposita, quod si volumus nobis dimitti peccatum nostrum, debemus

Digitized by Google

dimittere proximo peccatum in nos commissum; ut, secundum *Gregorium,* bonum quod a Deo compuncti petimus, hoc ipsum primo proximo conversi faciamus. Unde idem *Cyprianus :* « Qui ergo pro peccatis orare nos docuit, paternam misericordiam promisit, sed plane addidit legem, certa conditione nos constringens, ut sic nobis debitum dimitti postulemus, secundum quod et nosipsi debitoribus nostris dimittimus. » Unde et *Chrysostomus :* « Non autem dixit ut prius nobis Deus dimittat, et postea nos debitoribus nostris. Scit enim Deus homines esse mendaces, quoniam et si acceperint remissionem peccati sui, ipsi suis debitoribus non dimittunt; ideo sic dicit ut prius dimittamus, et postea petamus dimissionem. » Et iterum : « Hæc igitur animadvertentes grates agendæ sunt debitoribus nostris, fiunt enim nobis, si sapimus, causa indulgentiæ maximæ, et pauca exhibentes plurima recipiemus. Nam et nos multa debemus et magna debita Domino, quorum si minimam partem a nobis vellet exigere, jam perissemus : » hæc *Chrysostomus.* Sed quid de illo qui non satisfacere vult cum potest, nec veniam postulare cum non potest? Sane distinguendum est : is enim qui viam perfectionis arripuit, debet etiam non petenti veniam omnimodis indulgere, non solum rancorem animi dimittendo, sed sine satisfactione injuriarum, sine restitutione rerum, sine interventu precum, omnia dimittere, et ex puro corde diligere, et ad hoc tenentur perfecti, quia sic consilium est; qui vero nondum perfectionis votum assumpsit, tenetur quidem rancorem animi dimittere, ut nec malum inimici velit augeri, nec bonum ejus minui, sed quod in eum deliquit, aliqualiter satisfieri; et ad hoc tenentur omnes, quia sic præceptum est. Remissio ergo offensæ est de necessitate, quia homo tenetur esse in charitate et omnes diligere; sed remissio injuriæ non est necessitatis, sed supererogationis. Sicut enim pecuniam ablatam non tenetur quis auferenti dimittere, sed potest eam repetere; sic pro injuria sibi illata potest recompensationem per emendam petere, secundum ordinem justitiæ. Nam, secundum *Augustinum,* non loquitur de debito pecuniæ sive justitiæ exigendæ, sed rancoris et inimicitiæ non reinferendæ. Quia vero sunt culpæ, in quibus culpa est vindictam relaxare; et si peccatum in nos teneamur dimittere, peccatum tamen in Deum, et peccatum in proximum debemus punire. Unde *Hieronymus :* « Si peccaverit in nos frater noster, et in qualibet causa nos læserit, dimittendi habemus potestatem, imo necessitatem; si autem in Deum quis peccaverit, non est nostri arbitrii. Nos e contrario in Dei injuria benigni sumus, in nostris contumeliis exercemus odia : » hæc *Hieronymus.* Qui ergo laborat odio vel invidia gravatur magis hac oratione quam juvetur ea. Tale enim est ac si dicat : Noli mihi dimittere peccata mea, quia nec ego volo aliis dimittere sua. Ecce quantum detestetur Dominus fraternum odium, cum ita conditionaliter et non aliter dimittat peccatum, si scilicet fratri dimiserimus. Nam, ut ait *Anselmus :* « Indulgentiam non habebis, nisi dederis. » Et *Seneca :* « Alteri semper ignosce, tibi ipsi nunquam. »

9 Sexta petitio. — Deinde sequitur sexta petitio : ***Et ne nos inducas in tentationem,*** scilicet carnis, ut nos non absorbeat per voluptatem; vel mundi, ut nos non comburat per cupiditatem; vel diaboli, ut nos non perdat per iniquitatem. Est autem tentatio duplex :

Digitized by Google

una scilicet probationis, et hac Deus sanctos bene tentat, non ut ipse per hoc de eis notitiam capiat, cui ante omnes tentationes quisque notissimus est, sed ut ipsi seipsos probent, et sibiipsis innotescant qui se nesciebant; alia est tentatio deceptionis, et hac Deus neminem tentat, sed fit a carne quæ suggerit mollia, et a mundo qui offert vana, et ab hoste qui ingerit amara, sed Deus bene permittit in hanc induci ex causa. Unde est sensus *ne nos inducas,* id est ne permittas nos induci in tentationem, et tentari supra id quod possumus ferre, sed fac cum tentatione etiam exitum, *ut possimus sustinere,* ne irretiti teneamur et superemur ejus fortitudine. Quasi diceret : Etsi nos permittas duci per sensum ut exercitemur, non tamen permittas induci per consensum ut succumbamus. Causaliter quidem efficiendo Deus per seipsum non inducit, sed permissive et deserendo patitur induci eum quem suo auxilio deserit, sicut *cor Pharaonis induravit,* id est indurari permisit, et sicut dicitur quod *non est malum in civitate quod Dominus non fecerit,* id est quod fieri non permittat. Ubi *Cyprianus* : « Quia in parte ostenditur contra nos nihil adversarium posse, nisi Deus ante permiserit, ut omnis timor noster et devotio convertatur in Deum. » Aliud est in tentationem duci et aliud induci : in tentationem enim ducitur qui a tentatione pulsatur, sed non dejicitur; in tentationem inducitur qui tentationi succumbit, et ab ea separatur. Induci enim est *intus duci,* et succumbere. Ostendit ergo non id a nobis orandum esse ut non tentemur, quia tentari non est malum, sed magis utile, et ad virtutis exercitium quando viriliter resistitur, nam sine tentatione nemo potest probatus esse, sive sibiipsi, sive alii; sed ne deserti ejus adjutorio per blanda vel aspera in tentationem per consensum inducamur, ne alicui tentationi vel consentiamus decepti, vel cedamus afflicti, et sic ab ea devincamur, a Deo deserti. Sed qui blandis non decipitur, etiam asperis non dejicitur; quia, ut dicit *Augustinus* : « Nemo frangitur rerum adversarum molestia, qui prosperarum delectatione non capitur. » Et iterum : « Primo itaque vitandæ sunt delectationes, postea dolores. Quomodo enim superare potest mundum sævientem, qui non potest blandientem? Sic ergo Dominus voluit nos ad se in tentationibus recurrere et non de nobis præsumere. » Unde idem *Augustinus* : « Voluit ergo Deus a se posci, ne inferamur in tentationem, quod poterat nobis etiam non orantibus dare, quia voluit nos admoneri a quo hæc beneficia accipiamus. » In quo, ut dicit *Cyprianus,* admonemur infirmitatis et imbecillitatis nostræ, ne quis se insolenter extollat, ut dum præcedit humilis et submissa confessio, et datur totum Deo quidquid suppliciter petitur, ipsius pietate præstetur.

10 Septima petitio. — Post hoc sequitur petitio septima et ultima : *Sed libera nos a malo,* scilicet omni, vel innato quod contrahimus, scilicet originali; vel adjecto quod committimus, scilicet actuali; vel inflicto quod sustinemus, scilicet pœnali, id est pœna consequenti. Vel *a malo* omni, visibili et invisibili, id est culpæ et pœnæ; vel *a malo* omni, scilicet præterito, præsenti, et futuro. Et notandum quod hæc petitio non intelligitur de malo culpæ jam perpetratæ, quia tunc coincideret cum quinta petitione; sed culpæ instantis perpetrari possibilis, a quo malo liberari nos petimus, ne videlicet peccemus.

Digitized by Google

Item, non intelligitur de malo pœnæ futuræ, quia tunc coincideret hæc petitio cum secunda, sed pœnæ præsentis in quantum est nobis causa et occasio ruinæ. Potest etiam accipi de malo pœnæ futuræ, ita quod petamus sic nos liberari a malo præsenti, ut non incurramus malum pœnæ futuræ. Et ab omnibus prædictis petimus liberari, orantes, et loquentes in persona Ecclesiæ. Sed qui vult a malis liberari, studeat malis proximis compati, quia qui vult impetrare misericordiam a Deo, necesse est ut exhibeat eam proximo.

11 Conclusio orationis Dominicæ per verbum *Amen*. — Deinde sequitur conclusio totius orationis præmissæ, cum dicitur : *Amen,* id est fiant omnia prædicta. Quo verbo desiderium orantis exprimitur, quia est verbum optativum respectu bonorum præcedentium, et optatio impletionis omnium petitorum. Hoc verbum *Amen* additum a Joanne, quia Angelicum est sicut et *Alleluia,* nulla lingua præsumpsit transferre. Hoc autem verbum est Hebræum, et nec Græcus interpres ausus est interpretari, nec Latinus, propter reverentiam Salvatoris qui ad confirmandam veritatem sæpe eo est usus. Sic mansit et non est interpretatum, ut honorem haberet velamento secreti; non ut esset negatum, sed ne vilesceret nudatum. Ponitur autem quandoque nominaliter, ut in Apocalypsi, ubi dicitur : *Hæc dicit Amen,* id est *Veritas;* quandoque verbaliter, ut ubicunque in Psalmista dicitur : *Fiat fiat,* idem est quod : *Amen amen,* et sic ponitur in fine orationum, ut hic; quandoque autem adverbialiter, ut in Evangelio ubicunque dicitur : *Amen dico vobis,* id est vere et fideliter. Habet autem hæc dictio *Amen,* posita in fine, triplicem efficaciam et virtutem. Nam concludit orationem, quia, secundum *Hieronymum,* est orationis signaculum, ut sicut per sigillum clauditur scriptura, sic per *amen* clauditur oratio. Recolligit etiam intentionem, nam quando dicitur *amen,* intentio summatim fertur super omnia præcedentia, et si aliquid ex fragilitate humana per distractionem mentis in oratione absque actuali intentione pertransitum fuerit, ad id intentio redit dicendo : *Amen.* Impetrat nihilominus exauditionem, est enim *amen* exauditionis nota et signum. Unde *Rabanus :* « Per hoc quod Dominus dixerat *amen,* signat indubitanter illis a Domino conferri omnia quæ rite postulant, qui conditionis additæ servare pactum non negligunt, quæ quidem conditio est dimittere debitoribus nostris, de qua dictum est : » hæc *Rabanus.* O Domine, parum est quod dixerim *amen* vel *fiat* optando, nisi tu dicas *amen* imperando, id est *fiat!* O magnificum et efficacissimum verbum *fiat,* hoc enim verbo tu, Pater summe in Principio, id est in Verbo tuo, coæterna omnia creasti, dixisti et facta sunt; hoc etiam verbo nos perditos reparasti, dicente illa sanctissima Reparatrice nostra ad Angelum : *Fiat mihi secundum verbum tuum!* O salutiferum verbum fiat, o amen, o fiat, o verbum omnipotentiæ, verbum miræ efficaciæ! Eia, mi Domine Jesu bone, Verbum Patris, comple tu orationem meam, perfice tu verba mea per te dictata et in os meum commendata, perfice ea et dic *amen,* dic *fiat,* dic mihi sicut dixisti illi mulieri Syrophœnissæ : *Fiat tibi sicut vis.* O dulcis amor Jesu, o dulcis veritas, o dulce *amen,* o dulce verbum *fiat; fiat mihi secundum verbum tuum,* fiat amen.

12 Petitiones a Luca omissæ. — Et sciendum quod Lucas omittit duas petitiones orationis Dominicæ, scili-

Digitized by Google

cet tertiam et septimam, quia tertia continetur in duabus præcedentibus, et septima in sexta. In sanctificatione enim animæ quæ petitur in prima, et in resurrectione carnis quæ petitur in secunda, impletur divina voluntas quæ petitur in tertia. Vel si gloriam Dei principaliter quæramus, et participationem regni ejus, quæ continentur in duabus primis petitionibus, bene voluntatem ejus facimus, et ejus voluntas impletur in nobis; quod continetur in tertia, quia ad hoc præcipue voluntas Dei tendit, ut ejus sanctitatem cognoscamus et cum ipso regnemus. Similiter septima continetur in sexta, ut sciat unusquisque se liberari a malo, cum non inducitur in tentationem. Si enim in tentationem non inducimur ei succumbendo, sed magis prævalemus resistendo, bene liberamur a malo. Et sic quod Matthæus dicit explicite, Lucas complectitur implicite.

13 ADVERTENDUM QUOD IN ORATIONE SUA IGNOSCENDI NECESSITATEM PRÆSERTIM OSTENDAT DOMINUS. — Ut autem dicit *Augustinus* : « Non negligenter prætereundum est, quod ex omnibus his sententiis quibus nos Dominus orare præcepit, eam potissimum commendandam esse judicavit, quæ pertinet ad remissionem peccatorum, in qua nos misericordes esse voluit, quod unum est consilium miserias evadendi. In nulla enim sententia sic oramus, ut quasi paciscamur cum eo. Dicimus enim : *Dimitte nobis, sicut et nos dimittimus,* in qua pactione si mentimur, totius orationis nullus est fructus : » hæc *Augustinus*. Unde post orationem subjungitur : *Et cum stabitis ad orandum, dimittite si quid habetis adversus aliquem, ut et Pater vester qui in cœlis est, dimittat vobis peccata vestra.* Unde ait *Chrysostomus* : « Ideo cœlorum et Patris meminit, ut ex hoc provocet auditorem. Nihil enim ita Deo assimilat, sicut injuriam facientibus ignoscere. Inconveniens est autem si talis Patris filius existens feralis efficitur, et ad cœlum vocatus terrenum quemdam et vitæ hujus proprium habet sensum : » hæc *Chrysostomus*. *Si enim dimiseritis,* non retinendo rancorem, non appetendo vindictam, *hominibus peccata eorum,* scilicet in vos commissa, *dimittet vobis Pater vester cœlestis delicta vestra. Si autem non dimiseritis hominibus, nec Pater vester dimittet vobis peccata vestra.* Bene dicit *vestra,* quia hæc est sola operatio hominis et possessio, scilicet peccatum; in malum enim potest per se, non in bonum. Ecce lex, o homo, tibi a Domino posita est. Si enim dimiseris, dimittetur tibi; si non dimiseris, non dimittetur tibi. Unde *Cyprianus* : « Excusatio enim tibi nulla est in die judicii, cum secundum tuam sententiam judiceris, et quod feceris hoc ipse patieris. » Ubi et *Chrysostomus* : « Post impleta morationis formulam nullius prorsus mandati meminit, nisi istius quo certe ad dandum nos veniam concitavit. Ait quippe : *Si dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet et vobis Pater cœlestis peccata vestra.* Itaque a nobis tota hæc res sumit exordium, futurumque de nobis in nostra est potestate judicium. Ne enim vel irrationabilis quispiam, aut in magno aliquo aut in exiguo delicto de judicio Dei conqueri posset, ipsum reum Dominum illius fecit esse sententiæ. Quemadmodum, inquit, tu ipse judicaveris, ita tibi etiam judicabo. Si enim dimiseris conservo tuo, a me quoque eamdem gratiam consequeris. Et certe nequaquam istud æquale est : tu enim remittis, cum ipse quoque remis-

Digitized by Google

sione indigeas; Deus vero, cum nullius unquam indigeat, ignoscit; tu conservo remittis, Deus servo; et tu quidem mille peccatorum reus, Deus vero ab omni peccato extraneus. Et tamen sic quoque abundantiam propriæ miserationis ostendit, quo non igitur digni supplicio sumus, cum tali enim a Deo potestate donata, ipsi salutis nostræ efficimur proditores? Quemadmodum vero in aliis causis ut audiamur rogamus, qui nobis ea ipsa quorum domini sumus non impendimus; nihil est quod sic Dei similes faciat, ut malignis atque lædentibus esse placabilem. Propterea et per singula quæque verba nos communes fieri orationes docet, dicendo : *Pater noster,* etc. Plurali ubique numero nos uti docens, ut proximis per cuncta placati, ne vestigium quidem in nobis iracundiæ relinquamus. Quod si unius diei saltem vellemus nostra peccata dinumerare, tunc optime disceremus quantorum rei essemus malorum. Quis igitur vestrum in oratione non habet desidiam? Quis non superbiæ est inflatus tumore? Quis non inanis gloriæ aurula ventilatus? Quis non de fratre detraxit? Quis non concupiscentiam admisit malignam, vel impudicis oculis aspexit? Quis non inimici cum passione animi recordatus est? Quis non æmuli sui aut cruciatus est prosperis, aut delectatus adversis? Verumtamen tot ac talium peccatorum compendiosam nobis ac facilem Deus viam liberationis dedit, totiusque laboris alienam. Quis enim labor est fratri indulgere mœrenti? Labor quidem in remittendo nullus, in retinendo vero inimicitias maximus. Siquidem iracundia liberari magnam menti reddit quietem, et valde hoc est facile volenti. Sufficit velle tantummodo, et omnia continuo peccata delata sunt : » hæc *Chrysostomus.* Igitur, ut ait *Augustinus,* amplectenda est homini tam benigna conditio, ut dimittendo delicta aliena, diluat sua. Nam, secundum eumdem, multa sunt eleemosynarum genera, quas cum facimus adjuvamur ut dimittantur nobis peccata; sed ea nihil majus est quam cum ex corde dimittimus quod in nobis quisque peccavit, nec simus pigri ad dimittendum aliis : qui enim, ut ait *Chrysostomus,* remisit proximo, se prius quam illum de reatibus liberavit. Unde et *Gregorius :* « Si cogitaverimus quoniam non ei qui contristavit nos, sed nobisipsis largimur, cito dimitteremus venenum iræ. Ad dimittendum autem aliis necesse est frenare iram, quæ frequenter nos stimulat ad vindictam. » Unde *Augustinus :* « Fratres mei, exercete vos quantum potestis ad exhibendam mansuetudinem, etiam erga inimicos vestros, frenate iram quæ vos stimulat ad vindictam; si vindicare te vis de inimico tuo, ad ipsam iram te converte, quia ipsa est inimica tua, quæ occidit animam tuam. Oraturus es Deum, ventura est hora ut dicas : *Pater noster qui es in cœlis;* venturus es ad illum versum : *Dimitte nobis debita nostra,* quid sequitur? *Sicut et nos dimittimus debitoribus nostris,* ibi illa inimica stat contra te; sepit viam orationis tuæ; murum erigit, et non est qua transeas. Non ergo sævias contra inimicum tuum, in istam sævias; melior est qui vincit iram quam qui capit civitatem. Non potes illam interimere, potes istam reprimere. Si fortis es, iram vince, et civitati parce : » hæc *Augustinus.*

Digitized by Google

ORATIO

Pater noster, excelsus in creatione, suavis in amore, dives in hereditate; qui es in cœlis, speculum æternitatis, corona jucunditatis, thesaurus felicitatis : Sanctificetur nomen tuum, ut nobis sit mel in ore, cithara in aure, devotio in corde. Adveniat regnum tuum, jucundum sine permixtione, tranquillum sine perturbatione, securum sine amissione. Fiat voluntas tua sicut in cœlo et in terra, ut omnia quæ odis, odiamus; quæ diligis, diligamus; quæ tibi placent, impleamus. Panem nostrum quotidianum da nobis hodie, scilicet doctrinalem, pœnitentialem, virtualem. Et dimitte nobis debita nostra, quæcunque contra te commisimus, aut contra proximos vel contra nosmetipsos. Sicut et nos dimittimus debitoribus nostris : qui nos offenderunt verbis, vel in personis, aut in rebus. Et ne nos inducas in tentationem : mundi, carnis, dæmonis. Sed libera nos a malo : præsenti, præterito, et futuro. Amen.

CAPUT XXXVIII

Sermonis in monte continuatio : De non thesaurizando in terra, sed in cœlo.

Matthæi cap. 6.

1 THESAURIZANDUM IN TERRIS NON ESSE DOCET DOMINUS. — Deinde docens perfectum contemptum terrenorum propter Deum, ponit prohibitionem de collocando thesaurum in periculo, ne scilicet thesaurizemus *in terra, ubi ærugo,* id est *æris rubigo,* consumit, et in hoc tangitur corruptio divitiarum artificialium, ut auri et argenti, ac ceterorum metallorum; *et tinea,* id est vermis, *demolitur,* et in hoc tangitur corruptio divitiarum naturalium, ut bladi, vini, vestimentorum et consimilium; *ubi fures effodiunt et furantur,* hoc dicit propter lapides pretiosos, qui licet non possint rubiginari, nec a vermibus corrodi, tamen possunt a latronibus tolli. Sed væ nobis, quia totum contrarium facimus! Unde *Chrysostomus :* « Quid dicam de illo mandato quo jubemur non thesaurizare super terram? Quod forte quidem faciunt pauci. Ceteri vero quasi e contrario audierunt præceptum, et quasi dictum sit ad eos, thesaurizate omnimodis super terras, ita relinquentes cœlum, adhærent terræ, et insaniunt erga pecuniam congregandam : » hæc *Chrysostomus.* Deinde subdit admonitionem de thesauro reponendo in tuto, ut scilicet thezaurizemus *in cœlo, ubi nec ærugo demolitur,* quia ibi nulla vetustas, *nec tinea,*

Digitized by Google

quia ibi nulla passibilitas, et *ubi fures non effodiunt, nec furantur,* quia ibi nulla violentia vel fraus. Excellentissimus modus thesaurizandi est quando bona temporalia et transitoria in pios usus consumuntur, et sic in bona spiritualia et æterna, et per consequens incorruptibilia commutantur. Non ergo thesaurizemus in terra emolumenta terrenorum, ubi recondita deficiunt et perduntur, et unde sumus exituri, sed in cœlo præmia meritorum, ubi recondita proficiunt et servantur, et ubi semper sumus mansuri. Unde *Hieronymus :* « Stultitia est illic non thesaurum reponere unde exiturus es, et illuc non præmittere ubi semper victurus es. Illuc ergo substantiam tuam colloca, ubi patriam habes. » Unde et *Gregorius:* « Justi hic ædificare et thesaurizare negligunt, ubi peregrinos et hospites se esse cognoscunt; nam qui in propriis gaudere desiderant, in alieno felices esse recusant. » Unde *Chrysostomus :* « Qui enim collocat thesauros in terra, non habet quod speret in cœlo, utquid ergo aspiciet in cœlum, ubi nihil repositum habet? » hæc *Chrysostomus.*

2 QUO SENSU COR HOMINIS SEMPER INEST UBI ET IPSIUS THESAURUS. — Quia vero unusquisque illuc pervenire desiderat, ubi suas divitias reconditas esse cognoscit, beatus est qui divitias suas in cœlo reposuit, ut semper ibi mentem habeat, semperque illuc omnibus viribus et desiderio tendat, quia ut subditur : *Ubi enim est thesaurus tuus,* id est res a te amata et desiderata, *ibi est et cor tuum* et affectus tuus. Necesse est enim ut quo præcessit dilectionis thesaurus, illuc et cogitationis sequatur affectus. Nam, secundum *Augustinum,* amor est animæ pondus, portans eam quocunque ipse fertur et anima verius est ubi amat quam ubi animat. Unde *Fulgentius :* « Ut ergo in cœlis thesaurizemus, cœlestia diligamus. Vis noscere ubi thesaurizas, attende quod amas; vis noscere quod amas, attende quod cogitas. Ita fiet ut thesaurum tuum ex tuo amore cognoscas, et amorem tuum judicio tuæ cogitationis intelligas. » Et ideo, ut dicit *Gregorius,* in tot partes cor dividitur, quot sunt ea quæ diliguntur. Unde et *Chrysostomus :* « Ne thesaurizaveris thesauros in terra; tineæ enim et vermibus et furibus ea congregas. Si autem et hæc effugeris nocumenta, et nihil horum erit, in servitutem redactum esse cor tuum et affixum esse inferioribus omnino non effugies, in servitutem redactum esse intellectum ægritudine hac multo difficilius est quam habitare carcerem. Non parvam sustinebis jacturam inferioribus affixus, et servus pro libero factus, et a cœlestibus bonis cadens, et nil excelsorum cogitare potens; propter hoc et Gentiles non credunt his quæ a nobis dicuntur, de actibus enim non de sermonibus nostris futurorum volunt habere documentum. Nunc vero cum videant ædificari a nobis splendidas domos, agros emi, balnea atque hortorum amœnitates parari, nolunt credere quod ad alterius nos urbis perfectionem paremus. Si enim, inquiunt, verum esset istud, vendentes prorsus cuncta quæ possident illuc, profecto præmitterent. Hæc igitur considerantes, vincula tanti abrumpamus erroris. Qui enim pecuniæ servit, et præsentibus compedibus stringitur, et futuris paratur. Qui vero istius cupiditatis immunis est, utraque libertate potietur. Quam ut consequamur gravissimum avaritiæ conterentes jugum ad cœli fastigia sublevemur : » hæc *Chrysostomus.* Unde et *Anselmus :* « Vilescat tibi mundus, omnis amor carnalis sordeat. Nescias

Digitized by Google

te esse in hoc mundo, quoniam ad illos qui in cœlo sunt et Deo vivunt tuum transtulisti propositum : *ubi est thesaurus tuus, ibi est cor tuum;* noli cum argenteis simulacris vili marsupio tuo tuum includere animum, qui nunquam cum nummorum pondere poterit transvolare ad cœlum. » Hoc autem, secundum *Hieronymum,* non tantum intelligendum est de thesauro pecuniæ, sed universaliter de cunctis voluptatibus ac possessionibus, etc. Gulosi Deus venter est, luxuriosi thesaurus epulæ sunt, lascivi lubrica amatoris libido, avari pecunia; et sic intelligendum est in aliis : huic enim servit vitio unusquisque quo vincitur, et ibi habet cor, ubi thesaurum, et ad hanc conversionem cordis, ad amorem passionum et rerum hujusmodi, sequitur aversio a Deo. Si ergo in cœlo est, mundum est, quia munda sunt cœlestia; si autem in terra volutatur, id est si quid agat ut terrena consequatur, quomodo mundum est? Unde *Augustinus* : « Sordescit aliquid, cum inferiori naturæ miscetur, quamvis in suo genere non sordidetur; quia etiam de puro argento sordidatur aurum si misceatur, ita et animus noster terrenorum cupiditate sordescit, quamvis terrena in suo genere munda sint. » Igitur, ut ait *Richardus* : « Quæcunque in mundo concupiscis, quæcunque in mundo metuis, impende libenter pro libertate cordis. » Quia, ut dicit *Augustinus,* totum mundum debet contemnere qui sibi thesaurizat in cœlo.

3 Non est de Deo diffidendum. — Et ne timor subrepat diffidentiæ habendi vitæ necessaria, consequenter excludit diffidentiam quæ nasci posset ex conditione propria, dicens : *Nolite timere, pusillus grex,* id est congregatio humilium, *quia complacuit Patri vestro,* cœlesti, *dare vobis regnum,* non quidem ob merita vestra, sed ex mera liberalitate et bonitate sua divina. Quasi diceret : Ex quo regnum cœlorum paratum est vobis, parum debetis curare de terrenis. Non enim de vitæ necessariis debet diffidere cui regnum vitæ promittitur, in quo omnis sufficientia habetur. Dicitur autem *grex,* propter fidei obedientiam : *pusillus,* propter voluntariæ paupertatis et humilitatis devotionem, qua pervenitur ad cœlestis regni possessionem. Vel *pusillus* dicitur *grex* electorum, respectu majoris numeri reproborum, quia pauci erant fideles respectu infidelium, et pauci sunt electi, respectu reproborum. Utinam et ego merear de illis paucis vel minimus esse, et cum eis regnum percipere !

4 Eleemosyna via est ad cœlum. — Pervenitur etiam ad regni opulentiam per consilliorum supererogationem, quibus itur ad perfectionem, et ideo subjungit, dicens : *Vendite quæ possidetis,* etiam necessaria, *et date eleemosynam,* quæ ad idem regnum via est : *facite vobis sacculos,* id est repositaria bonorum, et loca ad reponendum mercedem eleemosynarum vestrarum, *qui non veterascunt,* et deficiunt, scilicet reponendo eleemosynam in manus pauperum, qui vobis per hostes, et fures transeuntibus pecuniam vestram usque ad locum tutum portent, ne eam amittatis, *thesaurum non deficientem in cœlis,* et æternis; quia merces eleemosynæ in æternum manet in cœlis. Nam fructus eleemosynæ auget merita, quæ sunt thesaurus indeficiens in patria. Et si per eleemosynam habemus in cœlo thesaurum meritorum, ibi cor nostrum suspiret et exspectet thesaurum præmiorum.

5 De bona et mala intentione. — Deinde docet eos de oculo simplici habendo, quod attendere de-

Digitized by Google

bemus in omni opere nostro. Unde ait : *Lucerna corporis tui est oculus tuus.* Hic est locutio metaphorica, qua corpus morale hic accipitur pro congerie operationum, sicut corpus materiale est quædam aggregatio membrorum diversorum, et ideo sicut oculus materialis regit totum corpus materiale, et dirigit membra ad operandum; sic oculus moralis, scilicet intentio, regit totum corpus morale, et dirigit varias operationes in finem. Ideo subditur : *Si oculus tuus fuerit simplex,* id est intentio recta sine plica simulationis et erroris, *totum corpus tuum lucidum erit,* id est congeries operationum tuarum erit bona et meritoria, etiamsi non ita hominibus videatur; dum tamen operationes sint bonæ de genere, vel saltem indifferentes et licitæ, aliter non caderent sub recta intentione. Unde *Seneca :* « Nihil interest quo animo facias quod vitiosum est fecisse, quia facta cernuntur, animus non videtur. » *Si autem oculus tuus nequam fuerit,* id est intentio perversa, *totum corpus tenebrosum erit,* id est congeries operationum obscura per peccatum et mala, etiamsi operationes sint bonæ de genere et hominibus videantur rectæ, quia opus bonum de genere efficitur malum ex perversa intentione. Vide ergo ne intentio tua sit perversa, quia per hoc corrumperentur omnia bona. *Si ergo lumen quod in te est, tenebræ sunt,* id est si actio bona de genere, quæ est quasi quoddam lumen, efficitur mala, propter defectum intentionis bonæ, *ipsæ tenebræ quantæ erunt?* Quasi diceret : Multo magis, quia actio mala de genere, quæ est quasi quædam tenebræ, si cum hoc superveniat intentio mala, est multo deterior quam prima. Quando enim quæ per se mala sunt, etiam cum mala intentione fiunt, tunc duplex obtenebratio est : et pravæ intentionis, et pravæ operationis. Non ergo quid quisque, sed quo animo faciat considerandum, et primo circa puritatem intentionis laborandum est, quia sine ipsa opus sequens nihil valet. Itaque si bonum bona intentione feceris, non habens in tua conscientia aliquam partem tenebrosæ cogitationis, illuminatur etiam factum tuum, qualemcumque exitum habuerit, et illuminabit te, id est splendidum et fulgidum reddet, hic splendore gratiæ, et in futuro splendore gloriæ. Et si bene alicui proveniat quod tu non recta et munda intentione facis, quomodo tu feceris tibi imputatur, non quomodo illi provenerit. Igitur cave ne ipsa cordis intentio, quæ lumen est animæ, vitiorum caligine fuscetur, ut oculus simplex totum corpus faciat lucidum; quatenus quidquid feceris, facias propter Deum, et ad locum unde exeunt gratiæ redeant, et iterum fluant.

6 Duobus dominis non serviendum est. — Et quia aliquis cupiens assequi terrena et cœlestia posset dicere, quod recta et simplex potest esse intentio, ut quis agat et propter temporalia et propter Deum bona quæ agit, hoc removet exemplo duorum contrariorum dominorum, quia *nemo potest servire duobus dominis,* scilicet contrariis et disparatis, et non superalternatim positis. Nam, ut ait *Beda :* « Non valet simul transitoria et æterna diligere. » Et *Augustinus :* « Unus oculus non potest videre in cœlo et in terra. » Unde et *Cyprianus :* « Mundi amor et Dei pariter in uno habitare non possunt, quemadmodum oculi cœlum et terram nequaquam conspiciunt. » Sic autem dicit *Philosophus* in libro de animalibus : « Aves claudunt oculos cum palpebra inferiori, animalia vero grossa cum palpebra superiori. » Per aves intelliguntur viri spirituales, qui ad

Digitized by Google

inferiora et terrena oculos claudunt; per animalia vero grossa intelliguntur viri mundani, qui habent oculos clausos ad cœlestia, et apertos ad terrena et secularia. Secundum *Chrysostomum*, duos dominos dicit qui contraria injungunt, plures autem idem injungentes, non sunt plures, sed unum; nam concordia multos facit unum. Isti domini quibus non potest simul serviri, sunt vitia et virtutes, cœlestia et terrestria, Deus et diabolus, caro et spiritus; nam ad contraria injungunt, et ideo consequens est ut unum deserat, et alteri obtemperet. Unde quasi declarando subjungit : *Non potestis Deo servire, et mammonæ. Mammona mammonæ* Syriace, dicitur *divitiæ* Latine; et *Mammon Mammonis* nomen est dæmonis, qui præest divitiis, et tentat de vitio cupiditatis, non quod in ejus ditione sint divitiæ, ut dare eas possit, vel auferre, nisi quando Deus permittit; sed quod his utatur ad decipiendum et irretiendum homines laqueis, quos in divitiis prætendit. Et licet homo non possit servire Deo et divitiis, potest tamen servire cum divitiis. Divitiis enim qui servit, illi utique servit qui de cupiditate divitiarum tentat et decepit. Ille autem divitiis servit qui eas propter se, et ut finem ultimum diligit, aut qui eas cupide acquirit, vel avare retinet et ut servus custodit; ille autem qui in operibus piis divitias expendit, non servit divitiis, sed magis divitiæ serviunt ei, quia eas distribuit ut Dominus, et eis utitur ad opera virtutum sicut instrumentis. Nam, secundum *Ambrosium*, sicut divitiæ sunt impedimenta improbis; ita probis sunt adjumenta virtutis. Unde *Chrysostomus* : « Duo ergo sunt nobis domini propositi, Deus et Mammona, id est diabolus, qui mammonæ est auctor. Ille nos ad misericordiam provocat, hic ad avaritiam; ille ad vitam, hic ad mortem; ille ad salutem, hic ad perditionem. Cui de duobus obtemperare debemus? Ei utique qui nos ad vitam invitat, non ei qui nos trahit ad mortem. Quid enim terribilius est, quam si propter pecunias a Christi servitio dicamur excidere; vel desiderabilius, quam si despectu pecuniarum tota illi possumus mente et dilectione conjungi? » hæc *Chrysostomus*. Et cum nullo modo possit quis *duobus dominis servire*, multi tamen fatui conantur contra hanc impossibilitatem, similes illis de quibus in libro Regum dicitur, quod fuerunt gentes Deum timentes, et nihilominus idolis servientes. Et sciendum quod diligere divitias propter se, et Deum propter se, et utrumque ut finem ultimum, ut in hoc servus utriusque dicatur, est impossibile; licet possit unum in ordine ad aliud appetere, puta divitias propter Deum. Actio ergo corporalis potest referri ad finem temporalem, dummodo postea illud temporale referatur ad Deum. Si autem in actionibus finis proximus ponatur Deus, et finis ultimus temporale, perversissimum est. Quæcunque enim res propter aliud aliquid quæritur, inferior est quam id propter quod quæritur. Unde bene licet constituere duos fines, scilicet temporalem et æternum, et finem sub fine ponere, ut illud quod est æternum finis ultimus sit; quia una intentio multos actus informat. Diversi vero fines, quorum unus sit ad alium referibilis, non sunt faciendi.

7 SOLLICITUDO RERUM TEMPORALIUM DAMNATUR. — Post hoc concludendo inducit, ut de victu et vestitu quæ necessaria sunt non sollicitemur, loquens ad discipulos suos, quos specialiter ad mundi contemptum invitat : hæc enim specialiter dicuntur Apostolis, eorumque successori-

Digitized by Google

bus, et ceteris omnibus qui ad summum perfectionis culmen attingere cupiunt, nam talibus nulla terrenorum bonorum sollicitudo est, quia habentes victum et vestitum his contenti sunt. Hæc omnia dicuntur hic ad tollendum a prædicatoribus Evangelii sollicitudinem superfluam de necessariis, quantum ad præsentem vitam. Unde ne dicerent, qualiter poterimus vivere si omnia abjecerimus? Idcirco inferendo intentum suum ex præmissis subjungit : *Ideo dico vobis, ne solliciti sitis,* sollicitudine superflua et inordinata, *animæ vestræ,* id est vitæ animali, quæ cibo sustentatur, *quid manducetis,* vel bibatis, *neque corpori vestro quid induamini.* Quasi diceret : Si vultis Deo servire, oportet renunties mammonæ in nimia temporalium sollicitudine. Non ait : Ne laboretis, ne curetis, ne quæratis de cibo, aut potu, aut vestimento ; sed : *Ne solliciti sitis,* ut vitiosam sollicitudinem prohibeat, quæ mentem perturbat, et ab æternis retrahit, seu revocat ; et ut necessarium concedat. Unde *Beda :* « Præcipitur nobis ne solliciti simus quid comedamus, et quia in sudore vultus præparamus nobis panem, labor exercendus est, sollicitudo præcavenda. » Unde et *Chrysostomus :* « Non enim sollicitudinibus spiritualibus, sed laboribus corporalibus acquirendus est panis, qui laborantibus pro præmio diligentiæ, Deo præstante, abundat, et negligentibus pro pœna, Deo faciente, subducitur. » Item non ait : Ut manducetis vel bibatis, aut induamini ; sed *quid manducetis,* vel *bibatis,* aut *induamini.* Manducare namque ac bibere, et indui, necessarium est ad sustentationem naturæ ; sollicitari vero circa sumptuositatem, vel delectationem, ad vitium pertinet gulæ, aut vanæ gloriæ, vel etiam avaritiæ Ubi, secundum *Bedam,* videtur argui qui spreto victu et vestitu communi, lautiora sibi, vel austeriora, præ his cum quibus vitam ducunt, alimenta vel indumenta requirunt. Spiritualiter ergo in manducatione, possumus intelligere gulosos ; in induitione, vane gloriosos ; in utroque avaros. Unde alibi : *Erat quidam dives,* in quo cupiditas : *qui induebatur purpura et bysso,* in quo vanitas : *et epulabatur quotidie splendide,* in quo gulosistas. Noli ergo quicunque es qui mundi gloriam sprevisti, ac Deo servire elegisti, noli, inquam, sollicitus esse vitæ tuæ de victu et vestitu, quia vanum est pro his esse sollicitum. Unde confirmat spem nostram Dominus, primo de majori ad minus descendens, et probat a majori neminem esse sollicitum circa hujusmodi. Si enim majus donabile datur ex amore, et minus dabitur saltem in necessitate ; sed Deus dedit nobis majora beneficia, scilicet animam et corpus, ergo dabit et minora, scilicet victum et vestitum. Non enim anima propter escam creata est, nec corpus propter vestimentum, sed magis e contra est factum, ideo non sit sollicitus animus, ne percipiat quod propter se creatum est. Unde *Chrysostomus :* « Nisi Deus vellet conservare quod est, ipsum non creasset, quia vero ipse constituit ut anima cibo, et corpus indumento conservetur, ideo ipse utrumque tribuit : » hæc *Chrysostomus.* Qui ergo dedit sine sollicitudine nostra vitam, dabit sine sollicitudine nostra superflua, etiam illud unde regatur vita ; fatuus est ergo qui propter minus, scilicet escam, aut vestimentum, perdit majus, scilicet animam vel corpus.

8 Et primo sollicitudo cibi, ubi avium similitudo. — Deinde probat singulariter de utroque, scilicet cibo et vestimento. Et primo de cibo, de quo confirmat spem nostram a minori ad majus ascendens, et ex mi-

Digitized by Google

nori majus persuadens. Et ponit exemplum de irrationabilibus creaturis, scilicet volatilibus cœli, id est aeris, in quo volitant, quia, *non serunt, neque metunt,* scilicet ad cibum acquirendum; *neque congregant in horrea,* scilicet ad conservandum, *et Pater cœlestis pascit illa,* propter homines, sine sollicitudine eorum magna; ergo multo magis pascit homines, qui sunt chariores, sine sollicitudine eorum superflua. Rationale enim animal, sicut et homo, majoris est ponderis et pretii coram Deo quam irrationabilia, sicut sunt aves, quia animalia facta sunt propter hominem, finis autem est nobilior his quæ sunt ad finem. Sicut ergo Deus pascit aves cum sollicitudine convenienti suæ naturæ, sic pascit homines cum sollicitudine convenienti eorum naturæ, quæ est secundum regulam rationis rectæ, si tamen ea quæ præcipit studeant implere. Quia sicut natura avium est prædicto modo vivere, sic natura hominis est vivere secundum dictamen rationis rectæ, ad quod sequitur ipsum debere sollicitudine moderata ad quærendum ea quæ non dedit sibi natura, ut cibum et vestimentum necessarium. Unde non dicit de avibus, non volant ad grana et ad pascua, quia non prohibet laborem et providentiam, sed sollicitudinem et avaritiam. Ubi *Chrysostomus :* « Omnia volatilia fecit Deus propter hominem, hominem autem propter seipsum. Si ergo animalibus ministrat propter hominem, quomodo non homini ministrat propter seipsum? »

9 DEINDE SOLLICITUDO VESTIMENTI UBI LILIORUM SIMILITUDO. — Deinde probat de vestimento, et ponit duplex exemplum. Primum est de eo quod est intra hominem magnitudine corporis, quam dat Deus sine sollicitudine ipsius; quod ex hoc patet, quia quantumcunque aliquis sollicitetur de augmentatione sua, non potest addere *ad staturam suam cubitum unum.* Cum igitur vestimentum competat majus vel minus secundum quantitatem corporalem, et quantitas datur ei sine sollicitudine sua, per consequens vestimentum conveniens dabitur ei sine sollicitudine sua superflua. Secundum exemplum sumitur ex eo quod est extra hominem, scilicet ex terræ nascentibus, ut liliis et herbis, quia sine sua sollicitudine crescunt, et secundum suam quantitatem a Deo vestiuntur, propter quod dicit : *non laborant,* ad ornandum se coloribus, *neque nent,* id est filant, ad faciendum sibi vestimentum, et tamen optime vestiuntur Dei providentia, tam pretiosis coloribus induta. Ipse enim color operimentum est florum qui omnes excellit colores vestium, et regale excellit ornamentum. Quod probat quia Salomon, licet fuerit rex potentissimus, tamen non fuit ita bene vestitus, quia licet ars imitetur naturam, tamen opera artis non assequuntur perfectionem operum naturæ. Unde *Hieronymus :* « Et revera, quod sericum, quæ regum purpura, quæ pictura textricum potest floribus comparari ? Quid ita rubet ut rosa ? Quid ita candet ut lilium ? Violæ vero purpuram nullo modo superari murice oculorum magis quam sermonum judicium est. » Unde et *Chrysostomus :* « Cur vero tanto etiam herbas decore vestivit, ut suam scilicet sapientiam demonstret, et superabundantiam virtutis, ut undique ejus gloriam discamus. Non enim soli *cœli enarrant gloriam Dei;* sed et terra : » hæc *Chrysostomus.* Et ex hoc concludit quod Deus sufficienter vestit hominem absque sollicitudine superflua, dicens : *Si autem fenum,* id est herbam, *agri, quod hodie est,* id est in præsenti, *et cras in clibanum mitti-*

Digitized by Google

tur, id est in furno mittitur seu ponitur, quia in quibusdam terris loco lignorum utuntur stipulis et talibus ad calefaciendum furnum, *Deus sic* pulchre et variis coloribus et formis *vestit,* et venustate adornat, *quanto magis vos minimæ fidei,* scilicet sine sollicitudine superflua vestiet ? Quasi diceret : Si de floribus qui nati sunt tantummodo ut videantur et pereant tantam Deus curam gerit, quanto magis de hominibus, qui ad imaginem Dei sunt facti, et ad æterna vocati. Vocat autem eos qui nimis sollicitantur, *modicæ fidei,* quia ex defectu fidei procedit talis sollicitudo superflua, non autem sollicitudo rationalis et moderata.

10 QUI MORALITER PER AVES ET LILIA FIGURENTUR ? — Moraliter, secundum *Glossam,* Sancti non immerito avibus comparantur, qui nihil in mundo habentes, nec laborantes, sola contemplatione terrena despiciunt, cœlestia petunt, jam Angelis similes. Ecce quod commendantur in Sanctis tria, scilicet : paupertas voluntaria, quia nihil habentes ; contemplationis quies sive otiositas sancta, quia non laborantes ; mentis elevatio ad superna, quia æterna petunt. Per volatilia ergo cœli intelligi possunt viri contemplativi qui non *serunt, neque metunt, neque congregant in horrea,* se negotiis secularibus implicando, et Dominus pro eis sollicitatur necessaria ministrando. Per lilia vero agri intelligi possunt vere casti, quia propter candorem munditiæ, et propter odorem virtutis in quibus crescunt, non tam suo labore quam Dei dono ; qui considerandi sunt ad laudandum et imitandum, et incremento bonæ actionis, et in quiete sanctæ contemplationis, et in decore honestæ conversationis.

11 CONFIDENDUM EST PROVIDENTIÆ DEI, QUÆ SOLLICITUDINEM GENTIBUS PROPRIAM EXPELLIT. — Ex his ergo instructi non diffidamus de necessariis, quia tempore opportuno Deus providebit nobis de illis, si tamen ea quæ præcipit faciamus. Si enim de temporalibus diffidimus, quomodo æterna sperabimus ? Fides famem non timet. Modica fides, quæ nec de minimo certa est, nedum æterna non speret. Qui intelligit quid est homo, non desperat de Deo ; qui autem desperat de Deo, nescit quid est homo ; quia Deus in homine, et homo in Deo. De Creatore desperat, qui in creaturis spem ponit. Igitur, ut ait *Anselmus :* « Non te futuri temporis sterilitas terreat, non futuræ famis timor memtem tuam dejiciat, sed ex ipso tota fiducia tua pendeat, qui aves pascit et lilia vestit. Ipse sit horreum tuum, ipse apotecha, ipse marsupium tuum, ipse divitiæ tuæ, ipse deliciæ tuæ ; solus sit tibi omnia in omnibus. Et ponit hic Dominus tria bona quæ Deus homini dedit, scilicet : animam, corpus, et res. Anima debet subjici superiori, scilicet Deo, sibi obediendo ; et corpus suo superiori, id est animæ, sibi obtemperando ; et res suis superioribus, scilicet Deo, ut pauperibus distribuantur, et animæ, ut discrete diligantur, et corpori, ut sibi necessaria ministrentur. Sed istum ordinem pervertunt divites, qui non subjiciuntur Deo, quia pauperibus nihil tribuunt ; nec animæ, quia res inique diligunt ; nec corpori, quia illud fatue afficiunt. » Deinde ad inculcandum arctius quod supra dictum est, repetens, subjungit : *Nolite ergo solliciti esse dicentes : Quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur* ? Secundum *Chrysostomum,* quod dicitur : *nolite solliciti esse,* non idem est quod nolite operari, sed nolite rebus mundanis mente affligi : contigit enim aliquem

Digitized by Google

operantem nihil sollicitum esse. Et secundum eumdem : « Si pro necessariis non oportet esse sollicitos, qua pœna digni erunt, qui pro superfluis non dormiunt, et aliena rapiunt. *Nolite,* inquam, de his *solliciti esse. Hæc enim omnia,* scilicet ad victum et vestimentum pertinentia *Gentes,* id est Gentiles, *inquirunt,* cum sollicitudine nimia et vitiosa, quæ divinam providentiam circa actus humanos negantes, circa talia immoderate sollicitantur, quorum videlicet erga præsentem vitam studium omne consumitur, quibus nulla prorsus cura est futurorum, nec confidentia de promissione æternorum. Vel, *hæc omnia Gentes,* id est homines mundani, cum sollicitudine immoderata et nimia, *inquirunt,* quia magis bona præsentia quam futura quærunt ; et ideo talis sollicitudo facit eos infidelibus similes. Quid enim amplius habet fidelis a gentili, cujus infidelitas animum sollicitat, et curis hujus vitæ fatigat ? Sed, heu ! multi ex nobis ea quæ mundi sunt, magis quam Gentes inquirunt. Vos ergo hæc quærere non est necesse, quærere, inquam, cum sollicitudine.

12 Quomodo Deus per suam providentiam se Patrem ostendat ? — *Scit enim Pater vester,* qui viscera non claudit bonis filiis, *quia his omnibus indigetis,* scilicet in via necessariis ; sine his enim neque vivere, neque Deo servire potestis, quæ utique ipse dat, nisi infidelitas vestra avertat. Quia non est pater pius qui non tribuit necessaria filiis, indigentiam sibi notam patientibus, et quia Pater est, vult ; et quia cœlestis, potest ; si autem potest, et vult, sine dubio donabit quod nobis expediat ad salutem. » Unde *Rabanus :* « Quis rex militibus devotis debitam non procurat alimoniam ? Quis dominus famulis suis non ministrat cibaria ? Quis pater non dat filiis alimentum ? » Unde et *Chrysostomus :* « Non dixit, novit Deus ; sed, novit *Pater vester,* ut eos in majorem spem ducat. Si enim Pater est, et Pater talis non poterit despicere filios in ultimis malis, cum utique neque homines patres existentes hæc sustineant. Est enim omnino clarum quod Deus naturam ipsam novit, et ejus creator existit, quique illam talem formando creavit, indigentiam quoque ejus magis prospiciat quam tuipse qui ejusmodi necessitatibus coarctaris ; nam ipsi utique sic placuit, ut hanc indigentiam natura pateretur. Nequaquam erit ergo contrarius in his quibus ei opus esse decrevit, aut necessariarum eam rerum perceptione fraudabit : » hæc *Chrysostomus.* Unde etiam *Augustinus :* « Scit cœlestis medicus quid nobis daturus est ad consolationem, quidve subtracturus sit ad exercitationem : non enim homo jumento suo cibaria subtrahit sine causa. Si ergo scit ut dictum est, et vult, quia Pater, et potest, quia omnipotens ; ergo nec est timendum quin provideat nobis : » hæc *Augustinus.*

13 Propter septem causas penuriam aliquando patimur. — Notandum autem quod ex pluribus causis aliquando patimur penuriam in vitæ necessariis : prima est ex merito peccatorum nostrorum ; secunda est causa exercendæ virtutis ; tertia est ex importunitate nostræ avaritiæ, nimia namque sollicitudo, ne deficiant necessaria, facit ut aliquando deficiant ; quarta est humana superfluitas, dignum est enim ut qui superflua quærimus, aliquando necessariis careamus ; quinta est abusus temporalium, qui enim creatura Dei abutitur, dignum est ut aliquando ad necessitatem ei tollatur ; sexta est ingra-

Digitized by Google

titudo, dignum est quod beneficiis Dei privetur qui ingratus exstitit; septima causa est ut credamus Deum nobis præbere temporalia, et non esse a nobis, vel ex debito nobis tribui a Deo : ea enim subtrahendo ostendit quod ipse sit Dominus.

14 QUÆ SOLLICITUDO PERMISSA ET QUÆ PROHIBITA? — Prohibet ergo Dominus sollicitudinem diffidentiæ et timorem, sed permittit sollicitudinem providentiæ et laborem. Prohibet sollicitudinem deordinatam et superfluam, per quam impediuntur et postponuntur bona spiritualia; sed permittit sollicitudinem moderatam et necessariam, secundum regulam rationis rectæ, cum sit pars prudentiæ; aliter sequeretur quod homo tentaret Deum, si exspectaret ab eo omnia necessaria, omittendo quod debet fieri circa hæc via humana. Igitur cum duplex possit esse amor rerum temporalium, scilicet respectu superflui, vel respectu necessarii, contra primum prohibet Dominus thesaurizationem; contra secundum prohibet præfocantem sollicitudinem. Ubi notandum quod triplex est sollicitudo. Prima est naturæ, quæ verius labor et cura dicitur providentiæ, quæ homini ne Deum tentet conceditur, ut tamen omnibus Deus præferatur. Unde et Adæ dictum est: *In labore et sudore vultus tui vesceris pane* tuo : et Dominum loculos habuisse patet ex Evangelio. — Secunda est culpæ, quæ consistit in quantitate rerum, cum supra necessitatem acquiruntur; et hanc sollicitudinem parit et comitatur avaritia, in qualitate etiam et lauticia rerum quam comitatur luxuria, in nimis quoque anxia necessariorum provisione ex qua sequitur spiritualium negligentia; et hæc sollicitudo omnino prohibetur, quia vitiosa judicatur. — Tertia est gratiæ, quæ consistit in operibus justitiæ, et proximi compassione. Unde Apostolus : *Instantia mea quotidiana* est *sollicitudo omnium Ecclesiarum*, hæc sollicitudo præcipitur, quia ad charitatem pertinere dignoscitur. Prima est tolerabilis; secunda, vituperabilis; tertia, commendabilis.

15 REGNUM DEI, SCILICET IN GRATIA ET IN GLORIA, PRIMO QUÆRENDUM EST. — Tandem concludit de quo debet homo esse sollicitus, quia de æternis, non de terrenis. Et implicat hic triplex bonum, scilicet cœleste, spirituale, et temporale. Primum est bonum gloriæ; secundum, gratiæ; tertium, fortunæ. Primum est maximum; secundum, minus; tertium, minimum. Ideo primum debet esse in intentione, sicut præmium; secundum, in operatione, tanquam meritum; tertium, in adjectione, tanquam sustentamentum. Ita, inquit, *nolite solliciti esse* circa temporalia quærenda; sed *primum* intentione et affectione, ac præcipue præ omnibus aliis et principaliter tanquam beatitudinem omnium actionum, et ultimum finem, qui est per se appetibile, *quærite regnum Dei*, id est vitam æternam et cœlestia bona; et ne sit error in quærendo, secundo tanquam rectam viam, et id per quod meretur obtineri regnum Dei, quærite *justitiam* Dei, sequendo ejus præcepta, etiam justitiæ opera; et tertio ad vitæ necessaria vobis, *hæc omnia*, scilicet temporalia, quorum universitatem in tribus posuit, scilicet in cibo, potu, et vestimento, *adjicientur*, scilicet, *vobis*, cooperantibus et collaborantibus, ac sollicitudinem modo habentibus, quia sicut propter mala opera fructus terræ subducitur, sic propter bona opera adjicitur. Verumtamen si præsentia subtrahuntur, ad exercitationem est

Digitized by Google

et probationem, ac etiam penitus subtracta, martyrii promerentur coronam; si vero dantur, ad consolationem est, et gratiarum actionem. Quia, *diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum;* scit enim medicus cœlestis quid magis expediat nobis. Igitur quia primum relative dicitur ad secundum, patet quod non excludit sollicitudinem omnino circa necessaria vitæ; sed ostendit quod principaliter debemus sollicitari de spiritualibus, et secundario de temporalibus, quia temporalia *adjicientur nobis*, id est consequentur sine ullo nostro impedimento, ne cum ista quærimus, illinc avertamur, aut ne duos fines constituamus. Nam, secundum *Augustinum,* cum dixit : *Quærite primum regnum Dei,* significavit temporale posterius quærendum, non tempore, sed dignitate; illud tanquam bonum, hoc tanquam necessarium propter illud bonum. Hoc est primum quærere regnum Dei, et posterius temporale, id est hoc priore loco ponere, et illud posteriore, scilicet ut ideo quæramus temporale, ut habeamus regnum Dei, et non e converso. Aperte enim ostendit non temporalia sic esse appetenda, ut propter ipsa benefacere debeamus, licet sint necessaria; sed quæcunque facimus, propter regnum Dei facere instruimur. Ergo cum aliquid boni operamur, non temporalia, sed æterna cogitemus, et primum intentione et affectione regnum Dei quæramus. Sancti primitivi quæsierunt primo regnum Dei, et ideo Deus adjecit eis regnum mundi, scilicet tempore Constantini; sed hodie a multis primo et præcipue quæritur regnum mundi magis quam Dei, et magis solliciti sunt pro terrenis et divitiis, quam pro animabus et Ecclesiis, et ideo timendum est eis, ne cum regno mundi amittant regnum Dei.

16 Quo sensu crastini cura prohibeatur. — Deinde vetat cogitare de crastino et futuro, dicens: *Nolite ergo solliciti esse in crastinum,* id est in futurum, sollicitudinem scilicet futuro tempori debitam inordinate præoccupando, et curam, quæ incumbit diei crastino, in diem hodiernum anticipando. De præsentibus ergo, ut ait *Hieronymus,* concessit debere esse sollicitos, qui futura prohibet cogitare. Sufficit enim nobis præsentis temporis cogitatio; futura, quæ incerta sunt, relinquamus Deo. Ubi *Petrus Cantor :* « Supra prohibuit sollicitudinem vitiosam de præsentibus quæ scilicet sunt unius anni; semel enim in anno serimus, metimus, et colligimus, unde et præsentia quasi dicuntur; hic autem prohibet sollicitudinem de futuris, ut de his quæ post annum veniunt. De his enim quæ procurat divina ordinatio, non convenit sollicitari. Si ergo providentia tua ultra annum extenditur, jam in vitiosam sollicitudinem vertitur; ut abbatis, qui usque in tertium annum reservavit annonam. Cujusmodi homines modo reputamus sapientes, cum tamen veniant contra Domini prohibitum, qui concedit tantum curam præsentium. Tales etiam de Deo diffidunt, et ob hoc miserrimi sunt : » hæc *Petrus Cantor.* Unde et *Chrysostomus :* « Quod autem dictum est nolite cogitare de crastino, scio ego nec audire aliquem, nec omnino servare. Cum enim neque orare pro his jubeamur, nos omne studium erga hæc expendimus, et de his singulis cogitando consumimur. Sed quantam in his quæ ad corpus sunt curam ostendimus, tantam in spiritualibus habemus incuriam, imo longe etiam majorem : » hæc *Chrysostomus.* Non vult autem Dominus de futuro nos esse sollicitos, tanquam certi

Digitized by Google

de futura vita simus, quia neque de præsenti certi et securi sumus. Unde *Anselmus :* « Puta te quotidie moriturum, et de crastino non cogitabis. » Unde et *Seneca :* « Omnis dies sicut ultima est ordinanda. » Sufficit ergo nobis præsentis cogitatio temporis; futurorum curam, quæ incerta est, relinquamus. *Crastinus enim dies sollicitus erit sibiipsi,* id est ipse affert sollicitudinem suam secum, quia tempus futurum habebit sollicitudinem suam, sibi congruam et debitam, sicut patet quod ex variatione temporis occurrunt varia fienda, de quibus sufficit tunc sollicitari cum venerit eorum hora. Ac si dicat : Cum futurus dies advenerit, de ipso curabitis, et non ante; sicut enim hodiernam sollicitudinem non interdico, ita nec crastinam, postquam crastinus dies advenerit. Et secundum hoc in prædictis, hoc nomen *sollicitus* dicit anxietatem avaritiæ, quæ semper est fugienda : hic discretionem providentiæ, quæ de præsentibus non de futuris est habenda. Sit ergo hodiernus dies de se sollicitus tantummodo, et non de alio : *Sufficit* enim *diei malitia sua,* id est cuilibet tempori labor et fatigatio, calamitas et contritio, dolor et tristitia, afflictio et angustia, sollicitudo et cura. Unde *malitia* hic dicitur, non malum culpæ quod agimus, sed malum pœnæ quod patimur. In statu enim innocentiæ non indiguisset homo tali sollicitudine; ac si dicat : Non oportet quod laboret cogitatus ad habendum vitæ necessaria, diemque præveniat, quia ad hoc sufficit dies quo necessaria sumere oporteat; cum enim pro se suam habeat sollicitudinem, non oportet addere aliam. Cur ergo malitiam malitiæ, laborem labori, curam curæ superaddere velis ? Non itaque pro malignitate ponitur hic malitia, sed pro labore et miseria. Sic enim dicere solemus, multa mala hodie passi sumus, quando aliquo magno labore vel miseria fatigamur. Unde *Chrysostomus :* « Malitiam vero hic non malignitatem vocat, sed miseriam et laborem. Sicut enim cum alibi dicit : *Si erit malum in civitate quam Dominus non fecit,* non avaritiam significat, ac rapinas, nec talium quidquam aliud omnino; sed eas profecto plagas quæ divinitus inferuntur, de quibus rursus loquitur per Prophetam : *Ego Dominus faciens pacem, et creans malum.* Neque enim hic malitiam voluit intelligi; sed pestilentias profecto et fames, ceteraque hujusmodi quæ mala esse putantur a plurimis; ita hic quoque malitiam pro afflictione posuit, dicens : *Sufficit diei malitia sua.* Nihil enim ita dolorem infert animæ, ut sollicitudo et cura : » hæc *Chrysostomus.* Itaque non labor et providentia damnatur, sed mentem præfocans cura. Et ideo, ut dicit *Augustinus :* « Hoc loco vehementer cavendum est, ne cum viderimus aliquem servum Dei providere, ne ista necessaria sibi, vel sibi commissis desint, judicemus eum contra præcepta Domini facere, et de crastino sollicitum esse. Nam et ipse Dominus cui ministrabant Angeli, propter exemplum et ad informandam Ecclesiam, loculos habere dignatus est, ne quis in hoc scandalum pateretur. Et iterum satis apparet Dominum nostrum non hoc improbare, si quis humano more ista procuret; sed si quis propter ista Deo militet, ut in operibus sui non regnum Dei, sed istorum acquisitionem intueatur. Ad hanc ergo regulam hoc totum præceptum redigit, ut etiam in istorum provisione regnum Dei cogitemus; in militia vero regni Dei ista non cogitemus, et simplici corde tantummodo propter regnum Dei debemus

Digitized by Google

operari bonum ad omnes; non autem in hac operatione, vel solam, vel cum regno Dei mercedem temporalium cogitare. Ita enim etiam si aliquando defuerint, quod plerumque propter exercitationem nostram Deus sinit, non solum non debilitant propositum nostrum, sed etiam examinatum propositum confirmant : » hæc *Augustinus*.

ORATIO

Domine Jesu Christe, fac me non thesaurizare in terra emolumenta terrenorum, sed in cœlo præmia meritorum; et quia nemo potest duobus dominis servire per contrarietatem obsequiorum, libera me a dominio et servitute mundi, carnis et diaboli, ut respiciam contemplationes cœlestes, non terrenas; adjice ad staturam naturæ meæ cubitum gratiæ in præsenti, et gloriæ in futuro, ut considerem lilia agri, devotos Ecclesiæ, coopertos virtutum candore, potiusquam fenum divites seculi mittendos in clibanum gehennæ. Quæram præcipue regnum Dei et justitiam ejus, ut cum viatico temporalium per viam virtutum perveniam ad regnum cœlorum. Amen.

CAPUT XXXIX

Sermonis in monte continuatio : De misericordia facienda, de non judicando, ac de fiducia orationis.

Lucæ cap. 6 et Matthæi cap. 7.

1 MISERICORDIÆ COMMENDATIO. — Post hæc hortatur nos Dominus ad misericordiam circa proximum faciendam, dicens : *Estote misericordes sicut et Pater vester misericors est.* Deus enim relevat miserias nostras, non exspectando aliquid a nobis, sed propter suam bonitatem; sic nos debemus moveri ad relevandum miseriam proximi, non propter nostrum commodum et emolumentum, sed propter illius salutem et divinæ bonitatis amorem; qui enim propter suum commodum vel emolumentum proximo consulit vel bene facit, non utique per charitatem hoc facit, quia non illius quem debet tanquam seipsum diligere, sed suam utilitatem quærit. Vult nos Dominus patrem imitari in misericordia qua nos miseri multum indigemus; non in potentia, quam superbe appetens diabolus in infernum est detractus; non in sapientia, quam appetens homo paradisum perdidit, immortalitatis spoliatus gloria. Magnum ergo præconium pietatis animabus nostris imprimit, quæ nos Deo conformes reddit. Naturale est omnibus animalibus ejusdem speciei ad invicem misericordiam servare; multo ma-

Digitized by Google

gis homo ad imaginem Dei conditus debet alter alteri tanquam coimagini suæ compati, et unus alterius miseriam cordis assumere velut suam, et in hoc consistit ratio misericordiæ. De pietatis operibus sic dicit *Hieronymus* : « Non memini me legisse mala morte mortuum, qui libenter opera pietatis exercuit; habet enim multos intercessores, et impossibile est multorum preces non exaudiri. »

2 PRIMA SPECIES MISERICORDIÆ : ALIOS NON JUDICARE. — Deinde ponit tres species misericordiæ, quarum prima consistit in non judicando. De multis enim incertum est quo animo fiant, cum possint simplici corde fieri aut duplici, et ideo bene subjungitur : *Nolite judicare,* scilicet injuste et temerarie de proximo, *et non judicabimini,* id est non incurretis peccatum per quod sitis digni a Deo judicari; et si forte ea humana fragilitate contingat vos suspiciose judicare, *nolite* tamen *condemnare,* id est aliquem dignum condemnatione dicere, *et non condemnabimini*, scilicet a Deo pro hoc peccato, quia aliquis est hodie pessimus, qui forte cras erit bonus. Circa istud sciendum est quod judicium uno modo est actus justitiæ pertinens ad judicem secularem, vel ecclesiasticum, et de hoc non loquitur hic. Alio modo accipitur judicium, prout aliquibus signis aliquis judicat de proximo male, et hoc prohibet, hic dicens : *Nolite judicare.* Potest autem aliquis malum judicare de proximo multipliciter : uno modo ex evidentia facti, ut cum aliquis judicat aliquem homicidam, quia vidit eum interficere hominem, et hoc nullum est peccatum; alio modo ex signis evidentibus, ut si aliquis judicet aliquem fornicatorem, quia vidit eum nudum cum nuda, solum cum sola, et hoc similiter nullum est peccatum; tertio modo ex signis levibus. Et in hoc judicio est triplex gradus. Primus est, quando ex levibus signis incipit aliquis dubitare de fratris bonitate; et hoc peccatum veniale est, quia procedit ex humana infirmitate, et hoc non vocatur proprie judicium, sed suspicio. — Secundus gradus est, quando talibus signis firmiter tenet in animo quod frater sit malus; et hoc proprie dicitur judicium, quia judicium importat firmam sententiam, et hoc est peccatum mortale, si malum quod judicat de fratre ex levibus signis sit de genere peccati mortalis, quia est contra charitatem. — Tertius gradus est, quando ex levibus signis non solum prædicto modo judicat, sed etiam procedit ad punitionem fratris, sicut de facto; et hoc est gravius, quia non solum est contra charitatem, sed etiam contra justitiæ æquitatem, et de talibus intelligitur verbum prædictum : *Nolite judicare,* etc. Prohibet Dominus ne temere judicemus vel condemnemus. Mali enim homines sæpe in malam partem judicant quæ vident vel audiunt. Boni autem in bonam partem interpretantur et non dubitant quin recte omnia fiant, Deo cuncta vel recte operante, vel juste permittente, et ideo de omnibus lucrum faciunt. Unde enim ait *Augustinus* : « In tribus consistit ordinatio bonorum in æstimando bonum de quolibet, in exhibendo bonum cuilibet, in sustinendo malum pro quolibet. » Unde et *Bernardus* : « Cave alienæ conversationis esse aut curiosus explorator, aut temerarius judex, etiam si perperam actum quid deprehendas, nec sic judices proximum, magis autem excusa. Excusa intentionem, si opus non potes, puta ignorantiam, puta surreptionem, puta casum. Quod si omnem omni-

Digitized by Google

no dissimulationem rei certitudo recusat, suade nihilominus ipse tibi, et dicito apud teipsum : Vehemens fuit nimis tentatio; quid de me illa fecisset, si accepisset in me similiter potestatem? » hæc *Bernardus*. De dubiis ergo judicare, et suspectos quasi reos condemnare, penitus repellit a nobis Dominus. Et ideo semper dubia sunt in melius interpretanda, et in dubiis beniginora sunt præferenda. Unde *Augustinus :* « Hoc loco nihil aliud nobis præcipi existimo, nisi ut ea facta quæ dubium est quo animo fiant, in meliorem partem interpretemur. Sunt enim quædam facta media quæ ignoramus quo animo fiant, quia et bono et malo fieri possunt, de quibus temerarium est judicare, maxime ut condemnemus. Duo autem sunt in quibus temerarium judicium cavere debemus, cum incertum est quo animo quid factum sit, vel incertum est qualis futurus sit qui nunc malus vel bonus appareret. Non ergo reprehendamus ea quæ nescimus quo animo fiant, neque ita reprehendamus quæ manifesta sunt, ut desperemus sanitatem; et vitabimus judicium de quo nunc dicitur : *Nolite judicare* ne judicetur de vobis : » hæc *Augustinus*. Unde et *Chrysostomus :* « Non oportet exprobrare delictum neque illum qui peccato aliquo sit præventus insolenter obruere, sed clementer monere; neque persequi jurgio, sed juvare consilio. Non enim illum, sed temetipsum profecto condemnas, et facis tibi terribilius esse judicium, cogisque adversus te diligentissimam fieri, etiam de minimis, ultionem. Ut enim diligentius peccata examinentur tua, legem primus ipse posuisti severius de his quæ proximus peccaverit judicando. Sunt autem hæ diabolicæ tentationis insidiæ. Nam qui severe discutit aliena, nunquam propriorum reatuum merebitur veniam. » Et iterum : « Si nullum nobis aliud peccatum fuisset admissum, pro hoc solo gehennæ nos tradi satis abundeque sufficeret. Quippe qui in aliorum delictis severi et amarissimi judices residemus, nostras autem trabes oculis infixas propriis non videmus, qui aliena, etiam minima, tam sollicite perscrutamur, et ad condemnandos ceteros omne vitæ nostræ tempus absumimus; a quo vitio, neque seculi hominem, neque monachorum ullum facile invenias liberum : » hæc *Chrysostomus*. *In quo enim judicio,* id est pro quali, scilicet justo vel injusto, misericordi vel duro, *judicaveritis,* alios, *judicabimini,* a Deo; *et in qua mensura mensi fueritis,* aliis modo, *remetietur vobis,* scilicet in judicio, id est juxta qualitatem temeritatis in judicando, erit qualitas pœnæ, et secundum mensuram pravæ voluntatis, erit mensura retributionis in futuro. Comminatur ergo duo, scilicet judicium et mensuram; judicium refertur ad culpæ et pœnæ qualitatem, mensura ad earum quantitatem. Et, secundum *Augustinum,* non est intelligendum si temere nos judicaverimus, quod temere de nobis Deus judicabit; aut si mensura iniqua mensi fuerimus, quod apud Deum iniqua mensura nobis remetietur, sed quoniam temeritas qua punis alium, eadem ipsa te puniet. Unde non accipitur hic æqualitas iniquitatis ad iniquitatem; sed culpæ ad pœnam, ut qui per culpam male judicat, per pœnam justi divini judicii mala sustineat, et juxta mensuram culpæ sit mensura pœnæ. Ad hunc sensum etiam retorquetur illud : Qui gladio, scilicet iniquæ sententiæ, judex quemque percusserit, gladio divinæ sententiæ juste ferietur, et æterna morte morietur.

Digitized by Google

3 SECUNDA SPECIES MISERICORDIÆ : ALIIS DIMITTERE. — Deinde ponit secundam speciem misericordiæ, quæ consistit in dimittendo, cum subjungit : *Dimittite,* scilicet injurias vobis illatas a proximo, et debita vobis a pauperibus, *et dimittetur vobis,* scilicet peccatum vestrum a Deo, cui frequenter injuriati estis, et debitum quod Deo debetis.

4 TERTIA : INDIGENTIBUS DARE. — Et ponit tertiam speciem, quæ consistit in dando, cum addit : *Date,* scilicet indigentibus beneficia temporalia, *et dabitur vobis,* scilicet vita æterna. Indivisibiles enim socii sunt dimittere et dimitti, ac similiter dare et dari. Unde *Augustinus :* « Duo sunt opera misericordiæ quæ nos liberant : *Dimittite, et dimittetur vobis; date et dabitur vobis. Dimittite et dimittetur vobis,* ad ignoscendum pertinet; *date et dabitur vobis,* ad beneficium præstandum. Ignosci vobis vultis, ignoscite, *dimittite, et dimittetur vobis;* accipere vultis, *date et dabitur vobis.* » Et secundum eumdem *Augustinum,* hæ sunt duæ alæ orationis, quibus volat ad Deum, si illud quod committitur, ignoscit delinquenti, et donat egenti. Unde et *Beda :* « Dimittere nos injurias et dare beneficia jubet, ut et nobis peccata dimittantur, et vita detur æterna. » Quæ sententia brevis, sed eximia, cuncta quæ latissime de conversando cum inimicis mandaverat comprehendendo concludit. Et quia, ut ait Jacobus : *Judicium sine misericordia fiet ei qui non fecerit misericordiam,* multum nobis insistendum est circa misericordiam in proximorum necessitatibus, ut et nos eam in nostris necessitatibus reperiamus. Ut enim ait *Augustinus :* « Unusquisque talem indulgentiam accepturus est a Deo, qualem et ipse dedit proximo suo. » Et iterum : « Hoc unum remedium est de malis evadendi, ut infirmitatem aliorum ferat, et eis quantum potest opituletur, qui suæ divinitus desiderat subveniri, et dimittat sicut sibi vult dimitti. *Beati* enim *misericordes, quoniam* ipsorum miserebitur Deus. » Ubi nota ex vitis Patrum, quod cum fratres cujusdam monasterii multum abundarent, et ad pauperes multum liberales essent, tandem eleemosynas dimiserunt et ipsi egere cœperunt. Quod cum viro sancto referrent, ait : Duo socii in isto monasterio consueverunt habitare, scilicet : *Date, et dabitur vobis,* vos expulistis primum, et noluit secundus remanere. Deinde ex ubertate præmii liberales nos facit Dominus ad benefaciendum, et misericordiam impendendum, quia illi quibus fit dabunt, id est erunt causa quare Deus dabit nobis præmium. Nam per ipsorum intercessionem et merita, quibus vel calicem aquæ frigidæ dederimus, dabit nobis in æterna beatitudine mercedem; et *mensuram bonam,* id est justam, quia secundum meritorum exigentiam, *et confertam,* id est plenam, quia supra condignum, *et coagitatam,* quia supra desideratum, *et superefluentem,* quia supra coagitatum. Vel præmium quo remuneramur misericordes describendo, dicit: *mensuram,* quia unicuique distribuitur præmium juxta mensuram meritorum; et *bonam,* quia bonum est illud beatitudinis præmium, imo bonum omnis boni, complectens in se quæcunque sunt bona; *et confertam,* id est plenam, plena namque erit anima cœlesti beatitudine, ita ut nihil ejus sit vacuum a gloria; *et coagitatam,* id est firmam, quæ enim firma esse volumus, coagitamus, id est quassamus, sic præmium beatorum erit stabilitum et securum; *et superefluentem,* id est abundantem, quia excedit merita

Digitized by Google

nostra, dedimus temporalia pro æternis, mundana pro divinis. Et dicit: *Dabunt in sinum vestrum,* quia, secundum *Gregorium,* nihil securius et amabilius eo quod in sinu collocamus. Deinde ponitur æquitas retributionis, cum subditur : *Eadem quippe mensura qua mensi fueritis,* in merito, *remetietur vobis,* in præmio. Non dixit in tanta, sed in eadem, id est consimili; qui enim bene facit, bene fiet ei, quod est remetiri eadem mensura ; sed *supereffluentem* dicit, quia millies bene faciet ei et ultra; Deus enim abundantius præmiat quam mereamur, sicut et minus punit quam demereamur. Generaliter autem de omnibus quæ mente, lingua, manu gerimus, accipi potest, quia reddet Deus singulis secundum opera eorum; et secundum quod opera pietatis sunt majora, similiter erit retributio divina. Ista tamen majoritas non est attendenda semper secundum magnitudinem operis exterioris; sed secundum magnitudinem affectus interioris. Unde et vidua quæ misit duo minuta in gazophylacium, secundum testimonium Salvatoris, dicitur plus misisse quam multi divites, qui magna dona miserunt in ipsum.

5 Similitudo cæci cæco ducatum præstantis. — *Dicebat autem illis similitudinem : Numquid potest cæcus cæcum ducere,* id est stultus stultum docere, et dirigere in regulam justitiæ? *Nonne in foveam,* et perditionem, *ambo cadunt,* scilicet primo culpæ, et deinde gehennæ? Nam, ut ait *Gregorius :* « Cum pastor per abrupta graditur, consequens est ut grex ad præcipitium sequatur. Quasi diceret Dominus : Prædicta facere debetis, ut illuminantes verbo et exemplo alios gubernare possitis, ne sitis de cæcis speculatoribus synagogæ, non Ecclesiæ; ridiculosa res est, imo magis periculosa, speculator cæcus, doctor inscius, præcursor claudus, prælatus negligens, præco mutus. Ergo ratione vitandi periculi non debet ignorans præsidere. Si ergo tu alium judicas, et ipse in eisdem peccas, jam cæco cæcum ducenti assimilaris. Quomodo enim ille a te ducetur ad bonum, cum et tu pecces qui te doctorem putas et magistrum? »

6 Similitudo festucæ et trabis. — Deinde inducit et aliam similitudinem, de eodem dicens : *Quid autem,* id est quare et quomodo, *vides,* et consideras, *festucam,* id est parvum et leve peccatum, quod tamen oculum non excæcat, et de facili sicut festuca consumitur ardore charitatis, *in oculo,* id est in intentione et conscientia, *fratris tui; trabem autem,* id est magnum et grave peccatum, *in oculo tuo,* id est in intentione et conscientia tua, *non consideras?* Quasi diceret : Cur habes oculum apertum ad judicandum minima et aliena, clausum vero ad judicandum tua magna, et consideratione tui relicta, consideras aliorum errata? Convenit autem hoc omnibus et maxime doctoribus, qui cum subditorum minima peccata puniant, propria impunita relinquunt. *Aut quomodo,* id est qua conscientia, aut qua fronte dicis, *fratri tuo,* minus peccanti vel innocenti, *Frater,* loquendo simulatorie *sine,* id est patienter sustine et permitte, *ejiciam festucam,* id est culpam, licet modicam, *de oculo tuo,* id est de conscientia et intentione tua te corripiendo; *ipse in oculo tuo trabem non videns?* Quasi diceret : Hoc non potes dicere ordinate. Ut enim dicit *Chrysostomus :* « Videre festucam et ejicere non est omnium, sed doctorum et Sanctorum. » Et quia, secundum eumdem *Chrysostomum,* omnis sacerdos qui vult docere populum, debet prius docere seipsum, ideo bene se-

Digitized by Google

quitur : igitur tu *hypocrita*, id est simulator et repræsentator personæ alienæ, quia sæpe malus bonum arguit ut justus videatur, et alium accusat, ut se extollat, *ejice primum*, per collyrium pœnitentiæ, *trabem*, majoris peccati, *de oculo tuo*, et conscientia, quia magis tui quam alterius es cognitor, quia magis vides majora quam minora, quia magis te diligis quam alium, quia in majori peccato majus est periculum ; *et tunc*, scilicet cum mundatus fuerit oculus tuus, videbis et, *perspicies, ut educas festucam*, minoris peccati, *de oculo*, et conscientia, *fratris tui*, ipsum arguendo, quia oculus conscientiæ purgatus videre potest, sed nube et caligine peccati cæcatus non potest. Sic facias, ut exemplo potius quam dictis fratrem emendes, ne tibi dicatur : *Medice, cura teipsum*, et illud Apostoli : *Qui alium doces, teipsum non doces*. Sic est ordo charitatis, quod a seipso incipiat, et prius se ac postea alios corrigat et emendet.

7 Regulæ circa correctionem fraternam. — Circa correctionem enim proximi attendi debet : ordo correctionis, scilicet ut homo prius se corrigat, deinde proximum ; modus mansuetudinis, causa movens, scilicet zelus charitatis ; circumstantia loci et temporis ; æstimatio eventus sequentis. Propemodum et fere naturale est ut quilibet peccata sua leviget, et aliena aggravet. Unde dicit *Hilarius*, quod vix invenitur aliquis ab hoc vitio alienus, quia unusquisque vitiis suis favens aliena facile reprehendit. Et ideo, ut ait *Augustinus* : « Pie cauteque vigilandum est, ut cum aliquem reprehendere vel objurgare necessitas coegerit, primum cogitemus utrum tale sit vitium quod nunquam habuimus. Et si nunquam habuimus, cogitemus et nos homines esse, et habere potuisse. Si vero habuimus, et non habemus, tangat memoriam communis infirmitas, ut illam reprehensionem aut objurgationem non odium, sed misericordia præcedat. Si autem cogitantes nosmet invenerimus in eo vitio in quo est ille quem reprehendere parabamus, non reprehendamus, neque objurgemus, sed tantum congemiscamus ; et non illum ad obtemperandum nobis, sed ad pariter conandum invitemus. Raro ergo et magna necessitate objurgationes adhibendæ sunt, ita tamen ut etiam in his non nobis, sed Deo ut serviatur instemus : » hæc *Augustinus*. In omnibus istis, ut dicit *Basilius*, considerandum est quantæ sit difficultatis alios judicare, quia oportet ut primo seipsos judicent et conspiciant, quod videtur gravissimum omnium, quia cum oculus cuncta videat exteriora, tamen super se visu non utitur ; ita intellectus cum alienum corrigit peccatum, difficile est proprios defectus percipere. Advertendum tamen, quod crimina arguentis aut sunt publica, aut occulta : si publica, peccat dupliciter arguendo, scilicet peccato præsumptionis, et peccato scandali ; si autem sunt occulta, tunc peccat primo modo tantum ; si tamen iste qui arguit primo pœniteat, et post ea humiliter arguat, non peccat.

8 Sanctum non mittendum canibus. — Sed quia aliqui Dei præceptis obtemperare cupientes, quandoque aperiendo ea quæ hi quibus aperiuntur capere et sustinere non possunt, amplius nocent quam si occultarent, recte subjungit : *Nolite sanctum*, id est sacræ Scripturæ mysteria et fidei secreta, vel etiam ecclesiastica sacramenta, *dare*, id est publicare et revelare prædicando mysteria, vel dispensando sacramenta *canibus*, id est oblatrantibus detractoribus, et veritatis oppugnato-

Digitized by Google

ribus, *neque mittatis margaritas,* id est quod sanctum, *ante porcos,* id est contemptores et derisores, *ne forte conculcent eas*, scilicet porci contemnendo et fastidiendo, *pedibus suis,* scilicet intellectu et affectu, *et conversi,* scilicet canes, ab eo quod audierunt a vobis, *dirumpant vos,* reprehendendo et blasphemando, ac fidei simplicitatem et veritatem impugnando. Ut enim ait *Augustinus :* « Duæ res faciunt magna non recipi, scilicet contemptus et odium; primum ad porcos, secundum ad canes refertur. Cavendum est ergo, ne quid aperiatur ei qui non capit; melius enim quærit quod clausum est, quam id quod apertum est, aut infestet per odium ut canis, aut negligat per contemptum ut porcus. »

9 Orandi necessitas. — Et ne possit aliquis ignorantiæ suæ conscius dicere, quod sanctum me dare canibus prohibes, et quas margaritas mittere ante porcos, cum adhuc me habere non videam? Opportune subjecit, dicens : *Petite,* in fide, et orando, *et dabitur vobis; quærite,* scilicet in spe, et recte vivendo, *et invenietis; pulsate,* scilicet in charitate et perseverando, *et aperietur vobis.* Ubi *Chrysostomus :* « Quoniam majora erant mandata superius posita, quam virtus humana, transmittit eos ad Deum, cujus gratiæ nihil est impossibile, dicens : *Petite, et dabitur vobis,* ut quod ex hominibus consummari non potest, per gratiam Dei adimpleatur. Cum enim alia animalia Deus muniverit, veloci pedum cursu, aut velocibus pennis, aut unguibus, aut dentibus, aut cornibus; hominem solum sic disposuit, ut virtus illius sit ipse, ut infirmitatis suæ necessitate coactus, semper necessarium habeat Dominum suum. » Ubi et *Hieronymus :* « Si petenti datur, et quærens invenit, et *pulsanti aperietur;* ergo cui non datur, et qui non invenit, et cui non aperitur, apparet quod non bene petierit, quæsi erit, pulsaverit. » Et *Chrysostomus* iterum : « Petentis negligentia reprehenditur, ubi de dantis misericordia non dubitatur. » Unde etiam *Augustinus :* « Dominus Jesus Christus, inter nos petitor, cum Patre dator; non utique nos tantum hortaretur ut peteremus, nisi dare vellet. Erubescat humana pigritia, plus vult ille dare, quam nos accipere. Plus vult ille misereri, quam nos a miseria liberari. Nam ille quod nos hortatur, propter nos hortatur. Evigilemus, et hortati credamus promittenti; obsecremus, ut et dantem gaudeamus : » hæc *Augustinus.*

10 Orationis exauditio. — Sciendum vero quod oratio est exaudibilis, tribus concurrentibus : primum est, quod sit pia et justa, id est de pertinentibus ad salutem, quia exaudiri in aliis quandoque non expedit; secundum est, quod sit perseverans, id est non interrupta per aliquid orationi contrarium, quia non cessat orare, qui non cessat benefacere; tertium est, quod oret pro se, quia licet aliquis pie et perseveranter pro alio oret, oratio tamen posset impediri propter demeritum illius pro quo oratur; sed tribus prædictis concurrentibus, semper exauditur. Et hoc est quod notatur in tribus verbis hic positis, scilicet : *petite,* pie; *quærite,* perseveranter; *pulsate, et aperietur vobis,* ex quo patet quod loquitur de oratione facta pro se, cum dicit *et aperietur vobis.* Et quia istis concurrentibus, semper exauditur oratio : ideo ne homines desperent in sua oratione exaudiri, subdit *omnis,* spem conferens impetrandi : *Omnis enim,* inquit, *qui* credendo *petit* sicut debet, *accipit; et qui* sperando *quærit* sicut debet,

Digitized by Google

invenit; et operando *pulsanti aperietur.* Ergo perseverantia opus est ut accipiamus quod petimus, inveniamus quod quærimus, et quod pulsamus aperiatur. Hac enim tanta conculcatione verborum, manifeste Dominus ostendit quam sollicitos, molestos et importunos, violentos et improbos, ad petendum nos esse velit. Unde et quidam ait :

.....*Labor improbus omnia vincit.*

Illud enim quod ad salutem petitur, non semper statim datur; sed differtur, ut congruo tempore detur, et ut ex dilatione charius habeatur, quia diu desiderata dulcius obtinentur, cito autem data vilescunt. Expedit etiam ut ab otiosa locutione abstineat, qui in oratione exaudiri desiderat. Quia, secundum *Gregorium*, os nostrum ab omnipotente Domino, tanto minus exauditur in prece, quanto amplius inquinatur stulta locutione. Conetur etiam orans, ut seipsum intelligat, si vult quod Deus eum exaudiat. Nam, secundum *Ambrosium*, illam orationem Deus non audit, ad quam iste qui orat non intendit. Vult Deus fideliter peti a se, quod disposuit petentibus erogare. Unde *Bernardus :* « Vult autem a se requiri Deus etiam quod pollicetur. Et ideo forte multa quæ dare disposuit, prius pollicetur, ut ex promissione devotio excitetur; sicque quod gratis daturus erat, devota oratio promereatur. Non autem dicit Dominus quid accipit petens, vel quærens, aut pulsans, quia quandoque exauditur ad votum, ut cum datur id quod petitur, quandoque ad meritum, ut cum aliquid æquivalens, vel melius datur. Aliquando enim Sancti, non recipiendo quod petunt, magis exaudiuntur, quam si illud reciperent. » Unde *Augustinus :* « Nolite pro magno habere, ad voluntatem a Deo exaudiri. Aliquando Deus quasi iratus dat quod petis; et propitius, negat quod petis. Quid prosit et quid non, medicus novit, quia Deus si voluntati nostræ non dat, saluti dat. Quid enim si hoc petieris quod tibi obest, et medicus novit quia obest tibi? Fratres, discite rogare Deum, ut medico committatis. Quod ipse novit, faciat. Tu morbum confitearis, ille medicamentum adhibeat. Non te exaudit ad voluntatem, sed exaudit ad salutem. Non fit quod vis, sed fit quod tibi expedit : » hæc *Augustinus.* Unde et *Bernardus :* « Nemo vestrum parvipendat orationem suam, quoniam ipse ad quem oramus, non parvipendit eam; sed aut dabit quod petimus, aut quod novit utilius. Frequenter Dominus discipulos ad orandum monuit, sæpe opere comprobavit, et exempla plura ad hoc eis proposuit, ut nobis virtutem orationis commendaret. Est quippe virtus ejus inæstimabilis et efficax ad omnia bona et proficua impetranda, ac mala et nociva repellenda. Si ergo vis patienter adversa tolerare, ora. Si vis pravas affectiones conculcare, ora. Si vis astutias Satanæ cognoscere et fallacias ejus evitare, ora. Si vis lætanter in opere Dei vivere, ac laboribus et afflictionibus non cedere, ora. Si vis in spirituali vita te exercere et carnis curam in desideriis non agere, ora. Si vis vanarum cogitationum muscas effugare, ora. Si vis animam tuam sanctis et bonis cogitationibus ac desideriis, fervoribus et devotionibus impinguare, ora. Si vis cor tuum virili spiritu et constanti proposito in Dei beneplacito stabilire, ora. Si vis vitia exstirpare et virtutibus imbui, ora. Si vis ad contemplationem ascendere et Sponsi amplexibus frui, ora. Si vis cœlestium dulcedinem et alia Dei magnalia degustare, ora. Et breviter, in quacunque necessitate oratio valet, quæ spiritus malos a nobis

Digitized by Google

fugat, et bonos ad nos vocat. » Unde *Beda* : « Sicut fur audito clamore fugit, et vicini excitantur, et veniunt ad succurrendum, ita clamor orationis diabolum fugat, et Angelos ac Sanctos omnes ad succurrendum excitat. » Unde iterum *Bernardus* : « Inter Babylonem et Jerusalem est nuntius fidelissimus, Regi bene notus et curiæ, oratio scilicet, quæ in secreto noctis silentio, per ignotas semitas, arcana cœli penetrare, et cubiculum Regis adire, et opportuna importunitate impii Regis animum ad auxilium mittendum inflectere novit : » hæc *Bernardus*.

11 Potentia et virtus orationis. — Vides quam magnæ potentiæ et virtutis sit oratio. Ad quorum omnium probationem, omissis Scripturarum probationibus, hoc tibi sit pro efficaci probatione, quod audivimus et videmus quotidie per experientiam illitteratas et simplices personas, prædicta et plura alia, etiam majora, per orationem impetrare. Magnum quippe signum est gratiæ Dei vacare frequenter orationi. Unde *Augustinus* : « Cum videris non a te amotam deprecationem tuam, securus esto, quia non est amota a te misericordia ipsius. » Et ut breviter utilitatem orationis dicam, multum est necessaria ad salutem promerendam. Unde idem *Augustiuus* : « Nullum credimus ad salutem, nisi Deo invitante, venire; nullum invitatum, nisi Deo adjuvante, bona operari; nullum, nisi orantem, Dei auxilium promereri. Vaca igitur orationi, nihilque aliud, necessariis curis tantum exceptis, te delectet, nisi oratio, quia nihil tantum te delectare debet, quantum morari cum Deo, quod fit per orationem. » Unde et *Chrysostomus* : « Considera quanta est tibi concessa felicitas, quanta gloria attributa orationibus fabulari cum Deo, cum Christo miscere colloquia, optare quod velis, quod desideras postulare. »

12 Similitudo amici dantis ex tædio. — Deinde auget orantibus obtinendi fiduciam, a minoribus consurgens ad majora, confirmans superius promissum per exempla. Et ponit primo similitudinem de amico, qui propter importunitatem et constantiam amici, media nocte venientis, et petentis, surgit, et panes necessarios commodat. Si enim homo perseveranter petenti dat ex tædio, multo magis Deus perseveranter petenti dat ex amicitia. Unde *Beda* : « Comparatio est a minore. Si enim amicus homo surgit de lecto, et dat, non amicitia, sed tædio compulsus, quanto magis dat Deus, qui sine tædio largissime donat quod petitur; sed ad hoc se peti vult, ut capaces donorum ejus fiant qui petunt. » Unde et *Augustinus* : « Non propter amicitiam, quamvis amicus sit, sed propter importunitatem, quia pulsare non desistit, quia et cum esset negatum, non se avertit; ille qui nolebat dare quod petebatur fecit, quia in petendo non defecit. Quanto magis dabit bonus Pater, qui nos hortatur ut petamus, cui displicet si non petamus? » Ubi etiam *Ambrosius* : « Media nocte perrexit, ut omnibus momentis, non solum diebus, sed etiam noctibus, oratio deferatur. Et ideo scriptorum memores, noctibus ac diebus orationi instantes, peccatis nostris veniam postulemus. Nam si ille tam sanctus et qui regni erat necessitatibus occupatus, *septies in die laudem* Domino dicebat, matutinis et vespertinis sacrificiis intentus, quid nos facere oportet, qui eo amplius rogare debemus, quo frequentius carnis ac mentis fragilitate delinquimus, ut de via lassis, et istius seculi cursu, ac vitæ hujus anfractu graviter fatigatis, panis refectionis deesse non possit, qui *hominis cor*

Digitized by Google

confirmet? Nec solum media nocte Dominus, sed omnibus prope docet vigilandum esse momentis. Vigilandum est semper, multæ enim insidiæ sunt nobis, et gravis corporis somnus, quia si dormire mens cœperit, vigorem suæ virtutis amittet. Excita igitur somnum tuum, ut pulses ostium Christi : » hæc *Ambrosius*.

13 Similitudo patris dantis ex amore. — Secundo ponit similitudinem de patre carnali, qui dat filiis suis bona data et necessaria quæ petunt. Et ponit exemplum de tribus, per quæ intelliguntur quæ a Deo postulare debemus. Primum est panis, et significat charitatem, quia sicut sine pane omnis mensa inops dicitur; sic sine charitate omnis virtus vana et inanis est, et omne opus bonum perditur. Huic opponitur duritia cordis, quæ per lapidem intelligitur. Et pro utroque istorum debet orari, ut scilicet charitas detur, et duritia cordis auferatur. — Secundo ponit exemplum de pisce, per quem intelligitur fides, quia sicut piscis in aqua nascitur et in fluctibus aquæ non moritur, sed potius purgatur et melioratur; sic in Baptismo fides nascitur et inter tribulationes et fluctus angustiarum hujus mundi non exstinguitur, sed potius purgatur. Huic contrarius est serpens, propter venenum infidelitatis. Istam fidem debemus petere a Deo, et non dabit nobis serpentem, id est infidelitatem, aut doctrinam, vel perversitatem hæreticorum, quæ per serpentem intelligitur. — Tertio ponit exemplum de ovo, et significat spem, quia sicut in ovo nondum est fœtus perfectus, sed sola spes fœtus; sic spes non est de habitis, sed habendis. Unde sicut ab ovo exspectatur pullus, si ovum a matre fuerit calefactum; sic æterna beatitudo a spe exspectatur, si spes a matre conscientia incalore charitatis conservatur. Huic contrariatur scorpio, cujus venenata est cauda. Hanc spem debemus petere a Christo, et non dabit nobis scorpionem, qui pungit cauda, et occidit, et mortem inferni inducit. Tres virtutes prædictas petere debemus, quia sine eis non est salus. Si ergo homo qui malus est, ad comparationem divinæ bonitatis et clementiæ, respectu cujus nemo est bonus, qui etiam ideo malus dicitur, quia ad malum est pronus : dat *bona data* sibi a Deo, scilicet temporalia, filio petenti, multo magis Pater noster cœlestis, qui ex natura sua bonus et pius est, per essentiam, *dabit spiritum bonum*, id est bona spiritualia, scilicet gratiam et gloriam, *petentibus se*, non renuentibus. Vocat autem omne bonum spirituale spiritum bonum, quia, secundum *Augustinum*, Spiritus Sanctus est primum donum, in quo omnia donantur. Ubi idem *Augustinus* : « Non denegabit se petentibus, qui sponte obtulit se non petentibus. Et præter hæc omnia, qui *proprio Filio suo non pepercit*, sed pro *omnibus tradidit illum*, et dedit ad occidendum, quomodo nobis non cuncta quæ petimus donabit? Dabit autem ea quæ præcepit, si fecerimus. » Et iterum : « Qui vult audiri a Deo, prius audiat Deum. Qua fronte postulas quod promisit Deus, si non facis quod jussit Deus ? Prius audi monitiones, et sic exige promissiones. Qui a præceptis Dei avertitur, quod in oratione postulat non meretur : » hæc *Augustinus*.

14 Quid faciendum sit aliis ex præcepto legis naturalis?—Deinde ostendit per quid oratio a parte orantis exaudibilis sit, et ad meritum exauditionis concludendo, subjungit : *Omnia ergo quæcunque vultis*, scilicet rationabiliter et dictante charitate, *ut faciant vobis homines*, scilicet utiliter et ordinate,

Digitized by Google

eadem et vos facite eis, scilicet loco et tempore. Qua enim fronte petis Dominum tuum, qui non agnoscis parem tuum? Quasi dicat: Si vultis petita accipere, quæsita invenire, pulsantes intrare, ergo vos facite aliis quæ vobis fieri vultis ab illis; sic nec ab aliis exspectetis, quod illis non feceritis. Ubi *Chrysostomus:* « Ac si diceret, si ergo cupitis audiri, præter illa quæ dixi, etiam ista perficite. Vidisti certe, quia cum oratione opus sit etiam disciplina virtutum. Quæ vis tibi fieri a conservo, ea tu erga proximum, inquit, ostende. Quid unquam hoc præcepto, aut levius invenitur, aut justius? » hæc *Chrysostomus.* Et quia justi faciunt hæc omnia, ideo, *multum valet deprecatio justi assidua.* Justus quippe fortis turris et murus est in adversis, et se et alios defendit ab eis. Unde figura in Numeris est, ubi dicitur quod Aaron stans inter mortuos et vivos, deprecatus est, et plaga cessavit, et ab incendio eos liberavit. Unde et super illo verbo Genesis: *Non delebo propter decem,* dicit *Ambrosius:* « Hinc discamus quantus murus sit patriæ homo justus. Illorum fides vos servat, justitia ab odio divino nos defendit. » Unde et *Gregorius:* « Melius pugnat vir justus orando, quam innumeri præliatores pugnando. Oratio enim viri justi cœlos penetrat, quomodo ergo in terris hostes non vincat? » Et nota quod cum dictum sit *omnia,* hoc mandatum non implet, qui aliquid talium omittit, præcipue quando illud facere potest, nisi majus bonum illud excuset. Quid ergo dicetur de illis, qui non tantum omittendo, sed alios multipliciter affligendo, quod sibi nolunt fieri, aliis facientes, hujus mandati transgressores efficiuntur? Dici potest quod perfecti tenentur ad utrumque, scilicet nihil talium omittere, et nihil molestum, quod sibi nollent, aliis inferre. Imperfecti autem tenentur ad ultimum, sed non ad primum, nisi in casu necessitatis; quia primum in tali casu, est præcepti, sed in aliis, est supererogationis. Cum ergo sit duplex præceptum legis naturalis: unum negativum, de quo in Tobia dicitur: *Quod ab alio tibi oderis fieri, vide ne aliquando alii facias;* aliud affirmativum, de quo hic habetur; in hoc affirmativo, negativum illud intelligitur. Unde *Chrysostomus:* « Cum enim sunt duæ viæ, quæ ducunt ad virtutem, scilicet abstinentia mali, et operatio boni, hanc ponit per istam et illam significans: » hæc *Chrysostomus.* Et istud affirmativum ad majorem perfectionem obligat, quam negativum, et ideo rationabile fuit, ut affirmativum poneretur in Nova Lege, quæ majoris est perfectionis. Ibi malum facere interdicimur, hic autem etiam malis bona facere jubemur. Quia enim *charitas patiens et benigna est,* non tantum injurias proximi fortiter sustinet, sed ejus quoque gratiam benigne prævenit, ut beneficiis ad amorem trahat. Perpende quantæ perfectionis sit hoc mandatum, cujus est affectus, non amantem beneficiis cogi ad amorem. Unde non ait, prout faciunt, facite; sed, *prout vultis ut faciant vobis, facite illis.* Qui hanc regulam observaret, nullum ostenderet, sicut a nullo vellet offendi, et aliis bona impenderet, sicut ab aliis vellet sibi impendi. Qui enim cogitat, ut ea alteri faciat, quæ sibi ab altero fieri exspectat, pensat nimirum ut malis bona, et bonis meliora exhibeat.

15 Summa Legis et Prophetarum in quo consistat? — Et declarans istius præcepti præconium, consequenter adjungit: *Hoc est enim Lex et Prophetæ,* id est impletio legis naturalis, quia hæc lex naturalis scripta est in corde homi-

Digitized by Google

nis, et insita nobis, per quam quid sit virtus et vitium dignoscimus; ac impletio legis Mosaicæ, et propheticæ prædicationis, quia nihil dictum videtur quam diliges proximum tuum tanquam te ipsum, quod tamen ex Dei dilectione, est faciendum. Quasi diceret : In hoc uno implentur, et ad hoc tendunt, et propter hoc sunt, et hoc docent Lex et Prophetæ, et omnes sacræ Scripturæ. Omnia enim præcepta ordinantia hominem ad proximum, non sunt nisi quædam conclusiones ex isto principio derivatæ. Unde dicit Apostolus : *Qui enim diligit proximum, Legem implevit.* Ubi et *Chrysostomus :* « Brevi sermone omnia quæ saluti ac fidei nostræ erant necessaria, Dominus comprehendit, ut ea quæ nobis ab aliis fieri volumus, ipsi quoque aliis similiter faciamus. In quo mandato universa præcepta Legis ac Prophetarum consistere Dominus aperte monstravit, dicendo : *Hoc est enim Lex et Prophetæ.* Nam quæcunque Lex et Prophetæ sparsim in omnibus præceperunt Scripturis, in hoc compendioso continentur mandato, quasi innumerabiles arborum rami in una radice. Qui ergo ab aliis nobis, non nisi bona et utilia fieri volumus, ipsi quoque vicem gratiæ amorisque rependere debemus, ut præcepta Legis ac Prophetarum implentes, retributionem fidei a Domino consequamur : » hæc *Chrysostomus. Jugum* ergo Domini *suave est et onus* ejus *leve,* ut in tam brevi regula ejus Lex et præcepta ad proximum compleantur. Nam alio loco, de duobus istis præceptis, scilicet de dilectione Dei et proximi loquens, non tantum ait : *Lex pendet in his et Prophetæ,* sed addidit: *Tota Lex, et omnes Prophetæ.* Quod cum hic non addidit, servavit locum alteri præcepto, quod ad dilectionem Dei pertinet. Quidam tamen volunt, quod hic comprehendatur etiam dilectio Dei, sine qua non impletur charitas proximi, quia nec proximus sine Deo, nec Deus sine proximo, diligitur. Considera nunc præmissa Domini præcepta, et vide quam rarus sit, qui observet ea. Præcepti quidem affirmativi hic in Evangelio positi, scilicet : *Omnia ergo quæcunque vultis ut faciant vobis homines, eadem et vos facite eis,* nescio si observator aliquis possit hodie reperiri. Præcepti vero negativi, in Tobia positi, scilicet : *Quod ab alio tibi oderis fieri, ne facias alii,* et si sint operarii, sunt tamen valde pauci, quia, ut dicit *Chrysostomus,* nos e contrario omnia facimus hominibus, quæ ipsi pati nolumus. Hoc quippe non solum in secularibus, sed et in quibusdam patet religiosis, qui sæpe in personis et rebus, sive utiles aliis subtrahendo, sive de inutilibus se expediendo, fratribus suis injuriam faciunt. Sicque in his et ceteris modis variis, contra prædictum Domini mandatum, id faciunt, quod ipsi pati nollent, nec mirum si in futuro patientur quod nollent.

ORATIO

Domine Jesu Christe, qui docuisti nos facere omnibus misericordiam, et non judicare quemquam; da mihi quod doces perficere, ut tibi per te valeam complacere; hortaris nos ut oremus, et utique conferre vis, qui semper commones ut rogeris. Peto ergo, quia jubes; quæro, quia præcipis; pulso, quia injungis. Qui me fecisti petere, fac accipere; qui dedisti quærere, da invenire; qui docuisti pulsare, aperi pulsanti, ut possit intrare. A te habeo desiderare, a te habeam impetrare. Dona quod offeram, custodi quod exigas, ut velis coronare quod præstas. Amen.

Digitized by Google

CAPUT XL

De arcta via, etc., et conclusione sermonis Domini in monte.

Matthæi cap. 7.

1 PORTA ET VIA AD VITAM ANGUSTÆ SUNT; AD PERDITIONEM VERO SPATIOSÆ. — Et quia multa et admiranda Dominus præceperat, cunctisque passionibus suos esse liberos jusserat, ne aliquis diceret, quia importabilia sunt ista prorsus, ac dura arcta via est ista, valde difficilis observationis sunt ista mandata, subdit monitionem, dicens : *Contendite,* ergo et sollicite satagite, *intrare per angustam portam,* non per latam. Quasi diceret : Quamvis prædicta sint difficilia et angusta, tamen meritoria sunt et introitus ad cœlestia. Et notanter *contendite,* dicit, *quia regnum cœlorum vim patitur, et violenti rapiunt illud.* Non enim potest fieri sine conatu magno, quod homo terrenus fiat civis in cœlo. Et hæc contentio est bona et sancta, qualis fuit in legione Thebæorum, inter quos erat de gloriosæ mortis acceleratione contentio. Sed hodie est contentio de aliis, quia de majoritate et excellentia, de acquirenda pecunia, de injuria remordenda, et hujusmodi similia. Deinde reddit monitionis dictæ rationem, dicens : Ita ergo *intrate per angustam portam,* non per latam, *quia lata* est *porta, et spatiosa via, quæ ducit ad perditionem, et multi sunt qui intrant per eam. Quam angusta porta et arcta via est, quæ ducit ad vitam, et pauci sunt qui inveniunt eam! Porta,* ingressus est, quoad incipientes; *via,* progressus est, quoad proficientes, vel deficientes. Et bene dixit viam ad vitam angustam esse et arctam, aliam vero latam et spatiosam. Nam jejunare, vigilare, a carnis desideriis et voluptatibus abstinere, propriam voluntatem non facere, cui non videtur angustum et arctum ? At vero deliciose manducare et bibere, ceterisque carnis desideriis et voluptatibus obedire, ac voluntati suæ in nullo contradicere, cui non videtur latum et spatiosum? Sed, heu! per latam viam quasi omnes incedimus, et de angusta pauci curamus. Unde *Chrysostomus :* « Qui jussi sumus per angustam portam incedere, per latam semper incedimus. Et quidem, si homines seculi latam viam, spatiosamque gradiantur, non valde mirum est. Eos autem qui videntur sustulisse crucem suam et sequi Christum, non per hanc latam et spatiosam velle incedere, non tibi prodigium videatur. Denique monachi, cum de monasteriis requirunt, et de locis habitationum percunctantur, ante omnia inquirunt, si requies sit in loco, si abundent omnia, si aquarum copia confluant. Sed et si de eremo requirant, etiam ibi ante omnia de requie tractant,

Digitized by Google

et de opportunitate ministerii corporalis. Jam vero si ad aliquam dispensationem vocaveris, aut aliquid ministerii divini injungere volueris, prima statim sollicitudo ejus et prima verba ejus ita sunt : Si est ibi requies, quo eundum est, si inveniantur ea quæ necessaria sunt abundanter, si nihil desit eorum quæ *lata via et spatiosa* deposcit? Quid agis, o homo, quid loqueris? Arctam viam et angustam jussus es ambulare, utquid de abundantia percunctaris? Per angustam januam transire jussus es, utquid amplos requiris ingressus? Estne aliquid ista permutatione nequius, estne aliquid ista perversitate deterius? Et quidem, qui principibus seculi ministrant, horum nihil requirunt, sed tantum si lucri habeat aliquid temporalis militiæ ejus locus. Quid si solum esse cognoverint, jam nullus refugitur labor, nullum periculum vitatur, nulla indignitas excusatur, servilia etiam, si ab ingenuo deposcantur, officia non negabit. Peregrinationes quoque longissimas, periculosasque non respuet, contumelias, cruciatus, permutationes temporum feret : omnia spe lucri. Nec timet ne forte ab ipsa miserabili spe decipiatur ac decidat, nec immaturam peregrinis locis mortem et subitam pertimescit, separationem suorum, conjugis etiam ac liberorum absentiam tolerabiliter patitur, non patriæ, non carorum mollitur affectu; sed desiderio et cupiditate pecuniæ velut amens agitur, et amore ejus incensus, nihil laboris sentit, nihil doloris intelligit. Nos e contrario, qui non pecuniam quærimus, sed sapientiam; nec terram, sed cœlum petimus, et ad cœli divitias festinamus, quas *neque oculus vidit, neque auris audivit,* quæ *nec in cor hominis* ascenderunt; hæc, inquam, quærentes, et pro his cœlo ipsi vim parantes inferre, de requie corporis percunctamur! Vide illis quanto miseriores sumus et molliores. Quid dicis, o homo, quid agis? Cœlum paras ascendere, et regnum cœli invadere, et interrogas ne qua tibi difficultas occurrat in itinere; ne quid in via tibi asperum accidat, aut laboriosum? Et non erubescis, non pudore oppressus, sub terram temetipsum defodis! Si enim omnia tibi mala occurrerent, si universa tibi pericula immineren, si convitia, si injuriæ, si ignominiæ, si calumniæ, si gladius, si ferrum, si ignis, si bestiæ, si præcipitia, si fames, si ægritudo, si cuncta quæ dici vel cogitari possunt mala super te irruerint, dignum aliquod erat, ut non tibi hæc omnia pro tantis et talibus causis ridenda prorsus et penitus spernenda viderentur. Anilis animæ metus hic et effeminatæ. Erit ergo aliquis ita abjectus, et ita infelix, et ita degeneris animi, ut cœlum cupiens ascendere, de terrena requie cogitet : quam non solum requirere, sed etiam paratam recipere. Judæorum est! Non video, carissime, quod aliquis nostrum vera et perfecta cupidine cœlestium teneatur; alioquin, omnia quæ videntur esse gravia, umbras putaret et risum : » hæc de via lata *Chrysostomus*. De via vero arcta sic dicit *Gregorius* : « Arcta quippe bene vivendi censura, non est ampla via, sed semita, in qua quisque studiose constringitur, qui sub præceptorum custodia sollicite coangustatur. An non quasi quædam angustia itineris est, in hoc quidem mundo vivere, sed de mundi hujus concupiscentia nil habere, aliena non appetere, propria non tenere, laudes mundi despicere, et pro Deo opprobria amare, gloriam fugere et despectum sequi, adulatores despicere, despicientes honorare, mala nocentium

Digitized by Google

ex corde dimittere, et erga eos dilectionis gratiam immobilem in corde retinere? Quæ quidem omnia semitæ sunt, sed magnæ, quia quantum in hac vita, pro ipsa vivendi custodia, angustæ sunt, tanto amplius in æterna retributione dilatantur. Perfecta quippe scientia est et cuncta hæc agere et de suis viribus scire se nihil posse. » Unde et *Joannes Abbas* montis Sinai : « Attendamus nobisipsis, ne quando arctam et angustam viam ambulare dicamur, amplam et spatiosam tenentes curramus. Arctam viam indicabit tibi et lucidabit : tribulatio ventris, statio ad vigilandum in orationibus per totam noctem, mensura aquæ et panis penuria, subsannationes, derisiones, illusiones, decisio propriarum voluntatum, ignominiarum poculum, passionum et impulsionum patientia, sub despectione esse sine murmuratione, violentia injuriarum læsus sustinere fortiter, detractione non indignari, contemptus et vilipensus non irasci, judicatus humiliari. Beati per dictam viam arctam ingredientes, *quoniam ipsorum est regnum cœlorum :* » hæc *Joannes Abbas.*

2 Arctæ tamen viæ et præceptorum Domini facilitas. — Non autem te moveat, quia hic dicitur : *Angusta est porta, et arcta via, quæ ducit ad vitam.* Et dicitur *: Jugum enim meum suave est, et onus meum leve.* Quia sicut onus dicitur leve in comparatione ad mercedem, licet in se sit grave; sic præsentia incommoda, respectu gloriæ futuræ. Itaque *lata* dici potest hæc via, quia in amore cœlestium cor dilatat cogitantium : *Quoniam non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis.* Et *angusta,* quia amorem terrenorum angustat, et a terrenis hominem alienat. Unde *Chrysostomus : « Arcta via est et angusta,* et nihilominus levis ac facilis, quia cuncta aspera vitæ hujus pertranseunt, et quia ad bonum finem, scilicet ad vitam, perveniunt. Temporale, sudorum; et perpetuum, coronatorum. Et quia prius sunt laboriosa quæ transeunt, et postea gloriosa quæ permanent, maximum potest laborum esse solatium. Igitur etsi in se difficile sit quod jubemur, tamen faciendum est, ut ad gloriam pervenire mereamur. Qui enim non compatitur, non conregnabit; nec *coronabitur, nisi qui legitime certaverit.* » Et iterum : « Si quis viam laboriosam existimat, suam desidiam accusat. Si enim nautis pelagi fluctus; si tempestates, atque hiems agricolis; si vulnera cædesque militibus; si gravissimi ictus plagæque pugilibus, leves videntur et tolerabiles sunt, propter spem temporalium, ac pereuntium commodorum, tanto magis cum cœlum præparatur in præmio, nihil ex præsentibus asperitatibus debet sentiri. Nec aspicias quod via est aspera, sed quo ducit; nec alia, quia *lata est,* sed ubi desinit : » hæc *Chrysostomus.* Quomodo autem Domini præcepta nobis non difficilia et onerosa, sed magis facilia et levia esse videantur, docet adhuc idem *Chrysostomus,* dicens : « His ergo quæ dicta sunt, ne ultra inobedientiam contentione foveamus, maxime cum præmia et voluptatem habeant in se et utilitatem ipsa præcepta. Quæ si molesta et onerosa plerisque, et ingentis cujusdam videntur laboris, intellige propter Christum te illa suscepisse facienda; et quod videtur esse triste, jucundissimum judicabis. Si enim cogitationem hanc semper habuerimus, nihil experiemur onerosum; sed ex diverso plurimam undique capiemus voluptatem. Si quidem labor ipse non amplius labor apparebit, sed quanto magis intenditur, tanto dulcior et

Digitized by Google

voluptuosior fiet. Quando igitur te cupiditas pecuniarum, aliorumque obsederit consuetudo vitiorum, ipse ad animam tuam loquere : Tristaris, quia te corporis voluptate defraudo, sed lætare potius, quia cœlorum tibi regna provideo. Non enim propter hominem, sed propter Deum ista operaris. Paululum igitur exspecta, et videbis quam sit commodum grande paratum. Disce præsentis vitæ pondera magnanimiter sustinere; et ineffabili apud Deum fiducia, ac liberalitate gaudebis. Si enim ista semper nostræ inculcemus animæ, celeriter ab omnibus illam vitiis subtrahemus. Unum illud a te ac solum requirit Deus, ut adversus hostem feras inimicitias pro honore regis et tua salute suspicias. Itaque si ei istud obtuleris, omne bellum ipse conficiet. Ita etiam illa quæ importabilia nunc putamus, facilia prorsus, ac levia, amabiliaque ducemus. Quandiu enim in vitiis permanemus, asperam, atque difficilem et omnino arduam opinamur esse virtutem; ipsa vero vitia desiderabilia prorsus ac dulcia. Sin autem vel brevi illa tempore deseramus; tunc et hæc horribilia, et turpia, et virtus delectabilis apparebit, ac facilis. Hæc autem ex illis abunde valemus addiscere, qui vitam suam facta in melius conversione mutaverunt : » hæc *Chrysostomus*. Unde dicit et *Seneca :* « Quædam, non quia difficilia sunt, non audemus; sed quia non audemus, difficilia sunt. »

3 A FALSIS PROPHETIS ATTENDERE DEBEMUS. — Et quia dixit paucos esse *qui inveniunt* angustam portam, et arctam viam, ne hæretici et perversi homines, falsitatem apparentia virtutum palliantes, et se plerumque paucitate commendantes, sub nomine paucitatis designari supponant; et simplices in via Dei ambulantes decipiant, statim subjecit, dicens : *Attendite,* id est attente et diligenter cavete, *a falsis prophetis.* Unde *Hilarius :* « Quia paucorum est invenire arctam viam, fraudulentiam eorum qui se eam invenire mentiuntur, exponit, ne ab illa nos impediant. *Attendite,* inquit, *a falsis prophetis,* id est a deceptoribus hæreticis, simulatis hypocritis, falsis fratribus, religionis speciem prætendentibus, et hujusmodi. » Moraliter tres falsi prophetæ sunt : caro, mundus, diabolus. Ille enim dicitur falsus propheta, qui unum prædicit et promittit, et aliud eveniens solvit, sicque homines decipit et fallit; primus ergo est concupiscentia carnalis, promittens delectationem et solvens æternam afflictionem; secundus est cupiditas mundialis, promittens sufficientiam et solvens finalem inopiam; tertius est diabolus, sive superbia secularis, promittens exaltationem et solvens futuram abjectionem : quia *qui se exaltat, humiliabitur.* Potest etiam hoc exponi de omnibus dæmonibus, se in Angelos lucis, ut justos decipiant, transferentes. Unde dicit Joannes : *Nolite credere omni spiritui, sed probate spiritus, an ex Deo sint.* Subjungit autem : *Qui veniunt ad vos,* scilicet decipiendos, *in vestimentis ovium,* id est sub specie religionis in conspectu hominum, similes justitiæ ministris, in habitu humili et oratione prolixa, in jejunio arcto, in eleemosynæ largitione, in verbis blandis, ceterisque religionis signis, quia prætendunt simplicitatem, simulant mansuetudinem, ostentant humilitatem, fingunt suam ad populum humilitatem, *habentes,* secundum Apostolum, *speciem pietatis, virtutem autem ejus abnegantes.* Unde subjungitur : *intrinsecus autem,* scilicet in corde et voluntate decipiendi, *sunt lupi rapaces;* quia cum specie

Digitized by Google

virtutis sint induti, vitæ tamen pravitate sunt corrupti, et ideo magis cavendum, ne rapiendo dilanient vos blanditiis et simulationibus. Unde ait *Chrysostomus* : « Nulla res sic exterminat bonum, sicut simulatio, nam malum sub specie boni celatum, dum non cognoscitur, non cavetur. » Ubi *Hieronymus* : « Et de omnibus quidem intelligi potest, qui aliud habitu ac sermone promittunt, aliud opere demonstrant; sed speclaliter de hæreticis intelligendum est, qui videntur continentia, castitate, jejunio, quasi quadam pietatis veste se circumdare, intrinsecus vero habentes animum venenatum, simpliciorum fratrum corda decipiunt : » hæc *Hieronymus*.

4 PER FRUCTUS SEU OPERA IPSORUM SE PRODUNT. — Et quia isti falsi prophetæ non possunt cognosci ex apparentia exteriori, ideo ostendit unde debeant cognosci, scilicet a fructibus et operibus. Cum enim alteri sint exterius in conversatione, alteri interius in affectione, et ita difficile cognoscantur : *a fructibus* tamen *eorum,* id est ab operibus, *cognoscetis eos,* scilicet finaliter; non tamen omnibus, licet bona et laudabilia opera videantur aliis, sed quibusdam et maxime per impatientiam eorum, tempore persecutionis et adversitatis, quia de facili *in tempore tentationis recedunt,* et pro simulata justitia, pressuras non sustinent. Sed, ut dicit *Augustinus* : « Vestimenta religiosa sine bonis operibus, non solum remedium habere non poterunt, sed etiam justum Dei judicium sustinebunt. » Ut enim dicit *Seneca,* malus ubi bonum se simulat, tunc pessimus est. Igitur, ut idem *Seneca* dicit, quis sis interest, non quid habearis. Deinde probat Dominus quod proposuit exemplo particulari, quia spinæ, et tribuli, ac vitis, et ficulnea cognoscuntur distincte ex fructibus diversis, ergo et homines. Non enim *colligunt de spinis uvas, aut de tribulis ficus.* Ubi *Chrysostomus* : « Quod vero dicit hujusmodi est : Nihil habent mansuetum, nihil mite, nihil dulce, usque ad pellem sunt oves, ideoque facilis est cognitio, ut neque de contingenti dubites : » hæc *Chrysostomus.* Nomine *spinæ,* potest intelligi carnalis concupiscentia, quæ semper ardet et nunquam consumitur; nomine *tribuli,* spiritualis malitia, quæ plena est punctionibus peccatorum; nomine *uvæ,* fervor vitæ activæ; nomine *ficus,* dulcedo vitæ contemplativæ. Ex concupiscentia ergo carnis non colligitur bona actio, quæ requirit corpus spiritui obediens et subjectum; nec de malitia cordis contemplatio, quæ requirit cor devotum et pacificum : quia *in malevolam animam non introibit sapientia,* quoad contemplativam, *nec habitabit in corpore subdito peccatis,* quoad activam, quæ ministerio corporis exercetur. Deinde confirmat hoc idem, exemplo generali, quia sicut unaquæque arbor ex fructu suo cognoscitur, ita unusquisque homo ex fructibus et operibus suis cognosci potest. Ideoque non dixit a foliis eorum, id est verbis, sed *a fructibus,* id est operibus, *cognoscetis eos.* Si enim verba attendimus, non facile boni discernuntur a malis; sed qui in verbis non discernuntur, in operibus comprehenduntur, si fideles sunt, si mites, si patientes, si humiles, si casti, si avaritiam oderint, et similia quæ enumerare longum esset. Cognoscentur ergo falsi prophetæ a fructibus suis, quoniam etsi aliquando bonum aliquod facere videantur, scilicet eleemosynam, orationem et jejunium, et hujusmodi; tamen quia vel pro lucro, vel pro

Digitized by Google

laude faciunt, eorum simulatio diu non potest celari. Quamvis enim inscrutabile sit cor hominis, potest tamen humano judicio, maxime longo tempore, cognosci ex actibus et operibus, quæ vocat *fructus*, quia qualis unusquisque est, talia dicit et operatur. Unde licet mali et vitiosi malitiam suam operiant aliquo tempore, et operentur bonum ex genere; tamen non est bene possibile quin operentur quandoque secundum inclinationem suæ malitiæ. Unde *Seneca* : « Nemo potest diu ferre personam fictam, cito in naturam suam recidunt quibus veritas non subest; qui autem ex solido nascuntur, tempore ipso in melius proficiunt. » Detegitur etiam error quandoque temporalis commodi tentatione, persecutionis tempore; et si fingant humilitatem et bona opera, tempore prosperitatis cum honorantur, detegitur tamen eorum superbia, cum adversis tanguntur et honor subtrahitur. Possunt etiam cognosci, quando consecuti sunt ea propter quæ operando laboraverunt, ut dignitates et hujusmodi, quia sæpe postmodum cessant operari. Unde *Augustinus* : « Quæcunque in factis vel dictis apparere non potuerunt, tentationibus aperiuntur. Tentatio autem duplex est, aut in spe adipiscendi aliquod commodum temporale, aut in timore amittendi. Cum enim aliquibus tentationibus cœperint ea ipsa illis subtrahi vel negari, quæ isto velamine, vel consecuti sunt, vel consequi cupiunt; tunc necesse est ut appareat, utrum lupus in ovina pelle sit, an agnus in sua : » hæc *Augustinus*. Insuper et in hoc cognoscuntur, quia simplices opprimunt, majoribus detrahunt, minima redarguunt, correctionem impugnant, non faciunt quod dicunt, in dignitatibus se jactant, in bonis inceptis fastidiunt, in adversitatibus murmurant; et maxime per impatientiam in adversitatibus, ut supradictum est, cognoscuntur. Ubi nota quod homo non loquitur ita expresse, nec ita proprie, sicut in lingua propria. Sunt autem aliqui, qui faciunt sicut avis in capola, quæ mutat linguam propriam, et fingit vocem hominum, vel aliarum avium, et licet quando bene fit sibi, hoc faciat, tamen si aliquis eam in pede læserit, vel alibi dolorem senserit, vel quidquam contra voluntatem receperit, statim ad vocem propriam revertitur. Sic multi quando sunt in prosperitate, vel quando bene fit eis, mutant vocem propriam, Deum laudant, adulationibus serviunt; sed si sint in aliqua adversitate, vel aliquo modo lædantur, statim ad linguam propriam, scilicet ingratitudinem, impatientiam, et hujusmodi, revertuntur.

5 Similitudo arboris bonæ et malæ. — Et bene dicit quod ex fructibus cognoscuntur, nam *omnis arbor bona*, id est homo bonus, habens voluntatem bonam, *fructus bonos*, id est opera bona, et vitæ æternæ meritoria, *facit; mala autem arbor*, id est homo habens voluntatem pravam, *fructus malos*, id est opera mala, et demeritoria *facit*. Nam actus interior voluntatis causa est immediata actus exterioris. Et ideo, ut dicit *Ambrosius* : « Effectus tuus operi tuo nomen imponit. » Unde, secundum *Chrysostomum*, voluntas est, aut quæ remuneratur pro bono, aut condemnatur pro malo; opera autem testimonia sunt voluntatis. Et vere ita est, quia *non potest arbor bona*, in quantum hujusmodi, *fructus malos facere; neque arbor mala*, in quantum hujusmodi, *fructus bonos facere*. Istud enim composite intelligendum est, quia *arbor bona*, manens bona, *non potest fructus malos* et demeritorios *facere; et*

Digitized by Google

arbor mala, manens mala, *non potest fructus bonos facere,* id est meritorios vitæ æternæ. Et ideo si homo bonus facit fructus malos, jam bonus non est; et si malus vult bona operari, bonus primo fiat. Et vere, *bona arbor bonos fructus facit, et mala, malos;* quia, ut alibi dicitur : *Bonus homo, de bono thesauro cordis sui,* id est de bona intentione et voluntate, quæ, sicut thesaurus absconditus latet interius, in mente *profert bona,* verba scilicet et facta; *et malus homo, de malo thesauro,* id est mala voluntate, in mente *profert mala,* scilicet verba et facta, quia contrariæ causæ habent contrarios effectus. Nam, secundum *Bedam*, idem est thesaurus cordis, quod radix est arboris, et quod de corde profertur idem est quod arboris fructus. Unde et *Remigius* : « Thesaurus cordis intentio est, ex qua Deus judicat opera, ut aliquando minora major, aliquando majora minor merces sequatur. Magnum donum Dei est bona volontas, et præstantius super omnes res terrenas. » Unde *Augustinus* : « Bona voluntas est qua appetimus recte honesteque vivere, et ad summam sapientiam pervenire. Voluntatem quisque cum habet bonam, idcirco habet quod terrenis omnibus regnis, voluptatibusque omnibus corporis longe anteponendum sit. Quisquis autem non habet, caret profecto illa re, quam præstantiorem omnibus bonis, in potestate non constitutis, sola illi voluntas per se ipsam daret. » Et iterum : « Si desit facultas, non quæritur nisi voluntas : » hæc *Augustinus.* Arboris ergo bonæ radix est voluntas gratia divina informata; folium, cogitatio; flos, sermo; fructus, opus. Arboris vero malæ radix est voluntas gratia Dei destituta, cujus cadunt folia, marcent flores, putrescunt fructus, quæ ex bona arbore non possunt procedere. Et merito, quod de bono vel malo corde procedit, bonus vel malus debet judicari fructus. Ex abundantia enim bonitatis, vel malitiæ cordis quæ intus latet, os exterius loquitur verbum dictionis et operis. Ex interiori enim homine procedit exterior effectus, tam in verbis quam in factis; ac verbum et factum exterius testimonium cordis est, et significativum conceptus interioris. Per oris enim locutionem, universa quæ dicto, vel facto, vel cogitatu, de corde proferuntur, Dominus voluit significare; nam moris Scripturarum est verba pro factis et rebus ponere. Unde dicitur de Ezechia : *Non fuit verbum quod non ostenderit Ezechias in domo sua;* qui utique rerum et non verborum Chaldæis revelaverat arcana. De ore autem, hic specialiter exemplificat, quia per os cor maxime manifestatur, eo quod verba in signis primatum tenent. Unde ait *Augustinus* : « Deus autem, secundum os, omnia cordis dijudicat, quia ex qua intentione verba procedunt non ignorat, et notanter dicit : *Ex abundantia cordis os loquitur;* quia plus intus est, quam effunditur. Sicut fumus ab igne surgit, sic olla ebulliens redundat. » Unde et *Chrysostomus* : « Naturalis enim consequentia est, ut cum intus abundat nequitia, effluant oretenus et verba nequam. Quare cum audieris hominem perniciosa et inhonesta loquentem, non tantam puta in eo latere nequitiam, quanta verbis ejus exprimitur, sed multo ampliorem conjice esse fontem. Quod enim exterius dicitur, superfluum est ejus quod intus est. Lingua quidem confusa multoties non repente effundit nequitiam; cor autem nullum hominum habens testem, sine timore quæcunque vult et parit mala. Dei enim non multa cura est ei. »

Digitized by Google

Hæc sententia et similitudo de arbore hic ponitur contra hypocrisim, specialiter Scribarum et Pharisæorum; sed infra etiam ponitur contra eorum malitiam et blasphemiam, qua dicebant Christum in Beelzebub ejicere dæmonia.

6 SORS ARBORI NON FERENTI FRUCTUM BONUM RESERVATA. — Et ne tepidi putent se esse immunes a pœna, quia malo abstinent, aliena non rapiunt, sine querela vivunt; tamen bona non agunt, proximis non compatiuntur, sua egentibus non tribuunt, ideo additur : *Omnis arbor quæ non facit fructum bonum excidetur,* id est sententia judicis, a consortio omnium bonorum et numero fidelium separabitur, *et,* sententiæ executione, ab Angelis messoribus *in ignem* æternum gehennæ *mittetur,* ubi minatur Dominus, infructuosis, pœnam damni, quia excidentur a terra viventium, et pœnam sensus, quia mittentur in ignem æternum. Nec exprobrabit Dominus, quod mala fecerint, sed quod bona non egerunt, dicens : *Esurivi, et non dedistis mihi manducare,* etc. Et sciendum quod fructus cordis sunt : contritio, divinæ Legis meditatio, beneficiorum Dei recordatio, mortis memoratio, proximi compassio. Fructus autem oris : oratio, prædicatio, gratiarum actio, consilium, fratris errantis correctio, ignorantis instructio. Fructus vero operis sunt : pœnitentia, eleemosyna, obedientia, obsequiorum diligentia, difficilium tolerantia. Sed ne putemus ad fructus jam pertinere, si quis dicat : *Domine, Domine,* et ex eo nobis arbor bona videatur esse, subjungit : *Quid autem vocatis me, Domine, et non facitis quæ dico?* Quasi vellet dicere hypocritis, et specialiter Scribis et Pharisæis : Vos estis arbores habentes folia sine fructu, et verba sine opere, et ideo maledicti tales sunt, sicut salices habentes folia similia olivis, sed fructu carentes. Tantum enim est inter dicere et facere, quantum inter folia et fructus.

7 CONFESSIO FIDEI SINE OPERIBUS AD SALUTEM NON SUFFICIT. — Deinde ostendit, quod ad salutem non sufficiunt verba confessionis, sed quod exigitur executio divinæ voluntatis, dicens : *Non omnis qui* verbotenus nomine tantum *dicit mihi : Domine, Domine,* confitendo fidem catholicam, *intrabit in regnum cœlorum.* Confessio enim fidei, sine operibus, non sufficit ad salutem, quia talis *fides mortua est,* sicut illorum, qui Deum ore confitentur, *factis autem negant.* Sic modo plurimi in oratione positi verbotenus et nomine tantum dicunt : *Domine, Domine; — cor autem eorum longe est* a Deo. Hypocritæ etiam dicunt hoc facto, sanctitatem exterius simulantes coram populo. *Sed qui facit voluntatem Patris mei qui in cœlis est, ipse intrabit in regnum cœlorum.* Hi enim sunt fructus boni et bonæ arboris, scilicet facere voluntatem Patris, cujus faciendæ seipsum præbere exemplum dignatus est. Quid enim meriti est Domino dicere : *Domine, Domine?* Numquid Dominus non erit, nisi fuerit dictus a nobis? Vere dicere : *Domine, Domine,* vel Dominus Jesus, est corde credere, ore confiteri, operibus attestari, nam unum sine alio, negare est. Ut enim ait *Augustinus :* « Credere in Deum, est credendo amare et diligere, credendo in eum ire, et ejus membris incorporari. » Et notandum quod hæc videntur immediatius facere voluntatem Dei, scilicet super omnibus agendis, sustinendis et habendis ei se conformare, et inde quies mentis; faciem Domini omnia intuentem, semper ut præsentem intueri, et inde reverentia, pudor, et disciplina intus et extra; bonitatem gratuitæ liberali-

Digitized by Google

tatis Dei libenter considerare, sæpius actualiter advertento, et inde amor gratuitus et confidentia de futuro; semper attendere ad ædificationem proximi, omne verbum et opus præmeditari, sæpius super se reflecti.

8 NEC IPSUM PROPHETIÆ DONUM ET MIRACULORUM OPERATIO. — Et ne decipiamur, non solum nomine Christi, per eos qui nomen et non facta habent, sed etiam quibusdam factis et miraculis, adjungit, et dicit : *Multi dicent mihi in illa die,* notabili et famosa, terribili impiis et blanda piis, scilicet die extremi judicii, quando, secundum *Chrysostomum,* loquentur corda et tacebunt ora, quando non persona interrogatur, sed conscientia discutitur; ubi non erunt testes adulatores, sed Angeli veraces : *Domine, Domine, nonne in nomine tuo,* id est in virtute et invocatione nominis tui, *prophetavimus,* id est propheticum sermonem protulimus, et occulta denuntiavimus; *et in nomine tuo dæmonia ejecimus* ab obsessis; *et in nomine tuo virtutes multas,* id est miracula, *fecimus* : his similes sunt bene docentes et male viventes. Ubi idem *Chrysostomus* : « Illi quippe, quia contrarium exspectationis suæ finem videbunt, quia hic fuerunt mirabilia faciendo conspicui, ibi autem se intelligent puniendos, quasi stupentes, atque mirantes dicent : *Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus?* Quemadmodum nobis adversaris modo? Quid sibi vult novus iste finis, nec a nobis aliquando prævisus? Deinde subjicitur sententia Judicis, tales reprobantis et abjicientis. *Et tunc,* inquit, *confitebor,* et dicam illis, *nunquam,* in prædestinatione, *novi vos,* scilicet notitia approbationis, sed reprobationis. Illos enim dicitur scire, quos approbat; illos vero nescire, quos in sua dilectione non approbat. » Unde *Augustinus* : « Scit reprobos, quos cognoscendo judicat; non autem approbat voluntatem, quæ ab ipso discordat. » Unde et *Beda* : « Non scientia Scripturarum Deo notum facit, quem operum iniquitas obtutus ejus ostendit indignum. » Et tandem eos propter opera iniquitatis abjiciendo, subjungit : *Discedite a me,* bonos glorificantes, *qui operamini iniquitatem. Discedite,* id est divisi per iniquitatem; cedite in æternam damnationem, non ergo cognoscit nisi eum qui operatur æquitatem; a Deo, qui ubique est, jubentur recedere, quia licet sit ubique per præsentiam deitatis, non tamen ut objectum beatitudinis. Dicit autem in præsenti, *qui operamini,* quia affectus malus adhuc remanet in eis. Unde *Hieronymus* : « Non dixit, qui operati estis iniquitatem, ne videretur tollere pœnitentiam, sed *qui operamini,* hoc est, qui usque in præsentem horam, cum judicii tempus advenerit, licet non habeatis facultatem peccandi, tamen adhuc habetis affectum. » Unde et *Chrysostomus* : « Non dicit, qui operati estis, sed *qui operamini;* quia iniqui post mortem non desinunt esse iniqui, quoniam, etsi peccare non possunt, peccandi tamen voluntatem non amittunt. Nam mors animam quidem a carne separat, animæ autem propositum non immutat. » Igitur, ut ait idem *Chrysostomus* : « Voluit Dominus hoc loco asserere, quod fides absque operum sanctitate nil valeat, et non modo fides, sed ne ipsa quidem cuipiam mirabilia profutura sint, si ea operatus fuerit absque possessione virtutum; quia neque fides, neque mirabilia quidquam valent, si non assistat vita. » Et iterum : « Nusquam in operatione signorum et mirabilium beatitudo ponitur, sed

Digitized by Google

in expletione mandatorum et perfectione. Qui signorum et mirabilium indiciis probari vult, non potest probus videri. Vita enim et actus probi, etiam sine signis et mirabilibus, merentur coronam; iniqua autem conversatio, etiam si signa et prodigia fecerit, supplicia non evadet : » hæc *Chrysostomus*. Notandum quod hic miraculorum operatio, quandoque provenit ex merito invocantis nomen Domini; quandoque ex merito illius super quem invocatur; quandoque nec ex merito hujus, nec ex merito illius, sed ob utilitatem assistentium, ut videntes hoc, Deum honorent, et in Christum credant; quandoque ad damnationem invocantis et præsentium, ut *videntes non videant* et videntes cæci fiant; quandoque etiam in elationem et vanam gloriam extollit, vel aliquo alio modo facienti, nocet. Non mireris ergo, si quandoque iniqui prophetant, aut miracula faciunt; quia istæ sunt gratiæ Dei gratis datæ, quæ dantur principaliter ad communem utilitatem Ecclesiæ, et raro ad utilitatem singularis personæ; et ideo aliquando per malos homines a Deo nobis dantur, ad invocationem nominis Christi, non propter merita invocantium, sed ad declarationem virtutis Christi, et confirmationem fidei, licet ipsi invocantes sint mali. Sicut bona eleemosyna aliquando datur a bono domino, mediante malo servo. Bonum ergo sectemur, malum omne vitemus, totoque affectu præceptis cœlestibus obtemperemus, ac talibus officiis cogniti Dei simus; agentesque potius quod vult, quam quod potest, gloriemur.

9 AUDIENS VERBUM DOMINI SIMULQUE FACIENS VIRO SAPIENTI COMPARATUR. — Et quia Dominus repellit ipsum confitentes ore, et opere Legem suam non implentes, concludit inutilitatem auditus, ubi non sequitur opus, et admonet nos ut Christi doctrinam opere impleamus, ne cum operariis iniquitatis ab eo discedamus, quia inutilis est Legis auditio, nisi sequatur operis impletio. Unde concludit totum sermonem, cujus conclusio quam terribiliter inferatur, valde attendendum est. *Omnis ergo*, inquit, nullo excluso, *qui audit*, aure interiori intelligendo, *verba mea hæc*, quæ locutus sum in aperto, *et facit ea*, affectu caritatis, opere adimplendo, *assimilabitur viro sapienti*, sibi in futurum providenti, *qui ædificavit domum suam*, id est bonorum operum constructionem, *supra petram*, id est Christum, omnia opera sua faciens propter ipsum; talis enim facit opera bona de genere et recta intentione, quæ duo requiruntur ad impletionem Legis evangelicæ. Non enim quisque firmat quæ audit vel percipit, nisi faciendo et opere implendo. Et quia *petra est* Christus, ille in Christo ædificat, qui quod ab illo audit, facit. *Descendit pluvia*, id est tentatio carnalis lasciviæ et concupiscentiæ; *venerunt flumina*, mundanæ cupiditatis et avaritiæ; *flaverunt venti*, diabolicæ vanitatis et superbiæ, *et irruerunt*, per impetuositatem et importunitatem tentationum, *in domum illam*, id est ædificium virtutum in Christo constructum; sed non diruerunt eam, *nec cecidit*, a stabilitate virtutis succumbendo tentationibus istis, *fundata enim erat*, finaliter, radicaliter, et perseveranter per fidem, spem, et caritatem, *supra firmam petram* et solidam, scilicet Christum; non in terrenis. Tangitur ergo hic triplex tentationum differentia, in qua significantur et consistunt omnia tentationum genera. Potest etiam dici, quod quædam sunt tentationes voluptatis et concupiscentiæ carnalis, quæ designantur in *pluvia*, quæ guttatim cadit et

Digitized by Google

emollit; aliæ sunt adversitatis et tribulationis, quæ significantur per *flumina*, quæ cum impetu veniunt; aliæ sunt persuasionis, sive per minas, sive per blanditias humanas, sive per suggestiones diabolicas, quæ designantur per *ventos*; horum autem omnium, qui prosperitatibus inducitur, adversitatibus frangitur. Quorum nihil metuit, qui fundatam habet domum *supra petram*, scilicet Christum, cui innititur in observatione præceptorum, id est qui non solum audit præcepta Domini, sed etiam facit. Et his omnibus periculose subjacet, qui audit et non facit, non enim quisque stabile fundamentum habet, nec firmat in se quæ Dominus præcipit, vel ipse audit, nisi ea fecerit.

10 AUDIENS TANTUM VIRO STULTO ASSIMILATUR. — Unde consequenter ait, et per oppositum : *Omnis qui audit verba mea hæc*, supradicta, *et non facit ea*, sed contemnit, *similis erit*, in culpa, *viro stulto*, et malo, *qui ædificavit domum suam*, id est ædificium operum suorum, *supra arenam*, id est amorem terrenorum, mobile et instabile fundamentum; quod facit omnis qui, contemptis cœlestibus, non cessat inhiare terrenis, et qui intentionem suam, super aliud, quam super ipsum Deum ponit; quia omnis creatura mutabilis est. *Arena* cupiditati terrenorum comparatur, quia sterilis; sic qui amat divitias, frui non potest; quia fluida, sic transeunt omnia velut umbra; quia, fluctibus concussa, sic in mundo est pressura. Item per *arenam*, congregationem malorum significat, quia innumerabilis, per multiplicitatem; quia discohærens, per dissensionem; quia sterilis, ad bonorum multiplicationem : et ideo sequitur casus in peccatum. *Venerunt* enim, supradicta mala tentationum, *et irruerunt*, subito impetu et simul, *in domum illam*, male fundatam; *et cecidit*, per culpam, *et facta est ruina ejus magna*, quia ruit usque in gehennam. Primo ruit in foveam culpæ, et postea in foveam gehennæ, quæ est ruina magna, quia omnino irreparabilis. Omnis conscientia, quæ spe fixa in Deo non permanet, in tentationibus subsistere non valet; et tanto amplius agitatur, quanto plus in his quæ mundi sunt, a superioribus disjungitur. Ubi *Beda* : « Manifestum est, quia ingruente qualibet tentatione, mox et vere mali et ficti boni pejores fiunt, donec ad extremum perpetuam labantur in pœnam. » Ubi et *Chrysostomus* : « *Et facta est*, inquit, *ruina ejus magna*. Neque enim exiguarum leviumque rerum periculum est, sed de animæ discrimine, de immortalibus suppliciis, deque cœlestis regni amissione res agitur : » hæc *Chrysostomus*. Nec tamen semper, audiens verbum Dei et non faciens, cadit in illam periculosam ruinam, sed duplici distinctione opus est. Una, ex parte audientis : quia is qui audit verbum Dei, aut omittit facere ex contemptu, et tunc locum habet similitudo proposita; aut ex fragilitate, et tunc non. Alia est ex parte verbi Dei : quia ea verba quæ quis audit, aut sunt verba necessitatis ad salutem, sicut præcepta Evangelica, et tunc similitudo habet locum; aut sunt verba consilii et supererogationis, et tunc non nisi quantum ad perfectos.

11 QUID SIT IN SENSU MORALI DOMUS JUSTI ET DOMUS IMPII? — Moraliter, domus justi, cujus ædificatio est bona conscientia, pertinet ad bonorum operum perfectionem : fossio, ad contemptum terrenorum, sive paupertatem; fundatio, ad meditationem cœlestium et amorem; impulsio, ad tentationum impugnationem; immobilitas, ad finalem perseverantiam. Domus impii est

Digitized by Google

mala conscientia, de qua in Michea : *Adhuc ignis in domo impii,* cujus terrena ædificatio pertinet ad terrenorum amorem : fundamenti privatio, ad mentis instabilitatem; fluminis inundatio, ad carnalium deliciarum fluxibilitatem; casus celeritas, ad peccandi pronitatem; ruinæ magnitudo, ad æternam damnationem. Domus etiam concutitur in tentatione, inclinatur in delectatione, cadit in consensu : et est casus magnus in consensu, quia sic cadit a gratia; major in opere, quia sic cadit a vita; maximus in obstinatione, quia sic cadit a misericordia. Sapiens ergo qui audita opere complet et perficit, structuram firmam erigit, quia per cumulum bonorum operum Deus gratiam dat, quæ nostra merita absque ruina casus consolidat et confirmat. Per gratiam enim bene operando, meremur perseverantiam in bono, ut spirituale nostrum ædificium in petra fidei fundatum, per spem erectum, per caritatem solidatum, nec pluvia, nec fluminibus, nec ventis poterit everti, Christo gratiam suam donante. Stultus vero qui audit et non operatur, sed audita dissimulans, obliviosus auditor factus, tanquam super arenam opus ædificationis impendit, et quia aure perceptum opus non firmat, statim, tentationibus supervenientibus, ruit et evanescit. *Non enim auditores Legis justi sunt apud Deum, sed factores.* Sunt autem tria genera hominum ædificantium. Sunt enim qui amant solum Deum, et hi ædificant aurum, argentum, et lapides pretiosos : in amore virtutis, aurum; in cognitione veritatis, argentum; in cooperatione boni operis, lapides pretiosos. Sunt alii qui amant quædam præter Deum, tamen nil contra Deum, nec aliquid plus quam Deum, et in his fundamentum quidem manet, quia amor Dei non destruitur; tamen quia ex affectu eorum quæ pariter amantur quædam corruptio contrahitur, lignum, et fenum, et stipula superædificatur : in ligno, peccatum illiciti operis; in feno sine opere, peccatum pravæ delectationis; in stipula, peccatum illicitæ cogitationis. Sunt alii qui amant quædam contra Deum, et in his omnino destruitur fundamentum, quia amor Dei esse non potest, ubi vel solus vel summus non est. Igitur ad primos pertinet laudari et salvari; ad secundos, corripi et liberari; ad tertios, argui et damnari. Item super fundamentum fidei, quidam ædificant aurum contemplationis, quidam argentum prædicationis, quidam lapides pretiosos bonorum operum; isti quidem salvantur et merito fundamenti, et bonorum operum. Alii vero ædificant ligna, scilicet amorem ardentiorem temporalium; alii fenum, scilicet fimum delectationum carnalium; alii stipulam, scilicet otiosorum verborum et operum infirmorum; isti etiam salvantur merito fundamenti, et *tamen quasi per ignem* quo exuritur ædificium tanto fundamento non idoneum.

12 Admiratio turbæ super doctrina Domini. — Deinde ad conclusionem omnium præcedentium subjungitur : *Et factum est, cum consummasset Jesus verba hæc,* scilicet sermones istos in monte habitos, qui bene dicuntur consummati, quia nihil imperfectionis habent, et omnia saluti necessaria continent, *admirabantur turbæ super doctrina ejus,* et de excellentia sapientiæ ejus, quia nunquam sic homo est locutus. Et bene admirabantur, quia, ut ait *Chrysostomus :* « Quidquid digne laudare non possumus, admiramur. » Ubi ostenditur eminentia doctrinæ Christi, quia *admirabuntur turbæ;* eo quod emi-

Digitized by Google

nentissimas virtutes docebat, et imperfectionem Legis supplebat, et non solum terrena bona, sed cœlestia bona promittebat, ac doctrinam suam mirabiliter confirmabat. Unde causam admirationis subdit, dicens : *Erat enim docens eos, sicut potestatem habens*, scilicet per seipsum in sermone, præferendo consilia præceptis, et quæ minus videbantur in Lege addendo, obscuritates Legis explanando, in jure condendo, et ad libitum suum sicut auctor et conditor juris sui mutando, vel illud sicut nemini subjectus cum vellet revocando ; vel *sicut potestatem habens* infirmos sanandi et miracula faciendi; vel *sicut potestatem habens* imprimendi, et corda audientium ad se convertendi; *non sicut Scribæ et Pharisæi eorum*, qui ea quæ per Legem didicerant præcepta populis dabant, nec eis aliquid de his mutare licebat; sicut nec etiam Moyses aliud quam Dominus jusserat potuit loqui, et nihil de præceptis ejus mutare, vel subticere. Ubi *Chrysostomus* : « *Admirabantur* vero ejus inter multa alia præcipue *potestatem*, non enim quasi ex alterius persona præcepta ponebat, sicut Moyses fecerat, et Prophetæ, sed fere ubique se indicabat esse qui imperandi auctoritatem teneret. Denique cum præcepta ipsa sanciret, sæpe dicebat : *Ego autem dico vobis*, et terribilis illius judicii faciens mentionem, se monstrabat esse Judicem de præmiis atque suppliciis : » hæc *Chrysostomus*.

13 Pia contemplatio Christi docentis. — Conspice nunc et considera Dominum Jesum in sermone isto, quomodo affectuose, benigne, et efficaciter loquitur auditoribus, et eos ad actus virtutum inducit. Conspice etiam discipulos, quomodo reverenter, humiliter, et cum tota mentis intentione eum aspiciunt, et verba illa mirifica auscultant, et ea memoriæ commendant, et cum jucunditate magna, tam in verbis, quam in aspectu, fruuntur. Erat enim *speciosus forma præ filiis hominum, et diffusa est gratia in labiis suis*. In hac enim consideratione jucunderis et tu aspiciendo et auscultando, ac si eum videres, et loquentem audires, et approximando eis, si forte vocatus fueris, et immorando ibidem, ut Dominus tibi dabit. Deinde conspice eum, una cum discipulis de monte descendentem, et cum eis familiariter etiam per viam eundo loquentem ; et quomodo ille simplicium cœtus gregatim sequitur eum, non curiose ordinati, sed sicut pulli post gallinam, et quilibet ut melius audiat, magis eidem nititur appropinquare : sequere et tu pretiosum illum thesaurum, vel a longe, si forte micas vel reliquias aliquas inde cadentes post tergum tam pii Magistri valeas colligere.

ORATIO

Domine Jesu Christe clementissime, fac me per arctam viam justitiæ, et angustam portam pœnitentiæ, intrare ad aulam salutis, et vitam gloriæ. Doce me vitare deceptorum fallaciam, et da mihi imitari spiritualis ovis simplicitatem et innocentiam; fac me radicem cordis cœlo non terræ affigere, ne in foliis verborum tantum, sed potius in fructibus bonorum operum fidelis merear inveniri. Fac ut voluntatem Patris cœlestis faciam, et verba tua audiens, opere adimpleam, ut in te firmatus, nullis a te separer tentationibus. Amen.

Digitized by Google

CAPUT XLI

De curatione leprosi.

Matthæi cap. 8.

1 MIRACULA POST DOCTRINAM ET PROPTER DOCTRINAM. — Lege ergo evangelica in monte data, consequenter ponitur ejus confirmatio per miracula, quia boni magistri est doctrinam suam comprobare per facta. *Cum* itaque, completo sermone, *Dominus descendisset de monte, secutæ sunt eum turbæ multæ*, propter quarum ædificationem, et rogantis populi devotionem, movebatur ad faciendum miraculum. Unde *Hieronymus* : « Post prædicationem atque doctrinam, signorum offertur occasio, ut per virtutum miracula, præteritus apud audientes sermo firmetur. » Et *Chrysostomus* : « Post sermonem, immediate procedit ad miracula, ut verbis præcedentibus auctoritatem præstaret; ut mirabilis in verbis, mirabilis appareret in opere. » Et *Theophilus* : « Doctrinæ autem operationem immiscuit, nisi enim ostenderet miracula, ejus sermoni non crederetur. Sic et tu post doctrinam operare, ut non sit in te vacuus tuus sermo. » Mystice *cum descendisset Jesus de monte*, scilicet divinæ excellentiæ, in vallem humilitatis vel humanitatis manendo quod erat, assumendo quod non erat, tunc enim de monte descendit, quando *se exinanivit, formam servi accipiens;* tunc post descensum, *secutæ sunt eum turbæ multæ;* quia nisi Deus descendisset, homo ad sequelam suam non ascendisset, quia magna gloria et dignitas est homini sequi hunc Dominum. Et, secundum *Augustinum*, primo leprosum mundavit, ut ex hoc appareret Novum Testamentum in monte datum, et gratiam Evangelii supra Legem esse, quæ leprosum excludebat, non sanabat. Videtur autem hic contrarietas, in eo quod Matthæus dicit : *cum descendisset de monte*, Lucas vero dicit : *cum esset in una civitatum*. Ad hoc dicendum est, secundum *Glossam*, quod post descensum de monte, fuit aliquod intervallum antequam intraret civitatem, et in illo intervallo, sanatus fuit leprosus; quod Matthæus suo loco ponit, Lucas vero dicit : *cum esset in una civitatum*, scilicet Capharnaum, quia erat ibi prope, ad leucam et dimidiam, contra Orientem.

2 VENIT LEPROSUS AD CHRISTUM. — Quidam ergo *leprosus veniens*, non tam passibus corporis, quam fide cordis, *genu flexo procidens in faciem suam, adorabat eum*, cum humilitate corporis, *et rogavit eum*, cum oratione oris. Ubi tria ista concurrunt, scilicet fides, humilitas, oratio, quibus nihil negatur a Deo. *Procidit in faciem*, sicut humilis, maculas suas non tegens, sed humiliter confidens et publicans, ideo exaudiri meruit et mundari; sic et

Digitized by Google

tu humilieris, ut exaudiri et mundari merearis. Unde *Ambrosius* : « Quia in faciem procidit, humilitatis est et pudoris, ut unusquisque de vitæ suæ maculis erubescat, sed confessionem verecundia non repressit, vulnus ostendit, remedium postulavit. » *Adorabat ergo eum, dicens : Domine,* per quem omnia facta sunt, *si vis, potes mundare,* voluntas tua opus est, et opera tuæ voluntati obediunt; non dixit munda me, sed in voluntate ei sicut Deo potestatem et auctoritatem curandi tribuit, et ei totum concedit. Quasi diceret : Quidquid vis potes, sicut Omnipotens. Ubi *Titus* : « Addiscamus ex verbis leprosi corporalium infirmitatum medelam non quærere, sed divino beneplacito totum committere, qui novit opportuna, et omnia judicio disponit. » Leprosus ergo confitendo in Christo divinam potentiam, et potestatis auctoritatem, ac suam ostendendo fidem, et devotionem, meruit curationem.

3 JESUS EUM TACTU SANAT. — Jesus enim misertus ejus, per compassionem et affectum; et *extendens manum suam,* quod fuit liberalitatis contra avaros, *tetigit eum,* quod fuit humilitatis contra superbos, *dicens : Volo,* quod fuit pietatis contra invidos, *mundare,* quod fuit potestatis contra incredulos. Ubi notandum quod lepram corporalem quinque modis curatam legimus : primo, per ablutionem, sicut patet in Naaman, et significat lacrymarum effusionem; secundo, per ostensionem, sicut patet in decem leprosis, qui eundo ad ostendendum se sacerdotibus, mundati sunt, et significat confessionem; tertio, per separationem, sicut patet in Maria sorore Moysi, et significat excommunicationem, quæ instar cauterii debet esse medicinalis; quarto, per inclusionem, sicut patet in manu Moysi, quæ de sinu extracta, leprosa apparuit, sed in sinum reposita, curata fuit; sic multi, qui in seculo spiritualiter erant leprosi, mundantur claustrum ingressi; quinto, per tactum, sicut patet hic, ubi manus Christi carnem leprosi tetigit et mundavit. Ubi notandum quod triplex est Dei tactus valde virtuosus, scilicet tactus pure corporalis, et tactus pure spiritualis, et tactus partim corporalis et partim spiritualis. Tactus pure corporalis est in quo et quod tangit, et quod tangitur, est pure corporale, et iste fuit in Christo valde virtuosus, quia omnem infirmitatem sanabat universaliter, sicut de multis patet in Evangelio. Tactus partim spiritualis, et partim corporalis est, in quo quod tangit est spiritus, sed quod tangitur est corporale vel spirituale, hic est tactus tribulationis, et iste tactus est similiter valde virtuosus; valet namque ad constringendum peccatorum duritiam, et ad reprimendum carnis concupiscentiam, et ad probandum justorum patientiam. Tactus pure spiritualis est, in quo et quod tangit, et quod tangitur est spiritus, et hic est tactus internæ inspirationis, et iste similiter est valde virtuosus. Virtus autem ejus ad septem effectus est, secundum septem dona Spiritus Sancti : Primus effectus est boni propositi inspiratio, sive conceptio, et hic pertinet ad donum timoris, a quo concipitur spiritus salutis. — Secundus est peccatorum remissio per gratiam, et hic poterit referri ad donum pietatis, secundum illud Danielis : *Peccata tua eleemosynis redime.* — Tertius est utilium sive necessariorum ad salutem instructio, et hoc refertur ad donum scientiæ, quæ docet recte conversari. — Quartus est ad bene operandum, et ardua aggrediendum roboratio, et hoc quantum ad donum consilii,

Digitized by Google

quod respicit maxime opera supererogationis. — Quintus effectus est in tribulatione consolatio, per quam anima fortificatur ad tolerandum adversa, et hoc quantum ad donum fortitudinis, quæ præcipue attenditur in tolerantia adversorum. — Sextus est charitatis et dilectionis Dei inflammatio, et hoc quantum ad donum intellectus, qui docet intelligere, id est *intus legere* Dei beneficia, per quæ anima in ejus amorem accenditur et inflammatur. — Septimus est a terrenis elevatio et cœlestium contemplatio, et hoc quantum ad donum sapientiæ, quæ est de æternis, scilicet donis quæ sursum sunt sapere, non quæ super terram. *Et confestim mundata est lepra ejus :* ad Domini imperium et voluntatem statim est opus secutum. Secundum *Cyrillum,* ista dictio, *confestim,* tardius profertur, cum opus sanationis fuerit factum. Cum autem hic magna appareat Domini potestas, non minor ejus declaratur humilitas. Leprosum enim quem Lex extra castra ejiciebat, quem Scribæ et Pharisæi vix respicere dignabantur, ipse tangere non recusavit, non solum propter occultum rei mysterium, sed ut nobis formam humilitatis præberet et compassionis exemplum, ne quis hominem pro quacunque corporis maculatione, vel infirmitate, sperneret, vel abhorreret. Item *tetigit* eum, ut se non esse sub Lege, sed supra Legem, quæ leprosum tangere prohibuerat, nec servum, sed Dominum Legis ostenderet, qui cum secundum Legem ambulasset, etiam supra Legem sanaret eos, quos remedia Legis non sanaverunt. Item ut lepra, quæ contaminare tangentem solebat, e contra tactu Domini fugaretur, et recederet, neque enim manus a lepra facta est immunda, sed corpus leprosum a manu tactum, est mundatum. Lex namque quæ facere non potuit, ut lepra tangentem non sordidaret, ideo lepram tangi prohibuit, non ut leprosi non sanarentur, sed ut tangentes non inquinarentur; non autem inquinari a lepra potuit, qui eam mundavit, et ideo quamvis litteram Legis solverit, tamen prohibitioni Legis non obviavit, nec propositum ejus solvit : quia non erat prohibitum tangere leprosum ei qui ex tactu suo poterat curare eum, sicut Elias et Elisæus non fecerunt contra Legem tangendo mortuum ad resuscitandum. Licet etiam Dominus posset solo verbo curare leprosum, tamen apposuit manum, quia humanitas Christi erat quasi instrumentum ipsius divinitatis; et ideo, sicut artifex mediante instrumento operatur, sic virtus divina in Christo per applicationem humanitatis aliquam faciebat ut eam conjunctam divinitati declararet.

4 CUR EI PRÆCEPERIT MIRACULUM NEMINI DICERE ? — Et præcepit ei Dominus, quod miraculum factum nemini diceret, ne jactanter se sanatum esse prædicaret, ut daretur nobis exemplum et nos doceret non diligere ostentationem et honorem, et bona quæ facimus non esse divulganda, sed subticenda; ut non solum abstineamus a mercede pecuniæ, sed etiam gratiæ ac laudis humanæ et vanæ gloriæ, et ista non quæramus in operibus nostris, ne unquam aliqua sinistra manus se admisceat dextræ in eis. Unde ait *Chrysostomus :* « Et nulli hoc eum jussit fateri, docens quam esset alienus ab aura gloriæ et pompa jactantiæ. Et certe noverat ille, quia non esset taciturus, sed passim tam grande beneficium prædicaturus; et tamen quantum in ipso est, fugit ostentare quod fecerat. Et alibi publicari talia ipse præcepit, non contra se veniens, sed curatos a se

Digitized by Google

gratos esse præcipiens. Non enim semetipsum prædicari jussit, sed dari gloriam Deo, ut et per leprosum nos non esse inane gloriosos, et gloriæ ac jactantiæ renuntiandum doceret; et per illum quem a *legione* mundaverat, non esse ingratos, sed gratias nos Deo referre commoneret, ejusque beneficia confiteri, atque ut ostenderet semper ex mirabilibus suis laudem non nisi Deo referendam. Quia enim homines quandiu ægritudine detinentur, Dei semper meminerunt, a morbo autem liberati, gravius obsidentur languore desidiæ, idcirco, præcipiens ut et ægroti et sani Deum jugiter recordemur, ei quem curaverat, ait : *Da gloriam Deo :* » hæc *Chrysostomus*. Ubi notandum quod triplex est præceptum, scilicet cautelæ, probationis, et obedientiæ. In primo non interdicitur actus, qui optimus est, sed gloria, quæ immiscet se bonis actibus et honestis; tale præceptum fuit hic. In secundo non vult Deus actum, sed ostensionem virtutis, quæ latet in eo cui datur præceptum, et est utilis sibi et aliis ostensio virtutis ejus; sicut in præcepto facto Abrahæ, de immolatione filii, cui dicitur : *Nunc cognovi,* id est te et alios cognoscere feci, *quia times Dominum*. In tertio autem vult Deus actum, ut patet in capite XX Exodi per totum. Vel jussit ut nemini diceret, propter credentium sponte majorem utilitatem, quia meliores sunt qui spontanee, quam qui speratis beneficiis credunt. Vel ut nemini diceret, scilicet antequam ea quæ in Lege sunt compleret, quia prius exspectandum erat judicium sacerdotum, ad quos, secundum Legem, pertinebat judicare de lepra. Unde *Chrysostomus :* « Vel non simpliciter prohibet, ut non aliquando dicat, sed ut antequam ostenderet se sacerdoti, nemini diceret; ne forte si ante alicui nuntiaret, audirent sacerdotes, et occasionem habentes lepræ, propter odium et inimicitias Christi, expellerent eum de populo, quasi leprosum, non recipientes mandatum : » hæc *Chrysostomus*.

5 CUR EUM AD SACERDOTES MISERIT? — Et humiliter misit eum ad sacerdotes, quorum erat lepram discernere, præcepitque, secundum Legem, munus eis offerre. Hoc autem primo ideo fecit, quia licet esset mundatus, non tamen reputabatur mundus, nec debebat, secundum Legem, restitui ad communem habitationem hominum, nisi prius per sacerdotum judicium mundatus esse demonstraretur, et munus Domino, pro ejus mundatione offerretur. Unde sicut ad eorum arbitrium separabatur, ita non sine eorum arbitrio ad consortium aliorum admittebatur. — Secundo, propter humilitatem, ut sacerdotibus deferens, non videretur eorum gloriam rapere, vel honorem; et ut ostenderet exhibendam sacerdotibus reverentiam. — Tertio, ut quod in eo sæpe criminabantur, ostenderet se non Legis transgressorem, *nec Legem solvere, sed adimplere* venisse; secundum Legem gradiens, et supra Legem curans. — Quarto, ut intelligerent eum, non Legis ordine et consuetudine, sed Dei gratia et operatione, supra Legem curatum esse, et se majoris virtutis esse quam Legem vel sacerdotes, quia lepram cognoscebant, quem mundare non poterant. Item, ut sacerdotum animos ad credulitatem provocaret, et non credentibus omnem excusationem auferret, offerri munus voluit; *in testimonium illis,* id est contra illos, si viso miraculo non crederent, sed pro illis, in testimonium salutis, si crederent; ut scilicet videntes leprosum mundatum, si crederent mundatori, salvi fierent, et sic credentibus esset testimonium

Digitized by Google

et causa salutis eorum; si vero non crederent, inexcusabiles essent, eo quod viderint et non crediderint, et sic non credentibus fieret accusatio, et testimonium damnationis eorum. Per hoc etiam quod eum ad sacerdotes misit, figurare et docere voluit, quod peccator, qui per leprosum signatur, licet sit mundatus a lepra peccati per contritionem, tamen adhuc tenetur se sacerdoti ostendere per confessionem, et ad ejus consilium subire satisfactionem. Unde Dominus istum leprosum tangendo mundavit, et postea, ut sacerdoti se repræsentaret et sacrificium offerret, præcepit. Tunc enim leprosus a Deo tangitur, quando peccator compungitur; tunc sacerdoti se repræsentat, quando peccato confitendo manifestat; tunc sacrificium offert, quando satisfactionem complet. Piger quippe ex spectat, donec sacerdos eum quærat; sed tu prævені sacerdotem, et lepram animæ ostende per oris confessionem, quæ confessio quatuor conditiones debet habere. Prima est, quia debet esse voluntaria; unde dicit : *vade,* non ductus, nec tractus, nec coactus, sicut qui tormentis afflictus vel timore mortis in ultimis confitetur peccata. Secunda est, quia confessio debet esse nuda et aperta; unde dicit : *ostende*, quid scilicet egisti, quid cogitasti, quid locutus es; non dicit : absconde, scilicet excusationibus aut verborum palliationibus, vel mentiendo, aut etiam mussitando, vel non plene omnia peccata cum debitis circumstantiis recitando. — Tertia est, quia confessio debet esse pura; unde dicit : *te,* scilicet ostende, et non alios. Contra quod aliqui dupliciter faciunt, vel aliorum facta recitando, vel eos cum quibus peccaverunt revelando. — Quarta est, quia confessio debet esse ordinaria; unde dicit : *sacerdoti,* quia non cuique facienda est, sed sacerdotibus qui habent clavem scientiæ et auctoritatis.

6 Leprosus typice totum genus humanum significat. — Typice leprosus significat genus humanum, lepra originali infectum et per hoc ad varia peccata pronum. Per lepram enim, quæ morbus contagiosus est, originalis culpa significatur, quæ per carnalem generationem ad posteros derivatur. Qui manu Christi tactus sanatur, quia virtute ejus per Baptismum emundatur; per oblationem autem muneris, et divulgationem operis, significatur quod baptizatus tenetur Deo fideliter servire, et eum jugiter collaudare. Unde *Beda* : « Typice autem leprosus significat humanum genus, languidum peccatis, plenum lepra, quoniam *omnes peccaverunt, et egent gratia Dei,* illa scilicet ut extenta manu, id est incarnato Dei Verbo humanamque contingente naturam, a prisci erroris varietate mundentur et offerant pro sua emundatione corpora sua hostiam Deo vivam : » hæc *Beda*. Hoc idem Dominus miraculum, per gratiam suam facere, quotidie non dedignatur. Quotiescunque enim aliquem impium justificat, recte leprosum mundat.

7 Moraliter leprosus quemcunque peccatorem significat. — Moraliter quippe per leprosum significatur peccator, pluribus de causis. Primo, quia lepra est morbus contagiosus, et periculosum est commorari cum leprosis; sic peccatores contagiosi sunt, et inficiunt alios ad peccandum, et ideo periculosum est conversari cum eis. — Secundo, quia lepra est morbus periculosus, inficit enim totum corpus, non tantum partem ejus; sed peccatum est periculosius, quia corpus, et animam inficit et corrumpit, et ideo valde timendum et fugiendum est. — Tertio, quia lepra est morbus

Digitized by Google

fetidus et abominabilis, sic peccatores fetentes sunt et abominabiles Deo et Angelis. — Quarto, quia leprosi separantur ab aliis hominibus et locantur extra alios, sic peccatores positi sunt extra gratiam Dei et extra communionem fidei et Ecclesiæ, et separantur a bonis, hic quantum ad meritum, sed in futuro quantum ad consortium, et quantum ad locum, et quantum ad præmium. — Quinto, quia sicut lepra varium exprimit colorem in cute, sic peccatum varias habet species in mente. Illa enim anima leprosa est, quæ superbia, ira, avaritia, accidia, gula, invidia, vel luxuria sordescit. Nam significatur in carnis tumore superbia, in exustione iracundia, in siti avaritia, in ponderositate accidia, in prurigine gula, in putredine invidia, in fetore anhelitus luxuria. Talis leprosus confidenter currat ad Jesum, scilicet ad medicum, non desperet, vere pœniteat, et mundari desideret. Cum fideli leproso ex humilitate et pudore in faciem procidat, ut de suæ vitæ maculis erubescat. Sed confessionem verecundia non reprimat, vulnus ostendat, ac cum lacrymis et gemitibus se peccatorem recognoscat, detecto vulnere remedium quærat, et Domini misericordiam compuncto animo et corde imploret, et remedium postulet. Deo se humiliet et deprecetur eum, ut sua gratia se tangat et sanet. Confiteatur sese immundum, et Christum potentem ad se mundandum, et apud ipsum cum leproso clamet et dicat: *Domine, si vis, potes me mundare.* Si enim hoc egerit, certus sit de misericordia, non desperet de venia, quia benignus est Dominus qui neminem ad se venientem repellit, sed omnibus sinum suæ misericordiæ aperit et expandit. Non eget spatio annorum vel longitudine temporis in pœnitentia, sed *cor contritum et humiliatum* requirit, et digne pœnitentibus peccata per misericordiam relaxat. Tali enim manus divinæ misericordiæ protenditur, cujus tactu et imperio cuncta ejus crimina relaxantur. Extendit enim Dominus manum, quando divinæ miserationis impendit auxilium, et statim consequitur remissionem delictorum. Nec tamen debet Ecclesiæ reconciliari talis, nisi judicio sacerdotis; a peccatis autem mundatus, debet Deo offerre munus, id est sacrificium laudis, et eum ubique laudare, quia debet Deo valde gratus esse, et semper gratias referendo et proximis bona quæ potest faciendo, servans erga Deum et erga proximos caritatem. Nihil enim nobis per vanam gloriam debemus attribuere, sed omnia Deo offerre. De omnibus enim operibus nostris Deus vult ut habeamus totum meritum et proximus habeat bonum exemplum, sed Deus vult habere laudem et gloriam. Tria enim sibi Deus specialiter reservavit, et nulli creaturæ unquam communicare voluit, scilicet gloriam, vindictam, et judicii potestatem. Gloriam autem auferunt vane gloriosi; vindictam superbi et iracundi, qui de injuriis sibi illatis vindicare se cupiunt; judicium, temerarii et præsumptuosi, qui de occultis aliorum judicare volunt.

8 Gratitudo leprosi Christum prædicantis. — Et quia, ut dicit hic *Titus,* oportet beneficiatum gratum esse, gratias reddere, etiamsi beneficians non indigeat; ideo licet præcepisset Dominus leproso mundato ut de sua curatione taceret, tamen *egressus,* et recedens, *sermonem,* id est opera et verba Domini, *diffamabat,* et sermo sanitatis et doctrinæ de illo magis perambulabat, quia hoc ipso quod homo fugit famam et gloriam, acquirit eam. Nam, ut ait *Bernardus,* hoc solum habet mundi

Digitized by Google

gloriosum, quod insequentes se fugit, et fugientes insequitur. Et ideo comparatur umbræ, quam si secutus fueris, non apprehendes, et si præcurreris, non effugies. Ille itaque functus officio Evangelistæ, *cœpit prædicare,* et se interius exteriusque sanatum docere; ita quod unius salvatio multos ad Deum cogeret venire, et Jesus *jam non posset manifeste* propter turbam et pressuram hominum, ad quærendum sanitates et videndum miracula concurrentium, *in civitatem,* ad orandum introire. Undę secedebat in desertum, ut secretius oraret; sanat ut Deus, sed orat ut homo.

9 DOMINUS IN DESERTUM SECEDIT AD VITANDUM TUMULTUM ET AD SUUM PATREM ORANDUM. — *Et conveniebant ad eum undique* turbæ, ut ejus doctrinam audirent et sanitates perciperent. Strepitum igitur et tumultum Dominus fugit, et secretum locum quærit, ut ostendat se magis quietam et seculi curis remotam diligere vitam, quia tumultum et carnales mentes declinat, secretas vero a mundanis curis visitat. In quo etiam ostendit, quod prædicatores verbi divini debent fugere applausum populi, et aliquando se retrahere a multitudine, ut vacent orationi. Ubi *Hieronymus :* « Quod autem non poterat Jesus *manifeste in civitatem introire, sed foris in desertis locis* esse, significatur quod non omnibus manifestatur Jesus qui latis atque planis serviunt laudibus et propriis voluntatibus, sed his qui cum Petro foras exeunt et in desertis locis sunt, quæ elegit Dominus ad orandum et reficiendum populum, qui deserunt delectationes mundi, et omnia quæ possident, ut dicant : *Portio mea Dominus.* Gloria vero Domini manifestatur his qui undique conveniunt, id est qui per plana et ardua ad eum veniunt, quos nihil potest separare a charitate Christi. » Ubi et *Beda :* « Quia in urbe miracula facit, in deserto vero vel monte orando pernoctat, utriusque nobis vitæ et activæ, scilicet et contemplativæ, documenta præmonstrat; ut nec contemplationis studio quis proximorum curam negligat, nec cura proximorum immoderatius obligatus contemplationis studia derelinquat, quatenus nec amorem Dei præpediat amor proximi, nec amori proximi obviet amor Dei. In monte quippe orare est, relictis infirmarum cogitationum curis, tota mente quemlibet ad æterna supernæ contemplationis gaudia festinare. In desertum secedere et orare est exsurgentem intrinsecus strepitum terrenorum desideriorum premere, et quoddam sibi cum Domino intra se secretum quærere, ubi cum illo, exteriori cessante tumultu, per interna desideria silenter loquatur. » Unde etiam *Gregorius :* « Redemptor noster, per diem miracula in urbibus exhibet, et ad orationis studium in monte pernoctat, ut perfectis, videlicet prædicatoribus, innuat quatenus nec activam amore speculationis funditus deserant, nec contemplationis gaudia operationis nimietate contemnant; sed quieti contemplantes sorbeant, quod occupati erga proximos loquentes profundant : » hæc *Gregorius.* Quod autem hic, secundum Marcum et Lucam, dicitur, quia Jesus *non posset manifeste in civitatem introire,* sed *secedebat in desertum,* non intelligitur de illa die qua curaverat leprosum; quia, illo curato, intravit ipsa die Capharnaum civitatem, secundo milliario ibi proximam, antequam sermo seu fama ad multos perveniret. Unde et Matthæus hoc miraculum de leproso, cum sequenti de Centurionis servo simul continuat.

Digitized by Google

ORATIO

Domine Jesu Christe, qui de monte paterni solii, et virginalis uteri descendisti, ut sanares lepram generis humani; ecce ego leprosus variis peccatorum maculis aspersus, adoro te, Domine. Si vis, potes me mundare; extende manum gratiæ et pietatis; tange interiora et exteriora leprosi te invocantis; miserere mihi pœnitenti, et impera morbo peccati. Deus meus et misericordia mea, qui non vis mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat, perfice hæc in me peccatore, ut in anima non moriar, sed convertar et vivam tecum in æternum. Amen.

CAPUT XLII

De servo Centurionis paralytico.

Matthæi cap. 8.

1 LAUS CENTURIONIS, PRÆSERTIM QUIA GENTILIS ERAT. — Deinde cœpit Jesus appropinquare civitati Capharnaum, quæ, ut dictum est ibi, prope erat; et tunc *Centurio*, seu tribunus, id est princeps centum militum, positus ibi a Romanis, pro collectione tributi et custodia Galilææ, ne forte vellent contra Romanos, quibus tota illa terra subjecta erat, rebellare, propter quod manebat in Capharnaum, quæ erat metropolis illius terræ, tunc civitas gloriosa, sed nunc valde abjecta, *accessit ad eum*, fide, desiderio, et devotione, potius quam gressu corporalis præsentiæ. Unde *Origenes* : « Accessit alienigena generatione, seddomesticus corde; alienus natione, sed proximus fide; et princeps militum, et socius Angelorum. » Iste non erat Judæus, sed Gentilis, et ideo per seipsum non est ausus ad Jesum corporaliter accedere, reputans se indignum præsentia Christi esse; sed primo per *seniores Judæorum*, quasi per familiares et dilectos Jesu, *accessit*, quos misit ad eum, *rogans*, per eos, et dicens: *Domine*, in cujus potestate est morbus et sanitas, mors et vita; *puer meus*, id est servus et subditus, quem curialiter loquens vocat puerum, ab ætate vel familiaritate potius quam conditione, contra superbos, qui dedignantur famulos; *jacet paralyticus in domo*, contra inhumanos dominos, qui de domo sua expellunt infirmos et ad hospitale mittunt eos; *et male torquetur*, propter multa incommoda quæ patitur. Tria verba hæc, scilicet *jacet, paralyticus, et torquetur*, dicit, ut et animæ suæ augustias indicet et Dominum ad misericordiam flectat. Unde *Chrysostomus* : « Infirmitatem tantummodo exposuit, sed remedium sanitatis in potestate

Digitized by Google

misericordiæ ejus dimisit. Divina autem providentia Judæi sunt missi, ut inexcusabiles fierent, si viso miraculo et credente Gentili, non crederent. Iste quidem Centurio, auditis Christi miraculis, firmiter credidit quod poterat sanare servum ejus, qui erat sibi carus, et moriturus, nisi per Christum fuisset sanatus; et ideo de ejus sanatione erat sollicitus. » In hoc ergo facto Centurionis tantam curam et sollicitudinem pro servo habentis, discere debemus commisereri servis nostris et subditis, ac sollicitudinem et curam habere de eis. Non erat ipse sicut multi sunt hodie; qui videntes subditos suos infirmari, eos negligunt : et plus de seipsis sanis, quam de subditis infirmis solliciti sunt, plusque sibiipsis in voluptatibus, quam subditis in necessitatibus, condescendunt. Rogavit, inquam, affectans ut veniret ad domum suam, minus plene præ augustia servi et desiderio curæ, cogitans Christi majestatem et reverentiam. Jesus autem sciens devotionem ejus, respondit per ipsos internuntios : *Ego veniam,* ecce humilitas; *et curabo eum,* ecce pietas. Venit autem potentia sanandi, non præsentia corporali : *Et ibat cum illis.* Alterius modi erat iste medicus, quam sunt illi qui non pauperes, sed divites visitare sunt parati. *Et cum jam esset prope domum, Centurio* plenius cogitans, et per actum fidei se convertens, ad Christi eminentiam et majestatem accessit ante reditum aliorum, per *amicos* sibi magis domesticos, quos *misit ad eum,* rogans ut non veniret, *dicens : Domine, noli vexari : non enim sum dignus ut intres sub tectum meum.* Non dicit palatium, non domum, licet princeps esset; sed *tectum,* præ humilitate sui et consideratione magnitudinis Christi. Propter Gentilis vitæ conscientiam, timebat offendere Christum, quem credebat Deum, si corporali præsentia intraret ad eum. Sed, secundum *Augustinum,* dicendo se indignum, præstitit se dignum, non intra cujus parietes, sed in cujus cor Christus intraret. Unde et *Chrysostomus* : « Quia indignum se fecit suscipiendi Christum in domo, dignus factus est regno. » Et ad majorem sui humiliationem adjecit, dicens : *propter quod et meipsum arbitratus non sum dignum ut venirem ad te,* et internuntios submisi pro me. *Sed tantum,* sine præsentia corporali, *dic verbo,* per quod omnia creantur, reguntur et sanantur, *et sanabitur puer,* et servus *meus.* — *Ipse* enim *dixit, et facta sunt.* Ubi sic ait *Beda* : « Magna est fides, quæ dicere credit esse facere. » Ubi et *Petrus Cantor* Parisiensis : « Hinc argue melius esse abstinere ab ordine, a confectione, vel sumptione Eucharistiæ, nisi plurimum ad hoc vel illud accedentem confortet bona conscientia; quam ordinari, vel conficere, vel sumere cum conscientia, non dico læsa, quia hoc esset mortale, sed dubia, de qua dubito an sana sit, cum sic accedens potius graver quam juver. Et quia irregularitas excludit aliquem a ministerio hujus sacramenti, ideo non debet ignorare ex quo incurritur irregularitas, ex quo ponit se ad talem actum, sed scire debet suum statum. »

2 Virtutes Centurionis. — In opere hujus Centurionis, tres mirabiles nobis ostenduntur virtutes, scilicet : humilitas, fides, et prudentia. Magnam enim humilitatem habuit, qui cum Dominus ad eum venire paratus esset, indignum se ut sub tectum suum intraret, judicavit. Perfectam quoque habuit fidem, quia, cum esset Gentilis, solo verbo Deum credidit posse puero reddere sanitatem. Non parvam

Digitized by Google

etiam prudentiam habuit, quia ultra carnem divinitatem latentem cognovit, et eum quem corporaliter ambulantem vidit, ubique per divinitatem esse præsentem intellexit. Nec caritas in eo defuit, quia cum multi pro sua suorumque filiorum, ac carorum salute ad Dominum rogaturi accederent, ille pro servi tantum sanitate rogavit. Unde adhuc in fidei constantia perseverans, ostendit quod Dominus verbo potest sanare, dicens : *Nam et ego homo sum sub potestate,* altiori, scilicet Præsidis et Imperatoris, *constitutus, habens sub me milites,* et servos ; *et dico huic,* militi, *vade, et vadit,* quantum ad negotium implendum in absentia ; *et alio* (quod antiqua est grammatica, id est alii), *dico, veni, et venit,* quantum ad officium implendum in præsentia ; *et servo meo,* dico, *fac hoc, et facit,* sine resistentia. Ex his concludit, quod si dicto ejus unus vadit et alius venit, et alius facit quod jubet, multo plus, si Christus Deus et Dominus dicat infirmitati vade, et vadet, et sanitati veni, et veniet, et paralytico fac hoc, et faciet ; vel servientibus sibi Angelis, ut hæc miracula faciant, et facient. Et est ratio a minori talis : Potius debet fieri verbum Dei, quam hominis subjecti ; sed verbum meum fit, qui sum homo et non Deus, subjectus et non Dominus summus ; ergo et tuum, qui es Deus et summus Dominus. Si ergo ego, qui sum homo modicæ potentiæ, et majori subjectus, solo verbo operor per ministros meos, et possum imperare inferioribus, qui ad verbum meum mihi obediunt ; multo magis, tu qui Deus es ubique præsens, et potens super omnes potestates et omnium Dominus, cui omnes potestates serviunt, cui Angeli et omnia obediunt, poteris solo verbo et sine præsentia corporali servum meum curare ; et ideo non est necesse corporaliter eundo te fatigare.

3 Admiratio Christi fidem ipsius commendantis. — *Audiens autem Jesus* verba Centurionis, expressiva tantæ fidei, scilicet quod sub velamento carnis agnovit excellentiam majestatis : *miratus est,* id est ad modum mirantis se habuit, et vultum mirantis ostendit. Admirabatur Dominus fidem Centurionis, quam cordi ejus mirabiliter ministrabat, et magnalia Dei in eo laudavit, non quod ei aliquid mirandum esset, qui cuncta mirabiliter operatur, sed ut nos in beneficiis Dei mirari et laudare doceret. Unde *Augustinus :* « Quia miratur Dominus, nobis mirandum esse signat, quibus adhuc opus est sic moneri ; omnes enim tales motus, cum de Deo dicuntur, non perturbati animi signa sunt, sed docentis Magistri. » Centurionis ergo Dominus fidem admirans, pariter et collaudans, *sequentibus se dixit,* fidem ejus approbando, et in exemplum proponendo : *Non inveni tantam fidem,* id est tantæ fidei signum, vel fidei facilitatem, scilicet in credendo, *in Israel,* id est in populo Israelitico, scilicet hujus temporis præsentis. Invenit enim in antiquis majorem, ut in Abraham, Isaac et aliis pluribus Patriarchis et Prophetis, qui fuerunt fidei nostræ principium. Excipitur autem semper beata Virgo, cum de meritis vel peccatis fit mentio. Nec tamen hoc verbum Christi de omnibus præsentibus est intelligendum, quia excluduntur illi quibus loquebatur, scilicet Apostoli sequentes eum. Hoc autem apparet, secundum communem usum loquendi, ut si quis intrat domum aliquam cum societate, si nullum ibi invenerit, dicit : Non inveni aliquem in domo ista. In tali enim modo loquendi non connumerat se-

Digitized by Google

cum venientes, et redditur locutio vera, pro pluribus absentibus. Vel, secundum *Chrysostomum,* si volumus fidem hujus præferre fidei Apostolorum, sic intelligendum est, secundum quod unumquodque bonum hominis, secundum qualitatem illius laudatur. Rusticum enim dicere aliquid sapienter magnum est, quod de Philosopho non est mirum; sic et hic. Non enim erat æquale Judæum credere et Gentilem. Vel, secundum eumdem *Chrysostomum,* intelligendum est quantum ad originem credendi, quia alii pluribus signis visis crediderunt; iste vero, nullo miraculo viso, sed tantum auditu, credidit. Ubi *Hieronymus :* « De præsentibus dicit, *non inveni tantam fidem in Israel,* non de Patriarchis et Prophetis, nisi forte in Centurione fides Gentium præponatur Israeli. » Et *Beda :* « Præsentibus ideo fides Centurionis antefertur, quia illi Legis Prophetarumque monitis edocti erant; hic autem, nemine docente, sponte credidit : » hæc *Beda.* Mirabatur ergo Jesus de fide Centurionis, Gentilis hominis, et eam laudavit, ut ex istius laude erubescant et confundantur Israelitæ; et ideo tunc fidem Gentium mirabatur, quam ultra fidem Judæorum crescere videbat. Nec solum fides Gentium et in Centurione collaudata, sed etiam præfigurata.

4 HUJUS OCCASIONE PRÆDICIT DOMINUS VOCATIONEM GENTIUM ET JUDÆORUM REPROBATIONEM. — Unde, occasione accepta ex fide hujus Gentilis, concludit et prædicit Dominus conversionem et vocationem Gentilium, et ex opposito, scilicet infidelitate, reprobationem Judæorum, dicens : *Amen,* id est fideliter, *dico* et prædico *vobis quod,* ad exemplum istius in quo fides Gentium præfiguratur, *multi,* sed non omnes, quia non omnes obediunt Evangelio, *ab Oriente et Occidente,* ac etiam ab Austro et Aquilone, id est ex omni parte mundi et ex omni genere Gentium, *veniente* ad fidem et unitatem Ecclesiæ. Unde, secundum *Augustinum,* istis duabus partibus, scilicet Oriente et Occidente, totus orbis designatur. Unde sub typo Ecclesiæ dictum fuit Jacob : *Dilataberis ad Orientem et Occidentem, ad Septentrionem et Meridiem.* Moraliter autem *ab Oriente veniunt* qui ex consideratione propriæ naturæ vel nativitatis humiliantur, vel qui pœnitentiam agunt in sua juventute; *ab Occidente,* qui ex memoria moris convertuntur, vel qui pœnitentiam agunt in senectute; *ab Austro,* qui, favente prosperitate, vacant operibus pietatis et inter prospera servant temperantiam; *ab Aquilone,* qui, necessitate urgente, compunguntur et inter adversa servant patientiam. De his enim omnibus aliqui salvabuntur. *Et recumbent,* id est feliciter requiescent, non carnaliter jacentes, sed spiritualiter pausantes, *cum Abraham, Isaac et Jacob,* quorum fidem imitati sunt; et cum aliis fidelibus et amicis meis, *in regno cœlorum* et justorum, ubi lux et gloria, et longævitas vitæ æternæ, et omne bonum. *Abraham, Isaac et Jacob* specialiter nominantur, quia istis principaliter facta est promissio de terra promissionis, per quam patria beatorum significatur. *Filii autem regni,* id est Judæi, in quibus regnabat Deus, vel *filii regni* vocatione, non electione; promissione, non consecutione; sua reputatione, non re; qui pro regno habendo facti fuerunt, sed se indignos reddiderunt, *ejicientur,* a facie et visione Dei, *in tenebras exteriores,* quia in se habent interiores; tenebræ primæ sunt culpæ, aliæ autem sunt gehennæ. Nam, secundum *Gregorium,* interiores tenebræ sunt

Digitized by Google

cæcitas mentis; exteriores, æterna nox damnationis. Ideo autem dicuntur ibi esse tenebræ exteriores, quia licet ibi sit ignis, tamen non lucet, ad ostendendum damnatis aliquid ad eorum consolationem, sed ad eorum desolationem. Unde *Isidorus:* « Ignis gehennæ lucebit miseris, ad miseriæ augmentum, ut videant unde doleant; non ad consolationem, ut videant unde gaudeant. » *Ibi erit fletus* oculorum, ex fumo et calore ignis, eo quod mors intravit per fenestras, quia non licet intueri, quod non licet concupisci; *et stridor dentium* ex frigore, quia hic gaudebant de edacitate. Vel, *fletus* ex angustia animi, *stridor* ex indignantis affectu, eo quod sero pœnituerunt de peccato : et in hoc ostenditur tormentorum magnitudo.

5 Servus Centurionis sanatur.— *Et dixit Jesus Centurioni,* scilicet per internuntios supradictos : *Vade,* id est securus revertaris, et *sicut* perfecte *credidisti,* sic *fiat tibi,* in sanatione servi tui; ut sicut per nuntios accessisse, sic et per nuntios reversus fuisse, intelligatur. Ubi *Rabanus :* « Fidei merito ostendit impetrasse salutem servo, ut fidei robur magis in eo accresceret, quo prospiceret quæcunque vellet per illam impetrasse se posse. » *Et sanatus est puer,* verbo Christi absentis, *ex illa hora,* quia Christus protulit hoc verbum, *fiat,* quo etiam verbo omnia creata sunt; ut fides Centurionis verificaretur, et potentia Christi, quam Centurio confessus fuerat, ex opere subsecuto pateret. Dixerat enim Centurio, et confessus est : *Sed tantum dic verbo, et sanabitur puer meus;* et Christus dixit, et opere complevit. Unde *Chrysostomus :* « Ubi velocitatem admirare, neque enim solum curare, sed inopinate et in momento temporis hoc facere, virtutem Christi ostendebat.» In itinere autem verbo sanavit eum, ne putaretur ire corporaliter ob impotentiam, et non ob humilitatem. Hic considerandum est quantum unicuique fides valeat propria, quando tantum valuit aliena. Nam propter fidem Centurionis sanitas puero est reddita.

6 Humilitas Domini, hic etiam non rogatus, ad servum Centurionis ire volentis; et postea ad filium reguli etiam rogatus ire renuentis. — Considera etiam hic humilitatem Domini, quia ad servum Centurionis, etiam non rogatus, ire paratus fuit; ad filium autem reguli, de quo infra dicetur, quasi pompam refugiens, etiam rogatus, ire noluit. Excelsus enim, *Dominus humilia* de prope *respicit : et alta,* id est superba, *a longe cognoscit,* id est contemnit. In quo, secundum *Gregorium,* superbia nostra retunditur et increpatur, qui personas acceptando in hominibus, non naturam qua ad imaginem Dei facti sunt, sed honores et divitias veneramur. Ecce de cœlo venit, qui servo occurrere in terram non despicit, et tamen humiliari in terra contemnimus, qui de terra sumus! Quid vero apud Deum vilius, quid esse despectius potest, quam servare honorem apud homines, et interni testis oculos non timere? Unde *Ambrosius :* « Ad reguli filium noluit pergere, ne in reguli filio videretur magis divitiis detulisse; hic ipse perrexit, ne videretur in Centurionis famulo, conditionem despexisse servilem; omnes enim, servus et liber, in Christo unum sumus : » hæc *Ambrosius.*

7 In Centurione fides Gentium præfiguratur. — In Centurione fides Gentium præfiguratur, et per eum primitiæ et electi de Gentibus designantur, qui quasi centenario militi stipati, virtutum perfectione sunt sublimes, credentes in Christum, et laborantes ad conversionem

Digitized by Google

aliorum. Unde *Remigius* : « Per Centurionem designantur, qui primi ex Gentibus crediderunt, et perfecti in virtutibus fuerunt. Centurio enim dicitur *qui centum militibus præest;* centenarius autem numerus perfectus est. » Recte ergo Centurio pro puero suo rogat, quia primitiæ Gentium, pro salute totius Gentilitatis Deo supplicaverunt. Et si opponitur de Magis qui primo Domino crediderunt, respondendum quod Centurio dicitur primitiæ Gentium, quia primus credidit a nullo edoctus, nisi a Spiritu Sancto. Magi vero etsi primi crediderunt, edocti tamen per libros Balaam, et per novæ stellæ indicium. Ipsis autem Gentibus corporalis Christi præsentia non est exhibita, sed verbum fidei per Apostolos eis misit et ab infidelitate sanavit.

8 In ejus servo peccatoris miseria. — Moraliter, per istum puerum Centurionis significatur peccator, propter quatuor mala quæ peccator incurrit, quæ designantur in quatuor conditionibus, quæ de isto puero hic scribuntur : Primum malum peccatoris est servitus peccati, id est pronitas peccandi; et propterea dicitur de puero isto, quod erat servus. Unde Joannes : *Omnis qui facit peccatum, servus est peccati.* Et Petrus : *A quo quis superatus est, hujus et servus est.* Et *Augustinus* : « Peccator est servus tot dominorum, quot vitiorum. Peccatum autem cum homini dominatur, facit eum pronum ad peccandum, ut ex uno peccato ad aliud tendat. Peccatum etiam ulterius deducit ad aliam servitutem, scilicet diaboli, quia superbus est servus Luciferi, avarus est servus Mammonis, luxuriosus est servus Asmodei, etc. » — Secundum malum est impotentia ad bene operandum, quod significatur per jacentem. Unde dicitur iste puer jacere in domo; jacentes enim nihil operantur, vel operari possunt. Jacet autem peccator aliquando in igne iracundiæ, aliquando in luto luxuriæ, aliquando in spinis avaritiæ. Et bene dicitur jacere, quia nullum bonum meritorium potest operari. — Tertium malum est timor et tremor, quia semper est peccator in timore, quod per paralysim designatur, ex qua fit dissolutio et tremor membrorum. Si enim dicatur peccatori ut det eleemosynam, aut male acquisita vel ablata restituat, timet ne sibi deficiat; si dicatur quod jejunet, timet ne esuriat; si dicatur quod confiteatur peccata sua, timet de verecundia; si dicatur quod faciat pœnitentiam et satisfactionem de peccatis, timet de afflictione et incommodo corporis. Ecce quomodo iste paralyticus tremit et ad sonitum folii pavescit. — Quartum malum est afflictio spiritus, quod signatur per hoc quod de puero isto dicitur, quia male torquetur. Et revera, omnis peccator male torquetur in seipso, propter vermem conscientiæ, qui semper pungit et rodit. Unde *Augustinus* : « Jussisti, Domine, et ita est, ut pœna sibi-ipsi sit omnis inordinatus animus. » Unde et Sapientia : *Semper præsumit sæva perturbata conscientia.* Ex alio etiam torquetur peccator, dum anxius est quomodo acquirat honores, divitias mundi, oblectamenta corporis. Torquetur inter prospera, per curam superfluam; et inter adversa per impatientiam. Item male torquetur, quando considerat turpitudinem vitiorum, in quibus jacet, et pœnas infernales, quibus æternaliter subjacebit; nec tamen miser per pœnitentiam resilit. Sed tamen, talem quandoque curat Dominus, veniendo ad eum, suffragantibus meritis Sanctorum. Tu, ergo, si habes animam paralyti-

Digitized by Google

cam et talia mala in te sentis, roga et mitte Sanctos, ut ad Dominum intercedant pro te, sicut seniores pro Centurione, et clama ad Dominum, dicens devote cum eodem : *Domine, puer meus jacet paralyticus in domo et male torquetur ; — et non sum dignus,* propter fragilitatem naturæ, propter fœditatem culpæ et multiplicitatem miseriæ, *ut intres sub tectum meum,* tam angustum, tam immundum, tam ruinosum; *sed tantum dic verbo, et sanabitur,* ad tuum imperium. Et quia istud verbum Centurionis tantæ efficaciæ fuit, quod, ut supra dictum est, dignum præstitit, ut in corde ejus Christus habitaret, et ad recipiendum corpus Christi in sacramento Eucharistiæ nullus est dignus; ideo quando ad mensam Christi accedimus et fragilitatem nostram consideramus, verbis Centurionis edocti, dicamus singuli : *Domine, non sum dignus ut intres sub tectum meum,* non sum dignus ut Corpus et Sanguinem tuum suscipiam in os meum, ut videlicet virtute verborum istorum digni effici mereamur. Unde *Origenes :* « Nunc etiam quando sancti et acceptabiles Ecclesiarum antistites sub tectum tuum intrant, ibidem Dominus per eos ingreditur, et tu sic æstimes, quasi Dominum suscipiens, et quando Corpus et Sanguinem Domini manducas et bibis, tunc Dominus sub tectum tuum intrat, et tu ergo humilians teipsum, dicas : *Domine, non sum dignus, ut intres sub tectum meum.* Ubi enim indigne ingreditur, ibi ad judicium ingreditur accipienti : » hæc *Origenes.*

9 In sensu morali Centurio rationis, ejusque servus appetitus sensitivi typum gerebant. — Per istum etiam Centurionem significatur ratio, vel intellectus, cujus servus est appetitus sensitivus, qui debet obedire rationi; sed ex corruptione naturæ est infirmus ad obediendum ei, propter quod homo per rationem cognoscens hanc infirmitatem in suo appetitu sensitivo, per se et per alios debet rogare Deum ut sanet servum suum; et sic puer ejus sanatur per Dominum. Item, sicut ille Centurio dicebat : *Nam et ego homo sum sub potestate constitutus, habens sub me milites, et dico huic : vade, et vadit; et alii : veni, et venit; et servo meo : fac hoc, et facit.* Sicut dicit *Cassianus,* perfecta mens, quæ per Centurionem intelligitur, sub Dei potestate constituta omnibus viribus suis dominatur, et habet potestatem cogitationes noxias depellendi et in bonis cogitationibus immorandi. Tunc malis cogitationibus dicere possumus : abite, et abscedent; bonis vero dicere : venite, et venient; servo quoque nostro, id est corpori, quod debet servire spiritui, ea quæ castitatis et continentiæ sunt, similiter injungemus, et sine ulla contradictione obtemperabit, omnemque subjectionis spiritui exhibens famulatum.

ORATIO

Domine Jesu Christe, non sum dignus ut intres sub tectum carnis meæ, quia puer sensualitatis jacet paralyticus, dissolutus morbo peccati in domo corporis mei, et male torquetur concupiscentiarum motibus; sed veni per gratiæ infusionem, et dic verbo veritatis ut sanetur puer meus, et resurgat a peccatis. Præsta, misericors Deus, mihi misero sub potestate tuæ gratiæ constituto et habenti de tua gratia sub me vires et virtutes naturales, ut

Digitized by Google

habeam potestatem cogitationes et motus noxios repellendi, et in bonis immorandi, ac corpori ut spiritui serviat imperandi. Amen.

CAPUT XLIII

De curatione dæmoniaci, et de socru Petri.

Marci cap. 1 et Lucæ cap. 4.

1 CUR CHRISTUS SABBATIS PRÆSERTIM DOCUERIT? — *Et ingrediebatur Dominus Jesus in civitatem Capharnaum,* quod interpretatur *ager,* seu *villa pulchritudinis,* et *pinguedinis,* et *consolationis :* et significat animam religiosi devoti, quæ debet esse impinguata pinguedine triplici, scilicet caritatis, devotionis, et contemplationis. Ad istam villam descendit libenter Christus, et ob hoc efficitur villa pulchritudinis et consolationis. De pulchritudine et consolatione hujus villæ dicit *Petrus Ravennas* : « Juxta sententiam cordis mei, si paradisus in hac vita præsenti est, vel in claustro vel in scholis est; quidquid enim est extra hæc duo, plenum est anxietate, inquietudine, amaritudine, formidine, sollicitudine et dolore. » Hoc tamen quod dicit de scholis, intellige de divinis Scripturis, non de aliis vanis scientiis. Unde *Hugo :* « Nihil in hac vita dulcius sentitur, nihil avidius sumitur, nihil ita mentem ab amore mundi separat, nihil sic animum contra tentationes roborat, nihil ita hominem excitat et adjuvat ad omne opus bonum et ad omnem laborem, sicut studium sacræ Scripturæ. » *Et statim sabbatis* quando plures concurrebant et ab operibus servilibus quiescendo spiritualibus vacabant, *ingressus synagogam* ubi Legis periti ad docendum, et communis populus ad audiendum Legis doctrinam conveniebant, *docebat eos.* Maxime tali tempore et loco docebat Christus, quia erant congruentia doctrinæ ejus, tunc enim plurium ad synagogam fiebat conventus; sic modo quilibet Christianus tenetur diebus Dominicis venire ad Ecclesiam et audire ibi missam totam et integram. Et nota quod missa est aliquo modo de Lege naturali, divina et evangelica : lex naturæ vult quod quilibet aliquo temporis spatio vacet ad orandum Deum; Lex Scripturæ præcipit sabbato vacandum ad orationem; sed canones ordinaverunt ad istam orationem tempus missæ, ubi Deus et homo realiter continetur. Ideo, ut dicit *Glossa,* peccant mortaliter qui missam non audiunt, quia præceptum est, nisi cogat necessitas; aliis vero diebus non est præceptum, sed consilium.

2 ADMIRATIO TURBÆ SUPER DOCTRINA EJUS. — *Et* omnes *stupebant,* id est admirabantur, *super doctrina*

Digitized by Google

ejus, tum quia Legem et Prophetas non didicerat, et tamen clarissime docebat, tum quia doctrinam suam divinis operibus confirmabat. Unde subditur : *Erat enim docens eos, quasi potestatem habens,* quia in ostensione signorum et virtutis docebat, et quia pro timore veritatem non celabat, *et non sicut Scribæ,* qui solum verbis docebant et veritatem dicere timebant, vel quia non custodiebant, ideo discere erubescebant. Unde *Beda :* « Sermo doctoris in potestate fit, cum ea quæ docet operatur : nam qui factis ipse sua destruit, contemnitur. Vel ideo in potestate erat, *docens eos, et non sicut Scribæ,* quoniam Scribæ quæ per Legem didicerant, præcepta populis dabant; ipse vero quasi auctor impletorque Legis, vel mutando, vel augendo quæ minus videbantur libere substituit : » hæc *Beda.* Quia ergo Christus doctrinam suam confirmabat per opera miraculosa, ceteri prædicatores et doctores, qui hoc non possunt, debent doctrinam suam confirmare per opera virtuosa; et non sicut Scribæ, qui dicunt et non faciunt, ac doctrinam suam verborum jactantia affirmant et ostentant.

3 SPIRITUS IMMUNDUS CHRISTUM CONFITENS TACERE JUBETUR. — Unde statim potestas Domini ostenditur per factum, cum subditur : *Et erat in synagoga eorum,* forte adductus ad locum sanctum, ut ibi liberaretur, *homo* quidam *habens spiritum immundum,* id est obsessus a dæmone, qui *exclamavit* voce magna, *dicens : Quid nobis et tibi, Nazarene? Venisti* ante tempus *perdere nos,* id est diminuere et auferre nostram potestatem nocendi hominibus et torquere nos. Quia enim diabolus, invidia motus, de salute hominum torquetur, ideo de Christi doctrina, quæ erat animarum salus et medicina, dolebat, et sic clamabat. Unde *Theophilus :* « Exire enim ab homine perditionem suam dicebat dæmonium. Immisericordes enim existunt in homines, malum aliquod pati se æstimantes, cum homines non molestant. » *Scio te, quis sis,* id est vehementer opinor, scilicet Sanctus Dei, id est Christus ad salutem hominum missus. Per prophetias enim de Christo dictas, quæ determinaverant tempus et modum et locum veniendi ipsius Christi, et per alias circumstantias, sciebant ipsum esse Christum in Lege promissum; verumtamen nesciebant ipsum esse Deum; nec per tentationem Christi in deserto diabolus potuit scire de Christo, utrum Dei Filius per naturam esset, licet ad hunc finem tripliciter eum tentaverit. Si enim cognovissent dæmones ipsum esse Deum, nunquam induxissent Judæos ad ipsum crucifigendum. Unde Apostolus : *Si enim cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent.* Ecce quantæ perversitatis sunt multi homines, qui in adversitate sua Deum blasphemant, cum tamen dæmones ipsum prædicent. Ubi *Beda :* « Non voluntatis ista confessio est, quam præmium non sequitur confitendi; sed necessitatis extorsio, quæ cogit invitos. Et velut si servi fugitivi post multum temporis Dominum videant, nihil aliud nisi de verberibus suspicantur; sic et dæmones cernentes Dominum in terris repente versari, ad judicandos se venisse credebant; præsentia Salvatoris, tormenta sunt dæmonum : » hæc *Beda.* Dicitur autem dæmon *spiritus immundus,* ab effectu, quia facit immundum quem possidet; sicut dicitur spiritus surdus, vel mutus, quia hominem surdum vel mutum facit. Vel, secundum *Chrysostomum, immundus* dicitur propter impietatem, ac

Digitized by Google

elongationem a Deo, et quia omnibus immundis et pravis operationibus se immiscet. Ipsum quoque *immundum spiritum,* Dominus, licet vera de eo testificantem, jussit obmutescere, ne veris falsa misceret, et ne videretur ab ipso testimonium quærere, maxime quia Pharisæi dicebant ipsum in Beelzebub dæmonia ejicere, et ne videretur utilitas crucis et Passionis suæ. In quo datur nobis dogma salutiferum, ut dæmonibus qui mendaces sunt et in veritate non steterunt, non credamus, quantumcunque denuntient veritatem; quia si aliquos sibi credentes invenerint, veritati mendacium miscent, et veritatem in mendacium convertunt, ac vera dicendo nituntur credentes in errorem idololatriæ et peccata inducere. Per hoc autem quod Christus increpavit dæmonem, qui suam confitebatur potestatem et sanctitatem, imponens ei silentium, docuit nos laudes turpium fugere. Unde, secundum *Senecam,* tam triste et tam turpe nobis debet esse laudari a turpibus, quam si laudemur ob turpia.

4 DÆMONIACUS A DIABOLO EUM DISCERPENTE LIBERATUR. — Et spiritus immundus jussus exire ab homine, projecit illum in medium, et *discerpens eum,* quantum ad afflictionem, *exivit inde, et nihil ei nocuit,* quantum ad mutilationem. Ubi *Hieronymus :* « Spiritus *discerpens* hominem, *exiit ab eo.* Appropinquante salute, appropinquat et tentatio. Pharao, dimissus ab Israel, persequitur Israel. Diabolus contemptus surgit in scandala : » hæc *Hieronymus.* Sic etiam accidit spiritualiter, quia diabolus sæpe in medium projicit peccatum alicujus ad ejus infamationem; et cum peccator videt se confusum, dimittit peccatum, cogiturque diabolus ab eo exire. Unde in Psalmis : *Imple facies eorum ignominia, et quærent nomen tuum, Domine.* Verecundia enim, quam habet peccator de peccato, est valde utilis ad dimittendum peccatum. Propter quod dicit *Seneca,* quod non dimittendus est pudor, quia quandiu in animo duraverit alicujus, erit bonæ spei locus. Per hoc autem quod *discerpens eum exiit ab eo,* intelligitur quod nullus liberatur a diabolo, nisi discerpatur per compunctionem et contritionem salutarem. Et specialiter hoc de carnis vitio intelligitur, quia vitium carnale non nisi carnis afflictione curatur, ut : *Per quæ quis peccat, per hæc et torqueatur.* De alio autem dicitur : *Et factus est sicut mortuus, ita ut multi dicerent : Quia mortuus est.* Unde *Gregorius :* « Velut mortuus quippe ostenditur, qui a maligni spiritus potestate liberatur; quia quisquis jam terrena desideria subjicit, vitam in se carnalis conversationis exstinguit, et mundo mortuus apparet, quia possessore pravo, qui per immunda desideria se agitabat, caret. Quem multi mortuum dicunt, quia spiritualiter vivere nesciunt, cum qui carnalia bona non sequitur, exstinctum funditus arbitrantur : » hæc *Gregorius.* Si ergo a maligno liberatus est mortuus, sequitur quod qui non est mundo mortuus, non est a maligno liberatus; quod est verbum terribile mundum diligentibus. *Jesus autem tenens manum ejus elevavit eum, et surrexit;* ipse enim prostratis manum auxilii porrigit, ipse elisos erigit. Ubi *Ambrosius :* « Mystice autem qui in *synagoga habebat spiritum immundum,* populus est Judæorum, qui innodatus diaboli laqueis simulatam corporis munditiam interioris mentis sordibus inquinabat. Et bene spiritum immundum habebat, quia Spiritum Sanctum amiserat. Introierat enim diabolus, unde

Digitized by Google

Christus exierat. » Ubi et *Theophilus* : « Sciendum est etiam, quod multi nunc dæmonia habent, omnes scilicet qui dæmoniorum desideria implent, ut furiosi habent dæmonium iræ, et sic de ceteris. » Sed Dominus *in synagogam venit*, cum mens hominis fuerit congregata, et tunc dicit dæmoni inhabitanti, *obmutesce*, et statim egreditur ab eo.

5 CHRISTUS DOMUM SIMONIS PETRI, AD REFECTIONEM SUMENDAM, INTRAT. — Et protinus egrediens Dominus de synagoga, scilicet post prædicationem, et ejus confirmationem, per dæmonis expulsionem, *introivit in domum Simonis*, ut ibi refectionem acciperet post laborem. Salvator enim noster cum corpus passibile ad nostram accepisset salutem, aliquando declinabat ad loca familiarium sibi et devotorum, ad quietem habendam post laborem et fatigationem; et isto modo venit ad Petri domum, seu hospitium. Unde *Cyrillus* : « Aspice autem quomodo manet penes virum inopem Christus, qui spontaneam paupertatem pro nobis passus est, ut discamus cum pauperibus conversari, nec spernere depressos et pauperes. » Unde et *Chrysostomus* : « Et nimirum excogita quales erant domus piscatorum horum, sed tamen non dedignatus est sub vilia tuguria piscatorum intrare, erudiens per omnia humanum conculcare tumorem. » Et iterum : « Propter hoc nunquam intravit in domum præclaram Christus, sed in domum publicani, et principis publicanorum, et piscatoris, palatia dimittens, et eos qui mollia induunt vestimenta. Si itaque eum vis et tu vocare, orna domum tuam eleemosynis, orationibus, supplicationibus, vigiliis. Nullus itaque verecundetur domum vilem habens, si hæc habuerit opertoria. Nullus dives magnum sapiat, domum habens pretiosam, sed verecundetur magis, et hanc zeletur, illam dimittens, ut et hic Christum suscipiat, et illic æternis potiatur tabernaculis : » hæc *Chrysostomus*. Hic quidam dicunt, quod licet Petrus fuerit de Bethsaida, tamen ratione uxoris habebat domum in Capharnaum. Sed contra hoc videtur quod Marcus dicit : *Venit in domum Simonis, et Andreæ*. Ideo dicendum, secundum *Stephanum*, quod domus Petri non dicitur possessive; sed ad quam declinare consuevit causa vendendi pisces, et hac etiam familiaritate uxorem duxit de domo illa; quæ etiam dicitur domus *Andreæ*, propter inseparabilitatem illorum in piscium negotiatione.

6 SIMONIS SOCRUS SANATA CHRISTO MINISTRAT. — Et mox discipulis petentibus pro socru Petri, id est matre uxoris ejus febricitante, *stans* Dominus super *illam imperavit febri*, ut cessaret vel recederet; *et apprehensa manu elevavit eam*, quæ statim et subito liberata est, ita ut *continuo surgens* ministraverit ei et discipulis suis; vires quas accepit, quasi gratias agendo, in obsequium sui exercens Salvatoris, non remanente ut solet molestia ægritudinis, quod non nisi divina virtute potuit fieri. Natura enim non operatur in instanti; et ideo hoc proprium est medici cœlestis, sed secus est in aliis, licet enim virtute naturæ possit homo a febribus curari, non tamen in instanti, ac ita subito et perfecte quod possit statim opera consueta facere, sicut hic dicitur factum esse; ex quo ostenditur ista curatio miraculosa, ad discipulorum confirmationem in fide. Unde *Beda* : « Naturale est febricitantibus, incipiente sanitate, lacescere, et ægrotationis sentire molestiam; verum sanitas quæ Domini infertur imperio, simul tota

Digitized by Google

redit. Non solum ipsa redit, sed et tanto robore comitante, ut eis continuo qui se adjuvarant ministrare sufficiat. Et juxta leges tropologiæ, membra quæ servierant immunditiæ ad iniquitatem, ut fructificarent morti, serviant justitiæ in vitam æternam. » Unde et *Cyrillus* : « Et nos suscipiamus Jesum, cum enim visitaverit nos, et potaverimus eum in mente et corde, tunc enormium voluptatum æstum exstinguet, et incolumes faciet ut ministremus ei, hoc est ejus beneplacita peragamus. »

7 HUJUS SANATIONIS ET MINISTRATIONIS IN SENSU MORALI SIGNIFICATIO. — Moraliter autem per hoc datur intelligi quod ante curationem a peccato, non est gratum servitium impensum Deo; sed pœnitens quam cito curatus est a febre peccati, tam cito debet se occupare, et totaliter mancipari servitio Dei, secundum illud Apostoli : *Sicut exhibuistis membra vestra servire immunditiæ, et iniquitati ad iniquitatem; ita nunc exhibete membra vestra servire justitiæ in sanctificationem.* Si ergo anima tua febre vitiorum est capta, Sanctos in adjutorium tuum invoca, ut eorum rogatu gratia Dei curet te, quod possis ei et Sanctis suis gratam servitutem exhibere. In hoc etiam quod discipuli rogaverunt pro illa, datur nobis exemplum orandi pro infirmis et necessitate aliena. Secundum *Bedam*, mystice domus Petri est Ecclesia de circumcisione ejus Apostolatui commissa; socrus est synagoga, quæ quodammodo mater est Ecclesiæ Petro commissæ in cura et custodia. Hæc synagoga febricitat, quia invidiæ æstibus laborat, persequens Ecclesiam; cujus manum Dominus tangit, quando carnalia ejus opera in spiritualem intellectum et usum convertit, et sic erecta ministrat in spiritu. Moraliter autem socrus Petri febricitans est caro concupiscens; cum enim homo calore concupiscentiæ laborat, quasi febribus æstuat, quod potest esse tripliciter, juxta illud Joannis : *Omne quod est in mundo* : aut est *concupiscentia carnis*, aut *concupiscentia oculorum*, aut *superbia vitæ;* et sic triplicem habemus febrem. Quædam enim est ex corruptione in spiritibus; alia ex corruptione in humoribus; tertia ex corruptione in membris, et in omnibus est calor inordinatus supergrediens naturæ cursus. Primam facit superbia; secundam, luxuria; tertiam, avaritia. Ad hanc veniens Jesus videt per gratiam illuminantem, imperat per gratiam justificantem, tangit manum per gratiam adjuvantem; et sic dimittit febris in contritione, surgit sana in confessione, ministrat in satisfactione. Moraliter autem dicitur *stans super illam*, quia nullum spiritualiter sanat, nisi eum qui sub eo est, scilicet per timorem se salubriter humiliantem. Ubi idem *Beda* : « Si virum a dæmonio liberatum, moraliter animum ab immunda cogitatione purgatum dixerimus; consequenter femina febribus tentata, sed ad imperium Domini curata, carnem ostendit a concupiscentiæ suæ fervore per continentiæ præcepta frenatam : omnis enim amaritudo, et ira, et indignatio, et clamor et blasphemia, spiritus furor est immundi; fornicationem vero, immunditiam, libidinem, concupiscentiam malam, et avaritiam, quæ est simulacrorum servitus, febrem illecebrosæ carnis intellige : » hæc *Beda*. Potest enim per socrum Petri, quæ mulier erat, sensualitas, quæ ab *Augustino*, mulier vocatur, significari; per Christum autem, qui est imago Patris, ratio, secundum quam homo factus est ad imaginem Dei. Igitur

Digitized by Google

moraliter socrus Petri sanatur, cum sensualitas quæ calore concupiscentiæ febricitans jacet, per rationem ad debitum ordinem moralis virtutis revocatur. Ideo subditur : *Et ministrabat eis,* quia sensualitas reformata virtuti morali ministrat, et servit rationi. Et tunc homo peccatum, quod ante cum in eo esset non noverat, incipit agnoscere postquam ab eo exiverit. Unde *Chrysostomus :* « Si vis discere peccati fœtorem, excogita id postquam factum est, cum a desiderio ereptus fueris, cum non adhuc molestat ignis; et tunc videbis quid est peccatum. » Nota etiam de quatuor infirmitatibus præmissis, quod spiritualiter per lepram potest intelligi culpa originalis; per paralysim, culpa actualis in omittendo; per febrem, actualis in committendo; per vexationem dæmoniacam, culpa erroris.

8 CHRISTUS MULTA MIRACULA, AD MANIFESTATIONEM DIVINITATIS ET DOCTRINÆ CONFIRMATIONEM, OPERATUR. — Deinde ponuntur ad confirmationem Legis Evangelicæ multa miracula in generali : quia, audito hoc miraculo et vespere facto, *cum sol occidisset,* id est ad occasum venisset, *omnes qui* in illa civitate *habebant infirmos variis languoribus* detentos, *et a dæmoniis vexatos, ducebant illos ad Jesum :* et offerebant ei ut curaret eos, quia tunc ad hoc poterant vacare. Unde dicit *Theophilus,* quod ita tarde adduxerunt eos ad Christum, quia illa dies erat dies sabbati, et credebant curationes non esse licitas, durante die sabbati, quæ finiebatur in vespere illius diei; et ideo exspectabant occasum, ut curandos ad Jesum adduxerent. *At ipse, singulis manus imponens, curabat* omnes; nullius enim morbum horrebat, quod est contra medicos superbos et indignantis naturæ, qui pauperes et miseros dedignantur visitare et tangere. *Et ejiciebat spiritus immundos verbo,* in signum quod verbum Christi, devote auditum, fugat dæmonem de corde peccatorum. Licet autem posset etiam omnes curare solo verbo, tamen quandoque apposuit manus; quia humanitas Christi erat quasi organum, seu instrumentum divinitatis ipsius, in miraculis faciendis. Et ideo, sicut artifex, mediante instrumento, operatur; sic virtus divina in Christo, per applicationem humanitatis, aliqua faciebat, ut eam conjunctam deitati declararet. Miracula quidem Christi ad duo ordinabantur, scilicet : ad manifestationem divinitatis suæ; et ad confirmationem suæ doctrinæ, per quam homines ad fidem inducebantur. Unde et ad tactum manus ejus sanabantur infirmi, curabantur leprosi, illuminabantur cæci; et ad vocem ejus suscitabantur mortui, et ejiciebantur spiritus immundi. Per hoc autem quod vespere facto obtulerunt sibi infirmos et dæmoniacos, significatur quod hora mundi vespertina Christus venit dæmones ejicere, et infirmitates hominum curare : et per occasum solis significatur, quod Passio sua, in qua Sol justitiæ occidit, futura erat medicina omnis spiritualis infirmitatis. Unde, secundum *Bedam,* in sensu mystico solis occubitus, Passionem mortemque illius significat qui dicit : *Quandiu sum in mundo, lux sum mundi :* et sole occidente plerique dæmoniaci et ægroti sanantur, quia qui temporaliter in carne vivens, paucos Judæorum docuit, omnibus per orbem Gentibus fidei salutisque dona transmittit. Moraliter vero occasus solis potest dici casus mundanæ prosperitatis, post quam multi sanantur, qui, lucente sole prosperitatis, graviter infirmantur. Considera, quod paucis verbis multa hic mira-

Digitized by Google

cula comprehenduntur, quæ expresse fortassis incredibilia viderentur. Unde *Chrysostomus :* « Tu autem intende quantam multitudinem curatam transcurrant Evangelistæ, non unumquemque curatum dicentes nobis et enarrantes ; sed uno verbo pelagus ineffabile miraculorum supervenientes, ut non rursus magnitudo miraculi incredulitatem immittat, si tantam plebem et varias ægritudines in uno temporis momento solvit, et emendavit : » hæc *Chrysostomus. Exibant autem dæmonia a multis clamantia, et dicentia : Quia tu es Filius Dei. Et increpans non sinebat ea loqui, quia sciebant* per vehementem conjecturam *ipsum esse Christum,* non tamen per scientiæ certitudinem. Unde *Beda :* « Dæmonia Filium Dei confitebantur, et *sciebant ipsum esse Christum,* quia cum jejunio fatigatum eum diabolus videret, verum hominem intellexit ; sed quia tentando non prævaluit, utrum Filius Dei esset, dubitabat. Nunc autem per signorum potentiam, vel intellexit, vel potius suspicatus est esse Filium Dei ; sed se morte illius non prævidit esse damnandum. Vere enim de hoc mysterio a seculis abscondito, dicit Apostolus, quod nemo principium hujus seculi cognovit : *Si enim cognovissent, nunquam Dominum gloriæ, crucifixissent :* » hæc *Beda.* Ideo autem *non sinebat ea loqui,* ne homines audientes dæmonem prædicare mundo veritatem, deinceps acquiescerent sibi prædicandi falsitatem. Unde *Glossa :* « Ideo prohibet loqui, ne dum aliquis audit dæmonem vera prædicantem, postea sequatur errantem. Improbus enim magister vera falsis permiscet, ut sub specie veritatis, falsitatis testimonium obtegat. » De hoc habes et alias causas proxime supra de spiritu immundo dictas.

9 ITERUM CHRISTUS IN DESERTUM LOCUM SECEDIT, AD VITANDOS APPLAUSUS ET AD ORANDUM. — *Facta autem die,* et valde diluculo, *egressus Jesus* de Capharnaum *ibat in desertum locum,* ut applausum populi fugeret, et ibi secretius oraret. In hoc dans exemplum quod prædicator et mirabilium divinorum operator debet vanam gloriam et ostentationem fugere, et ad solitudinem contemplationis ac secretum orationis, post laborem prædicationis, rédire, ut Deo gratias agat de profectu præterito, et se disponat pro futuro et sibi hauriat quod postea populis effundat. Et, secundum *Theophilum,* ostendit nobis quod Deo debet attribui si aliquid boni facimus, et ei debemus dicere, quoniam omne optimum desuper est, descendens a te. In deserto ergo Christus orat, non quod ipse oratione indigeat ; sed ut nobis bonæ exemplificationis, operationis, exemplum et forma fieret, et ut nos tumultum fugere, et curam mundi vitare, ac secretum mentis quærere doceret, cum eum orare vel ei silenter loqui affectamus. *Et turbæ requirebant eum,* scilicet per fidem, *et venerunt usque ad ipsum,* per spem, *et detinebant illum,* per caritatem, *ne discederet ab eis,* ut profectum consequerentur majorem. Ubi *Chrysostomus :* « Gaudens autem eos suscipiebat, sed et voluit eos dimittere, ut et reliqui doctrinæ ejus participes essent, et ideo sequitur, quibus ait : *Quia et aliis civitatibus oportet me evangelizare regnum Dei,* id est qualiter pervenitur ad regnum Dei, quia per pœnitentiam, quæ est via ad hoc perveniendi. » Ubi et *Theophilus :* « Transit enim ad alios magis indigentes doctrina, quia non convenit in uno loco doctrinam concludere ; sed ubique radios ejus extendere. » Ubi iterum *Chrysostomus :* « Simul etiam considera, quod poterat in eodem loco manendo omnes attra-

Digitized by Google

here ad se, non tamen illud fecit, præbens nobis exemplum ut perambulemus et requiramus pereuntes, sicut pastor ovem perditam, et medicus accedit ad infirmum. Una enim anima recuperata, poterit aliquis mille delicta abolere : » hæc *Chrysostomus*.

ORATIO

Domine Jesu Christe, remove et ejice spiritum immundum a me, ne aliquo modo me valeat maculare, vel in maculis detinere; ut sim et appaream mundo mortuus, cum a possessore pravo, qui per immunda desideria nos agitat, fuero liberatus. Peto etiam, Domine, te medicum animarum, ut me curare digneris a febre vitiorum, quatenus surgens ab eis valeam tibi ministrare et gratam servitutem exhibere. Tu etiam, Domine, cura me, et omnes variis animæ detentos languoribus, ut a peccatis sani et incolumes facti tibi ministremus, et beneplacita tua peragamus. Amen.

CAPUT XLIV

De suscitatione filii viduæ Naim.

Lucæ cap. 7.

1 MISERICORDIA DOMINI FILIUM VIDUÆ SUSCITANTIS. — *Et deinceps, ibat Jesus cum discipulis, et turba copiosa,* quæ eum sequebatur, novitate operum, suavitate doctrinæ, et ex sanctitatis ejus devotione, *in civitatem* Galilææ *quæ vocatur Naim.* Secundo milliario a monte Thabor est civitas Naim, et supra Naim mons Endor, ad cujus radicem fluit torrens Cyson. Ante hujus civitatis portam, ubi erat major concursus populi, obviavit Dominus multitudini hominum efferentium, id est extra portantium, defunctum filium unicum viduæ ad sepeliendum, quia antiquitus loca sepulturæ erant extra civitates et hominum habitationes, ne cadaveribus inficerentur loca et homines. Hoc autem sic factum est, ut evidentius esset miraculum coram multis factum, et multi essent testes tanti miraculi. Et quia vacabant ad pietatis opus prosequendo funus, et consolando viduam et orbatam matrem, meruerunt ipsum videre miraculum. Ubi *Gregorius Nyssenus,* ærumnæ molem, brevibus verbis explicuit : « Mater vidua erat, quæ non sperabat ulterius filios procreare; non habebat in quem dirigeret aspectum vice defuncti, quia unicus erat, hunc solum lactaverat. Hic solus aderat alacritatis causa in domo, quidquid matri dulce ac pretiosum, hic solus exstiterat. » Unde et *Cyrillus:* « Miseranda passio, et ad fletum et ad

Digitized by Google

lacrymas potens provocare! » *Quam cum vidisset Dominus* sic tristem et afflictam, misericordia et pietate *motus*, secundum quod homo, *super eam :* tum quia vidua erat, tum quia non habebat alium filium a quo in senectute sustentari posset quam ab ipso, *dixit illi,* verbo consolatorio et dulci : *Noli flere.* Quasi diceret : Cito consolata eris, desiste quasi mortuum flere quem mox vivum resurgere videbis. Mœrentium consolator Deus, illorum maxime lacrymas intuetur, qui aliorum miserias et peccata deflent. Secundum *Bedam,* Dominus misericordia motus est, ut nobis exemplum imitandæ pietatis ostenderet. Unde et *Chrysostomus :* « Jubens ergo cessare a lacrymis qui consolatur mœstos, monet nos de præsentibus defunctis consolationem recipere, resurrectionem sperantes. Pagani et Gentiles causam habent plangendi defunctos, quia resurrectionem nesciunt; sed Christiani eam credunt, et ideo causam plangendi non habent. » *Et accessit, et tetigit loculum,* id est feretrum; ut effectus salutis tactu corporis sui deveniret, et ostenderet quod corpus suum deitati unitum erat instrumentum deitatis in miraculis faciendis. Loculus diminutive est mortui locus in quo jacet; cui enim viventi magna palatia, et amplæ domus non sufficiebant pro loco, ei morienti parvum spatium sufficit pro loculo. Unde, mortuo Alexandro, dixit quidam philosophus, quem totus mundus non capiebat, hodie parva continet arca. *Hi autem qui portabant, steterunt,* nec ultra progredi ausi sunt. Et ait : *Adolescens, surge,* et sic eum, secundum quod Deus, suscitavit. *Et resedit qui erat mortuus,* quia surgens sedit in loculo in quo jacuerat prius; *et cœpit loqui,* ut manifeste appareret quod erat vere et non apparenter suscitatus; et forte verba ipsius fuerunt gratiarum actiones. *Et dedit illum matri suæ;* quia non suo merito, sed matris resurrexerat, ut quæ de ipso tristis fuerat, in ipso consolaretur. *Accepit autem omnes timor* ex stupore tanti miraculi, qui timor non fuit alicujus mali, sed reverentiæ de potentia et bonitate; *et magnificabant,* id est laudabant, *Deum,* et magnum prædicabant, quia quanto gravior est casus, tanto pietas erigentis est gratior, et spes salutis pœnitentibus est certior. *Et dicebant : Quia Propheta magnus,* scilicet in Lege, et Prophetis promissus, *surrexit in nobis;* imo plus quam Propheta : *et quia Deus visitavit plebem suam,* mittendo eis Salvatorem, ut eos redimeret, sicut medicus visitat infirmum, ut eum sanet.

2 QUID MYSTICE SIGNIFICENT DEFUNCTUS, EJUS MATER, PORTITORES ET LOCULUS? — Mystice iste defunctus est homo per peccatum mortale mortuus. Ejus mater est Ecclesia, quæ est universitas credentium, et cujus filii sunt credentes singuli. Peccator autem dicitur *filius unicus matris suæ,* scilicet Ecclesiæ, quia quemlibet ita deflet quando in peccatum cadit, sicut mater unicum filium quando decedit. Ecclesia quoque dicitur *vidua,* quia Sponsi sui morte redempta, vel quia nunc quandiu peregrinatur a Domino, est ab amplexibus Sponsi sui privata, de qua vidua dicitur in Psalmo : *Viduam ejus benedicens, benedicam.* Effertur defunctus, cum sensus interior exiit in opus. Quatuor portitores hujus defuncti sunt quatuor affectiones cordis nostri, scilicet : gaudium et tristitia, spes et timor. Ista enim quatuor portant mortuum per abusum. De quibus dicit *Bernardus :* « Amant quod non decet, timent quod non oportet, dolent vane, et gaudent vanius. Vel isti

Digitized by Google

quatuor portitores sunt amor peccati, timor pœnitentiæ spes emendæ, et præsumptio de Dei misericordia. Vel quatuor portitores sunt quatuor quæ animam in peccato perseverare faciunt, scilicet : fiducia longioris vitæ, quæ tamen hominem sæpe decipit; consideratio culpæ alienæ, qua homo correctionem propriam devitat; stulta spes pœnitendi in futuro, et fiducia de venia quam homo concipit ex magna Dei misericordia; impunitas peccatoris, qua redditur ad peccata magis proclivus. Possunt etiam intelligi isti portitores carnalia desideria, vel adulatorum et benedicentium blandimenta, vel prælatorum mercenariorum verba ungentia, non pungentia, et quicunque verbo vel facto foventes hominem in peccato. Porta per quam effertur seu egreditur mortuus, est aliquis de quinque corporis sensibus peccati manifestativus. Nam qui videt, vel audit, vel loquitur quod non licet, mortuus extrahitur per portam visus, vel auditus, vel oris, et sic suo modo de aliis, et ideo custodiæ ad istas portas sunt adhibenda. » Unde *Beda:* « Portam civitatis qua defunctus efferebatur, puto aliquem de sensibus esse corporis. Qui enim seminat inter fratres discordias, qui iniquitatem in excelsum loquitur, per oris portam extrahitur mortuus. *Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam,* per oculorum portam suæ mortis indicia profert. Qui fabulis otiosis, obscenisve carminibus vel detractionibus aurem libenter aperit, hanc animæ suæ portam mortis efficit, ceterosque qui non servat sensus, mortis sibi ipse reddit aditum : » hæc *Beda.* Loculus est conscientia peccatoris, in quo tanquam in lecto malæ conscientiæ requiescit.

3 TRIA SIGNA MORTIS ET RESURRECTIONIS SPIRITUALIS. — Talis autem mortuus per peccatum mortale suscitatur a Deo per preces Ecclesiæ. Sed quomodo resuscitatur in figura, hic docetur. Sicut enim tria sunt signa mortis spiritualis, sic tria sunt signa resuscitationis spiritualis. Signum mortis spiritualis accipitur, secundum signum mortis corporalis. Signum autem mortis corporalis triplex est Primum est carentia operationis, sic carentia ad bene operandum est signum mortis spiritualis; unde in Exodo : *Fiant immobiles quasi lapides.* — Secundum est carentia sensus, quando percutitur et non sentit, sic quando homo non sentit percussiones et admonitiones spirituales, signum est quod ipse spiritualiter est mortuus; unde in Proverbiis : *Verberaverunt me, sed traxerunt me, et non dolui; non sensi.* — Tertium est rigor, sic homo quando habet cor ita rigidum, quod flecti non potest per compassionem ad proximum, nec per obedientiam ad Deum, signum est mortis spiritualis; unde in libro Regum dicitur quod manus Jeroboam, quam extendit ad altare, exaruit. Sic ergo tria sunt signa mortis spiritualis : bene quippe operari tollit superbia, sensum aufert luxuria, et rigorem facit avaritia. Et e contra sunt tria signa resuscitationis spiritualis, quæ tangunt in hoc quod *resedit,* et *cœpit loqui,* et *dedit illum matri suæ.* Per hoc quod dicit : *resedit,* intelligitur contritio, in contritione enim homo resedet et resilit a peccato; per hoc quod dicit : *cœpit loqui,* intelligitur confessio, in qua homo loquitur se accusando; per hoc quod dicitur : *dedit illum matri suæ,* intelligitur satisfactio. Per hoc enim quod homo solvitur et injungitur ei satisfactio, restituitur matri suæ, id est Ecclesiæ, et communioni fidelium per spiritualem incorporationem, quæ

Digitized by Google

quidem satisfactio fit per tria, scilicet : per orationem, jejunium, et eleemosynam.

4 Modus spiritualis quo peccatores resuscitantur. — Sed modus iste resuscitationis tangitur cum dicitur : *Accessit et tetigit loculum.* Ad mortuum spiritualiter Salvator accedit, et appropinquat, cum aliquam gratiam prævenientem, vel desiderium propriæ salutis ei donat. Loculum tangit, quando conscientiam et cor durum peccatoris ad pœnitentiam emollit, et peccatorem ad sui cognitionem reducit, et tunc mortuus a peccato resurgit. Et sciendum quod Spiritus Sanctus peccatum per mortem voluit designari, ad ostendendum quantum peccatum sit fugiendum, et quantum de eo sit dolendum, quando est commissum. Peccatum fugiendum est ut mors, et de eo dolendum est tanquam de morte, sic dolere debet qui amicum suum in peccato mortali videt, ac si eum mortuum videret; imo etiam eum plus dolere debet. Et quia sicut mortuus iste figurat peccatorem, sic ejus suscitatio figurat peccatoris conversionem; ideo sicut multum timendum est peccatum, et multum dolendum de eo commisso, sic multum desideranda est peccatoris conversio, et multum gaudendum de ipsa jam facta. Obsecra ergo, o peccator, Dominum ut resuscitet te a morte peccati, et restituat te sanctæ Ecclesiæ suæ, in laudem et gloriam nominis sui. Et, ut ait *Ambrosius* : « Si grave peccatum est quod pœnitentiæ tuæ lacrymis ipse lavare non possis, flet pro te mater Ecclesia, quæ pro singulis tanquam pro unicis filiis vidua mater intervenit, compatitur quodam modo spirituali dolere naturæ, cum suos liberos letalibus vitiis ad mortem cernit urgeri. Viscera enim sumus de visceribus ejus. » Unde et *Augustinus:* « De juvene illo resuscitato gavisa est mater vidua; de hominibus in spiritu quotidie suscitatis gaudet mater Ecclesia. Ille quidem mortuus erat corpore, illi autem mente. »

5 Mortuos tres suscitavit Dominus, et quid per hoc significetur? — Moraliter tres mortuos Christus suscitavit : puellam in domo clausam, id est mortuum per consensum delectationis pravæ, in cogitatione seu voluntate adhuc tectum; juvenem in porta, id est, mortuum per actum peccati in verbo, nutu, vel opere; Lazarum in sepulchro, id est mortuum lapide, mole scilicet pravæ consuetudinis peccandi pressum, male olentem, et alios fama corrumpentem. Omnes istos suscitat et sanat Dominus, cum ad ipsum redeunt veraciter pœnitendo, et tanto levius resuscitatur quisque per gratiam, quantominus mortificatus est per culpam. Unde Dominus puellam coram paucis de facili suscitat, puellæ dicens : *Surge;* juvenem coram pluribus, et quasi difficilius, tangens feretrum, et dicens : *Adolescens, tibi dico, surge;* Lazarum difficillime, quia cum lacrymis, cum, fremitu, cum sui perturbatione, cum magna voce, dicens : *Lazare, veni foras,* et quasi cum auxilio et testimonio præsentium, dicens : *Solvite, et sinite abire.* Non quod Domino tam facilis non fuerit resuscitatio Lazari sicut puellæ, cum, ut ait *Augustinus,* nemo tam facile excitat in lecto, quam Christus in sepulchro; sed Domini facta aliarum rerum sunt exempla. Longa enim consuetudine pressus, vix et quasi cum labore suscitatur. Qui, ut suscitetur, Dominum cogit lacrymari et ejulare; et ideo, licet omne peccatum, maxime tamen peccandi consuetudinem fugere debemus, quia hæc sanatur difficilius. Unde

Digitized by Google

Ambrosius : « Omne peccatum consuetudine vilescit, et fit homini quasi nullum sit; sic et e converso, omnis virtus bona consuetudine fit grata et facilis, quia nihil differt assuesci sic, vel sic. » Triplex est ergo mors culpæ designata in prædictorum trium morte, scilicet : peccatum cordis, peccatum operis, et peccatum consuetudinis. In suscitatione vero horum trium mortuorum ostensum est, quod Salvator potestatem habet super triplicem mortem, scilicet : naturæ, culpæ et gehennæ; super triplicem vitam, scilicet : naturæ, gratiæ, gloriæ. Quartum mortuum, insinuante discipulo, audivit, sed ad eum ire noluit, id est ad mortuum in obstinatione, vel desperatione, seu prava peccati excusatione; de quo dixit : *Dimitte mortuos sepelire mortuos suos.*

6 Quisquis sit animæ status nunquam desperandum est. — Hæc igitur audientes, qui stant, non præsumant, sed cauti sint, ne cadant; et qui ceciderunt, non desperent, sed solliciti sint, ut resurgant. Unde *Augustinus :* « Hæc ergo, charissimi, audivimus, ut qui vivunt vivant, qui mortui sunt reviviscant. Sive adhuc peccatum in corde conceptum non processit in factum, pœniteat, corrigatur cogitatio, resurgat mortuus intra domum conscientiæ. Sive jam quod excogitavit admissit, nec sic desperetur; non surrexit mortuus intus, surgat elatus, pœniteat facti, de proximo reviviscat, non eat in profunda sepulturæ, non accipiat desuper consuetudinis molem. Sed forte jam illi loquor, qui jam duro sui molis lapide premitur, qui jam urgetur consuetudinis pondere, qui jam quatriduanus putet; nec ipse desperet, profunde mortuus est, sed altius est Christus, agunt etiam tales pœnitentiam. Neque enim Lazaro resuscitato post quatriduum ullus putor in vivente remanserat; ergo qui vivunt, vivant, qui autem mortui sunt, in quacunque harum trium morte se invenerint, pœnitentiam agant, accelerent, jam resurgant. » Unde et *Chrysostomus :* « Ne audiamus qui stamus, sed dicamus nobis ipsis : *Qui se æxistimat stare, videat ne cadat;* ne desperemus si cecidimus, sed dicamus nobis : *Nunquid qui cadit non resurget?* Etenim multi in ipsum cœli verticem ascendentes et omnem patientiam demonstrantes, parum lapsi sunt, et ad ipsum venerunt malitiæ barathrum. Alii autem rursus ad cœlum inde ascenderunt, et a scena et scurrilitate, ad Angelicam sunt translati urbanitatem, et tantam ostenderunt virtutem, ut dæmones abegerint, et multa signa alia operati fuerint, et horum quidem plenæ sunt Scripturæ, et plena vita exemplis nobis. Quemadmodum enim medici difficiliores ægritudines libris inscribunt, et hujus emendationis methodum, id est doctrinam docent, ut in majoribus exercitati facile minora superant; ita utique et Deus magna peccata in medium adduxit, ut qui parva deliquerunt, per illa facilem horum emandationem inveniant. Si enim majora habuerunt sanationem, multo magis minora. Igitur armemus nosmetipsos bonis operationibus, et si advenerit aliquod delictum, abluamur, ut digni efficiamur in gloriam Dei viventes præsentem vitam, futura frui vita : » hæc *Chrysostomus.*

7 Mors animæ præ omnibus deflenda. — Considera hic viduam de morte filii flentem, et ita tu omnibus postpositis de morte animæ tuæ luge et lacrymare, ut merearis ab ipsa morte animæ per tactum divinæ miserationis resuscitari. Abstine a risu et cachinno, cogitans

Digitized by Google

quia de cunctis actibus tuis redditurus es rationem in judicio. Unde *Chrysostomus:* « Nihil quippe ita conglutinat Deo, ut lacrymæ illæ, quas et peccati dolor et amor virtutis effundit, sive propria peccata quis, sive etiam lamentetur aliena. Cujus enim rei gratia in cachinnum laxaris ac diffluis qui tantorum sponte factus es causa mœrorum, ante terribile illud Christi staturus tribunal, et summa cum examinatione rationem pro cunctis actibus redditurus? » hæc *Chrysostomus.* Valde autem periculosum est, quod peccator in sordibus peccatorum, et in morte animæ jacet, non curans se per pœnitentiam purgare et resurgere. *Si enim linguis hominum loquereris et Angelorum,* et si tot per tuam doctrinam converteres homines quot fuerunt homines ab initio mundi, vel quot sunt stellæ cœli, et teipsum per pœnitentiam non mundaveris, *factus es velut æs sonans, aut cymbalum tinniens;* campana enim ad utilitatem hominum serviens, pulsando seipsam consumit. *Et si habueris omnem scientiam,* et si per tuam scientiam, et tuis discretis consiliis omnes reges mundi vel principes, imo totus mundus pacifice dirigerentur; et teipsum per pœnitentiam non correxeris, nihil proficies. *Et si habueris omnem fidem,* ita quod trahas ad fidem omnes Judæos, hæreticos et paganos; et si in peccato mortali es, *nihil tibi proderit* ad vitæ æternæ salutem. Item si mille claustra faceres, et mille hospitalia manu propria ædificares, et in illis omnes mundi pauperes bonis tuis pascere res; quandiu in peccato mortali persistis, in statu salvandorum non es. Item *si corpus tuum* ad cremandum dares ut Laurentius, ad excoriandum ut Bartholomæus, si crucifigereris ut Christus; et sic cum unico peccato mortali morereris, nunquam salvareris. Item si mille millia missarum pro te dicerentur, si omnes Sancti in cœlo cum omnibus Angelis prostrati ante Deum sanguineas funderent lacrymas, usque in diem novissimum orantes pro te, non flecterent misericordiam Dei ad miserendum tui, si decederes in peccato mortali: et ideo peccatori in morte animæ jacente plus valeret una confessio bona, quam omnia beneficia prædicta per eum facta, vel sibi impensa.

ORATIO

Domine Jesu Christe, veni in Naim, animam meam fluctuantem tentationibus; appropinqua portæ cohibendo, ne per sensus veniant ad effectus; accede per gratiam, tange cor per correctionem, stent portitores occasiones peccandi et opportunitates; dic animæ jacenti in peccatis, ut residat per bonam voluntatem, incipiat loqui per confessionem, surgat per bonam operationem; redde matri suæ, gratiæ nutrici, ut stet per stabilitatem; et sic plebem tuam, vires animæ, affectiones, et cogitationes visitet tua veritas per cognitionem, virtus per operationem, et bonitas per conservationem. Amen.

Digitized by Google

CAPUT XLV

De Scriba doloso, et duobus aliis Christum sequi volentibus.

Matthæi cap. 8 et Lucæ cap. 9.

1 CURÆ PRÆDICATORI VITANDÆ. — *Videns autem Jesus turbas multas circum se,* et se sequentes : *jussit* discipulos *ire trans fretum,* id est ultra mare Galilææ, in locum secretum; et ivit ut cum eis transfretaret, et eos a turbis sequestraret. Docens etiam prædicatorem Evangelii et omnes applausum populi declinare, et nihil ad ostentationem facere. Per hoc etiam innuit, quod curæ mundi sunt fugiendæ, quia turbæ multæ sunt multæ curæ, quæ turbant animam ex omni parte, ideo dicit, *circum se.* Nam impediunt a posteriori, ne posteriora recolat; ab anteriori, ne se ad meliora extendat; a dextris, ne desideret æterna; a sinistris, ne timeat supplicia; vel a posteriori, ne desiderentur defectus vitæ præteritæ; ab anteriori, ne considerentur pericula in statu prosperitatis; a sinistris, ne considerentur pericula in statu adversitatis. Sicut enim faber, quando vult sanguinem minuere equo, cooperit sibi oculos, et tunc percutit ubi vult : sic diabolus volens hominem percutere, operit sibi oculos per curas et sollicitudines, tunc vulnerat per peccatum, et extrahit sanguinem virtutum; et ideo ab hac turba esset declinandum. Hæc est turba quæ impediebat Zachæum, in videndo Jesum.

2 DE SCRIBA DOLOSO AD CHRISTUM ACCEDENTE. — *Et* in via *accedens* corporaliter, non spiritualiter, *unus Scriba,* id est *legis peritus,* seu litteratus, ait illi : *Magister,* non dicit Domine, quia causa discendi, non serviendi, venit; nec quærens Magistrum, sed ex Magistro lucrum, *sequar te quocunque ieris.* Iste duplici de causa volebat sequi Christum, scilicet : causa cupiditatis, et lucri temporalis, ac jactantiæ, et vanæ gloriæ. Multitudine enim et magnitudine signorum visorum motus, volebat sequi Dominum, ut disceret signa facere propter lucrum acquirendum vel propter vanam gloriam consequendam; hoc idem considerans consequi a Domino quod Simon Magus volebat emere a Petro. Jesus autem videns ejus animum, non respondit ad ejus verbum tantum, sed ad ejus animum, dicens : *Vulpes foveas habent,* ad quiescendum et latitandum, *et volucres cœli nidos* habent ad quos ascendunt et confugiunt, *Filius autem hominis,* id est Virginis, ecce a parte inferiori denominat genus suum, contra gloriantes et genere suo et allegantes quod est in eo præcipuum, *non habet* domicilium proprium, *ubi caput suum reclinet* ad pausandum. Quasi diceret : Bruta habent sua latibula et loca ubi

Digitized by Google

possunt latere et quiescere; ego autem sum ita pauper quod non habeo hospitiolum proprium, ubi percipiendo quietem caput reclinem, et ideo frustra venis ad me propter lucrum temporale. Unde *Chrysostomus* : « Aspice qualiter paupertatem, quam Dominus docuerat, per opera demonstrat : non erat ei mensa, non candelabrum, nec domus, nec quidquam talium : » hæc *Chrysostomus*. Hospitiolum quidem habuit Virginis uterum, reclinatorium habuit, præsepium non proprium, et crucis patibulum, sepulchrum habuit, sed alienum. Hic ergo removetur cupiditas terrenorum a volentibus sequi Christum. Audita autem Christi paupertate non institit amplius ut sequeretur. Unde *Chrysostomus* : « Non autem respondet, sequar te pauperem, hoc enim Dominus forsitan concessisset. » Hic per *vulpes*, dolositas et simulatio; per *volucres*, inanis jactantia et elatio signatur. Quasi diceret Dominus : Dolositas et elatio latent in corde tuo, quia scilicet causa cupiditatis et vanæ gloriæ vis me sequi, et ideo te in societatem meam non recipio; quia Filius hominis simplex contra dolositatem, humilis contra superbiam, non habet in te ubi caput reclinet. Caput enim Christi Deus est, Deus autem habitat in humili et simplici et tremente sermones ejus, et ipsa reclinatio capitis, non erectio humilitatis magistra est, quæ in illo locum non habent. In tribus ergo iste reprehenditur a Domino, scilicet : in dolositate, quia ficto animo et non simplici sequi volebat; et in cupiditate, quia eum pro quæstus sequi intendebat; et in elatione, quia propter inanem gloriam ei adhærere cupiebat : sicut *vulpes* est animal fallax, insidiis intentum, et rapinis plenum; *avis* vero alta petens et ascendens sursum. Hic ergo sequi volebat Magistrum, non ut virtutes disceret, non ut paupertatem et humilitatem Magistri imitaretur, sed ut fictus discipulus deciperet, et sub Magistro humilitatis, et paupertatis, honorum dignitates ambiret et divitias congregaret.

3 Qui sint huic Scribæ similes?— Et hunc ambitiosi et simoniaci in Ecclesia imitantur, qui cupiunt ad alta subvehi, *quærentes quæ sua sunt, non quæ Jesu Christi,* non ut ministrent, sed ut ministrentur, et ideo vulpi dolosæ, et volanti avi merito comparantur. Per hunc etiam significantur quærentes intrare religionem, vel monasterium divitias habentium, non ex devotione, sed ut ex pauperibus divites, et ex contemptibilibus honorati fiant. Ideo talibus dicitur : *Vulpes foveas habent, et volucres cœli nidos,* id est dæmones dolosi et superbi habent in vobis habitaculum, sed non Christus. Potest insuper dici, quod *vulpes foveas habent,* id est dolosi habent cautelas, ad quas refugiunt, ne in suis capiantur malitiis; *et volucres cœli nidos,* id est superbi quærunt elevari in altis; *Filius autem hominis non habet ubi caput suum reclinet,* in talibus, id est ille qui secundum dictamen rationis vivit, talia non quærit. Ut ergo dicit *Chrysostomus,* Scriba hic, non animo credendi, sed simulata mente accessit ad Dominum, unde inspector cordium et secretorum cognitor Deus, tentantem se potius, quam vere ac fideliter sequi volentem, non immerito refutavit. Nam, ut ait *Augustinus* : « Videbat eum dolosa simulatione tenebrosum, et ventosa elatione jactatum, non habere locum humilitatis, ubi doctorem se inclinantem exciperet, quia in discipulatu Christi non illius gratiam, sed suam gloriam requirebat. »

4 De altero, qui antequam Chri-

Digitized by Google

STUM SEQUATUR, PATREM VULT SEPELIRE; ET CUJUS SIT FIGURA? — Dixit autem Dominus alteri, cujus patrem jam mortuum sciebat : *Sequere me.* Qui respondit : *Domine,* quod est reverentiæ, *permitte me,* quod est obedientiæ, quia de discipulis suis scilicet futuris dicitur, etsi nondum erat, *primum ire et sepelire patrem meum,* quod est opus misericordiæ. Ubi *Rabanus :* « Non discipulatum respuit, sed expleta primum paterni funeris pietate, liberior hunc sequi desiderat, sicut Elisæus, vocante se Elia : *Osculer,* inquit, *orate, patrem meum et matrem meam, et sic sequar te.* » *Jesus autem ait illi,* animo corripiendi : *Sequere me,* non obstante patris tui funere. Quasi dicat : Non est de caritatis ordine minus bonum majori præponere : *et dimitte mortuos,* scilicet morte culpæ, *sepelire mortuos,* morte naturæ, *suos,* scilicet sibi adstrictos vinculo propinquitatis vel naturæ; dicens autem *suos,* monstrabat quoniam hic mortuus non ejus, sed aliquis infidelium erat, cujus et sepultores per infidelitatem impietatis in anima mortuos intelligi volebat. Infideles dicuntur mortui, quia fide carent, quæ vita animæ est, secundum illud : *Justus ex fide vivit,* hic ergo romovetur carnalitas propinquarum; per hoc enim quod dixit ei : *Sequere me, et dimitte mortuos sepelire mortuos suos,* ostendit quod carnalis affectus a sequentibus Christum est totaliter dimittendus. Et est hoc argumentum contra excusantes se de ingressu religionis, propter curam parentum; item contra procrastinantes, si enim noluit retardari pro sepultura, multo minus pro expeditione diuturna. Unde *Chrysostomus :* « Alius intentione ficta dixit, sequar te; hic etiam sanctam rem petens non sinitur recedere, quia alii erant qui sepelirent, et hunc a magis necessariis recedere non oportebat : » hæc *Chrysostomus.* Et vide quomodo primum dolosum et superbum, qui ficte et simulata mente accesserat, respuit; secundum simplicem et devotum, qui vere et simplici mente et puro corde quærebat, ad sui sequelam traxit, et absque dilatione se sequi jubens nec patrem sepelire permisit, quem forte a sepultura prohibuisset, si alii qui sepelirent non fuissent. Ac si ei diceret : Venisti ad vitam, vis redire ad mortem? *Ego sum vita,* ego sum Pater, et Creator tuus : *Sequere me, et dimitte mortuos sepelire mortuos suos;* tu autem, vade, et annuntia regnum Dei, non fabulas, non curiositates, vel aliquid hujusmodi. Non nego sepulturam esse de operibus misericordiæ, nec dico opera ejus proximo non esse impendenda, sed pro majoribus esse postponenda. *Annuntia regnum Dei,* suscita mortuos in anima. Instruimur ergo hic ut pro majori bono minus bonum deseramus; nam si meritorium sit parentem sepelire, dignius est tamen verba vitæ docere, pium quippe erat quod volebat facere, sed docuit Magister quid deberet præponere : majus enim est animas mortuorum prædicando ad vitam resuscitare, quam corpus mortui in terra abscondere; majus est prædicando unum saltem vivificare, quam omnes mortuos sepelire. Unde *Ambrosius :* « Cum religiosum humani corporis sepeliendi acceperimus officium, quomodo hic paterni quoque funeris sepulturæ prohibetur? Nisi ut intelligas humana posthabenda divinis, bonum studium, sed majus impedimentum; nam qui partitur studium, dirivat affectum, qui dividit curam, differt profectum; ergo prius sunt habenda quæ maxima. Quomodo ergo

Digitized by Google

mortui sepelire mortuos possunt, nisi geminam hic intelligas mortem : unam naturæ, alteram culpæ ? Est etiam mors tertia, in qua peccato morimur, Deo vivimus ; non ergo paterni funeris sepultura prohibetur, sed necessitudini generis divinæ religionis pietas antefertur. Illud consortibus relinquitur, hoc mandatur electis. » Unde et *Chrysostomus* : « Inconveniens enim erat, ut qui semel Filio Dei credens, vivum et cœlestem Deum patrem habere jam cœperat, de patre mortuo cogitaret ; et ideo Dominus ostendit præferendam esse fidem et cognitionem Christi hujusmodi pietatis officiis, propter quem viventes parentes jubemur relinquere. Jesus ergo prohibuit eum non jubens contemnere honorem, qui est ad eos qui progenuerunt, sed monstrans quoniam nihil cœlestibus negotiis magis nobis necessarium esse oportet ; et quoniam cum fastidio universorum his jungi oportet, et neque parum tardare, etsi valde inevitabilia et incitantia fuerint quæ attrahunt. Etenim multo melius est regnum divulgare, et alios evellere a morte, qua mortuum, qui in nullo inde utilitatem habet, sepelire, et maxime cum fuerint qui hæc universa complent. Nihil igitur aliud hic discimus, quam quoniam neque contingens tempus perdere oportet, etsi decem millia quæ provocant fuerint, atque omnibus et maxime necessariis ipsis spiritualia præponere : » hæc *Chrysostomus*. Moraliter mortui sepeliunt mortuos, quando peccatores in peccatis suis mutuo fovendo celant, et operiunt semetipsos. Unde, secundum *Gregorium*, per mortuos intelligi possunt adulatores, qui peccatores fovent in peccatis, eosque amplius sepeliunt promendo terram, et terrenam adulationem super caput ipsorum, ut exerceantur in vitiis, institis ligantes pedes eorum, ne in viis Dei ambulent.

5 De tertio renuntiari his qui domi erant volenti, antequam Christum sequatur, et cujus sit figura ? — *Et ait alter*, ad Jesum : *Sequar te, Domine ; sed primum permitte me renuntiare his quæ domi sunt ;* volebat renuntiare parentibus, ne forte quomodo fieri solet quærerent eum, licentiando se ab eis, et dicturus valete, ac dispositurus familiæ. Sic Elisæus requisitus Eliam sequi dixit : *Oro te ut osculer primum patrem meum, et matrem meam, et sic sequar te ;* sic hodie multi faciunt qui inutiliter ingressum religionis, vel executionem melioris vitæ differunt et dicunt, disponam prius de amicis, vel de rebus meis, et postea religionem intrabo, seu vitam emendabo. Quod *Hieronymus* dissuasit cuidam, eumque ab hac periculosa dilatione revocavit, dicens : « Naviculæ hærentis in salo funem potius præscinde, quam solve. » Unde et *Chrysostomus* : « Ne dicam dissolvam negotia mea, primum principium desidiæ hæc tardatio est. Quoniam vehementer instat diabolus ingressum quem Deus volens accipere, et si parvam vocationem et tardationem apprehenderit, magnam operatur pigritationem ; propter hoc admonet quidam : *Et ne differas de die in diem.* » Quod etiam romovetur convenienti exemplo, cum subditur : *Ait*, enim illi *Jesus : Nemo mittens manum suam ad aratrum*, scilicet pœnitentiæ qua cor evertitur, ut virtutibus seminetur, mittens, inquam, pœnitendo, et Christum sequi proponendo ; *et respiciens retro*, facto vel proposito, ad statum pristinum redeundo, *aptus est regno Dei*, consequendo vel prædicando. Unde Paulus, regnum Dei habiturus et ipsum aliis prædicaturus, ait : *Quæ*

Digitized by Google

retro sunt obliviscens, quasi Dominus dicat ei : Vocat te Oriens, et tu attendis ad Occidentem! Hic ergo removetur inutilis dilatio, quia cum propositum mutandi vitam parentibus revelatur, quandoque ab eis revocatur. Arator quippe retro aspiciens facit sulcum tortuosum et ineptum ; sic accipiens melioris vitæ statum, et habens affectum redeundi ad statum pristinum, ineptus est ad regnum Dei adipiscendum. Talis est religiosus qui mundum reliquit, sed ad mundum mente recurrit, nunc hos, nunc illos, seu prius habita vel facta in corde revolvendo, et amorem seu delectationem ad hujusmodi flectando. Unde *Maximus* Episcopus : « Omnis enim arans si retroaspicit, aut tortuosum et inutilem facit sulcum, aut aratrum boum suorum vestigia vulnerabit. Ita et qui directo tramite ac spirituali vomere vitia mundana persulcans incedit ad regnum Dei, si aspectum suum ad impia et vana converterit; et juges suos, hoc est corpus atque animam vulnerabit et optimi itineris periculosum nimis incurrit errorem. » Unde *Augustinus :* « Apponit manum aratro, qui affectuosus est ad sequendum; retro tamen respicit, qui dilationem petit, occasione redeundi ad domum et cum amicis conferendi. » Unde et *Bernardus :* « Si autem secuturus Dominum discipulus, qui vel domui renuntiare velit arguitur : quid fiet illis qui nulla utilitatis, nulla fidei ædificandæ gratia sæpius suorum quos in mundo relinquere domos revisere non timent? Hoc facit contra monachos in domibus parentum et secularium conviventes. » Unde etiam *Chrysostomus :* « Ostendit quod qui sequi Dominum desiderat, qui manum in aratro ponit, id est qui in spe crucis Christi Evangelica fide fundatus, seculo renuntiat, respicere retro non debeat, id est rursus ad ea quæ seculi sunt redire, ne per hujusmodi inanem seculi curam et vanam cupiditatem regno Dei efficiatur indignus. Unde non immerito Apostolus admonet ne ad infirma et egena mundi revertamur.» Unde iterum *Bernardus :* « Et hoc omnino timendum est, ne quis aut corde solo, aut etiam corpore fiat apostata. Legimus enim de filiis Israel, quia corde redierunt in Ægyptum. Nam corpore reverti clausum post eorum talos rubrum mare vetabat; hoc est, quod ego vereor, fratres, ne forte sint aliqui quibus si pudor negat apostasiam corporis, tepor faciat apostasiam cordis, ut videlicet in habitu religionis cor seculare gerant, et quidquid secularis consolationis invenire potuerint, læti suscipiant : » hæc *Bernardus.* Qui ergo seculo renuntiavit, nullatenus retro respiciat, quia, ut ait *Gregorius,* nil Angelis carius, nil Deo acceptius, nil homini fructuosius, quam in suscepta religione persistere, juraque obedientiæ observare et complere. Et, ut ait *Isidorus,* atrociter in discussione divini judicii arguendi sunt, qui quod professione spoponderunt, opere implere contemperunt; et ideo cauti esse debemus ne mundo undique retrahente, et post dorsum ut retro respiciamus strepente, seducamur, et retro cum uxore Loth, quæ in statuam salis versa est, respiciamus. Unde nota, quod statua habet figuram humanam, sed non sentit nec movetur; sic personæ quæ exierunt mundum, habentes cor adhuc ad negotia mundi, non habent sensum vel motum alicujus boni operis. Item terra ubi sal seminatur, efficitur sterilis; sic tales reddunt societatem, in qua sunt, sterilem. Item sal præbet saporem aliis, tamen per consumptionem sui; sic tales consumuntur in religione sine

Digitized by Google

propria utilitate, et dant aliis exemplum conservationis. Secundum *Bedam*, etiam manum ad aratrum mittit, qui quasi quodam instrumento compunctionis, scilicet ligno et ferro Dominicæ Passionis, duritiam cordis sui emollit et evertit ad pœnitentiam; sicque ad bonos fructus ferendos terram cordis vomere pœnitentiæ aperit, recolens Dominicam Passionem. Qui si ad relicta vitia desiderio rapitur, a regno Dei cum uxore Loth excluditur. Sancti enim posteriorum obliti semper in anteriora se extendunt : juges suos, id est corpus et animam, quasi boves jugo Dei conjunctos, a jugo ejus non relaxantes, sed semper colla subdentes, ut fructum plus afferant. Et sciendum quod quamvis sepelire patrem, et renuntiare bonis vel amicis, per se non impediant hominem a perfectione et regno Dei; per accidens tamen et propter aliqua supervenientia imminet periculum retrocedenti a via Dei, quia dum differt implere propositum, potest faciliter immutari ab eo quod proposuit propter intuitum earum quæ dimisit, vel revocari a proposito propter suasum parentum, seu aliorum quos reliquit. Ut autem dicit *Augustinus*, in hoc capitulo et nos dicimus, quia quos voluit Dominus, hos elegit : obtulit se unus ut eum sequeretur, et reprobatus est; alius non audebat, citatus est; tertius differebat, culpatus est : non sis ergo dolosus et superbus, ne cum primo reproberis, sed magis sis simplex et devotus, ut cum duobus aliis eligi merearis.

ORATIO

Domine Jesu Christe, Magister bone, inspector cordium, et cognitor secretorum, exclude et remove a me omnem dolositatem et simulationem, et fac me verum et fidelem tuum discipulum; et sine fictione sequi te veracem Magistrum. Da etiam mihi ut propter carnalem quorumcunque affectum te sequi non differam, et minus bonum majori non præferam. Præsta mihi, Domine Deus meus, ne ad aratrum pœnitentiæ manum mittens, et te sequi per melioris vitæ statum proponens, respiciam retro, facto vel proposito, ad statum pristinum redeundo, ut non efficiar ineptus regno Dei consequendo. Amen.

Digitized by Google

CAPUT XLVI

De eo quod Dominus excitatus imperavit ventis et mari.

Matthæi cap. 8.

1 CHRISTUS DORMIT DUM VENTIS ET FLUCTIBUS QUATITUR NAVICULA. — Post hæc Dominus Jesus, dimittens turbas, ascendit sero in naviculam, ad transeundum lacum Genezareth, ut in locum remotum, propter causas supra in principio præcedentis capituli dictas, cum discipulis iret. Ut enim dicit *Remigius* : « Tria legitur Dominus habuisse refugia, scilicet navis, montis et deserti; et quoties a turbis comprimebatur, ad aliquod istorum refugiebat. » Ubi *Origenes* : « Cum multa magna et miranda Dominus ostendisset in terra, transiit ad mare, ut ibi excellentia opera demonstraret; quatenus terræ marisque Dominum se ostenderet. » *Et ascendente eo in naviculam, secuti sunt eum discipuli ejus,* transfretantes scilicet cum eo, non tantum gressus sequentes, sed magis sanctitatem concomitantes. *Secuti* quidem *sunt eum,* quia trahebantur suavitate sermonis ejus, et admiratione operis, et benigna conversatione ipsius; ita ut esset eis difficile ipsum relinquere. *Et ecce motus magnus,* ut majus appareret miraculum, *factus est in mari,* non naturaliter et ex se, sed Christi imperio et virtute; *ita ut navicula operiretur,* scilicet fere, *fluctibus* inundantibus. Et bene dicit *operiretur,* non submergeretur : quia navicula Petri concuti potest, sed submergi non potest, cujus figura in arca Noe fuit. *Ipse vero dormiebat* in puppi, id est in posteriori parte navis, juxta tabernaculum, super cervical ligneum, ostendens, secundum *Chrysostomum,* suam humilitatem. Nec mirum si dormiebat, ipse enim multum de nocte in orationibus vigilabat, multumque de die in prædicationibus laborabat. *Dormiebat* quidem corpore, sed vigilabat deitate. Unde ipse in Canticis dicit : *Ego dormio, et cor meum vigilat.* Ubi *Chrysostomus* : « Ascendit parvam naviculam, ut navigaret ille qui totum mundum divina virtute gubernat; dormit in somnum, qui populum suum vigilia æterna custodit. » Voluit autem Dominus dormire multiplici de causa : prima, ut veritatem humanæ naturæ in se demonstraret : in miraculis enim Christi semper aliquid ponitur ad ostendendum veritatem humanitatis, et aliquid ad ostendendum veritatem divinitatis; secunda, ut discipulorum fidem probaret, non quod ipse corda eorum ignoraret, sed ut ipsi seipsos agnoscerent; tertia, ut discipuli magis timerent, et sic eos ad orationem provocaret : si enim, ut ait *Chrysostomus,* eo vigilante, tempestas facta esset, vel non timuissent, vel non rogassent;

Digitized by Google

quarta, ut veritatem divinæ naturæ et suam potentiam demonstraret, quæ magis claruit in eo, quod mox excitatus imperavit ventis, qui ei parebant.

2 TIMOR DISCIPULORUM REPREHENDITUR. — Timentes ergo discipuli, et in periculo positi, *accesserunt* recurrentes *ad eum, et suscitaverunt eum, dicentes : Domine, salva nos,* tu enim potes, et nos indigemus, quia *perimus,* et in periculo constituti sumus. Ubi *Origenes :* « O veraces discipuli! Salvatorem vobiscum habetis, et periculum timetis; vita vobiscum est, et de morte solliciti estis! » Et ideo quod dixerunt : *Salva nos,* fiduciæ; quia *perimus,* fuit pusillanimitatis; quod suscitaverunt, infidelitatis. Propter quod increpando *dixit eis : Quid timidi estis modicæ fidei?* Quasi diceret : Si haberetis fidem, non timeretis, sed faceretis quod velletis, et ventos et mare placaretis. Ubi *Cyrillus :* « In quo ostendit quod timorem non facit tentationum inductio, sed imbecillitas mentis. Sicut enim aurum probatur in igne, sic in tentationibus fides. » Redarguit ergo in eis duo, scilicet : mentis pusillanimitatem, quia non debebant timere, eo præsente, quem viderunt tot miracula facere, et cui qui adhæret perire non potest; ac fidei modicitatem, quia non credebant eum tantum posse in dormiendo, quantum in vigilando, vel tantum in mari, quantum in terra. Argumentum hinc habemus, quia modicæ fidei est qui in adversitate famis, pressuræ, et hujusmodi constitutus, murmurat, timet, et impatienter fert. Unde fides maxime necessaria est in periculis : hæc est enim *victoria quæ vincit mundum,* id est mundi pericula, *fides nostra.* Ut autem dicit *Ambrosius :* « Iconia servatur in Apostolis, ut advertas sine tentatione neminem posse ex hoc vitæ curriculo demigrare, quia exercitium fidei tentatio est. Subjecti ergo sumus nequitiæ spiritualis procellis, sed quasi pervigiles nautæ gubernatorem excitemus. »

3 TRANQUILLITAS MARI A CHRISTO REDDITA. — *Tunc surgens* Jesus *imperavit ventis et mari* sævientibus, sicut Dominus creaturæ, dixit : Tace et obmutesce; et cessavit tempestas, *et facta est tranquillitas magna,* ita quod nec semita nec vestigium alicujus turbationis remaneret; sic itaque utriusque suæ naturæ, scilicet divinæ et humanæ, veritatem Dominus Jesus Christus dignatus est hic commendare. Quasi enim homo navem ascendit, sed quasi Deus mare conturbat; quasi homo in navi dormit, sed quasi Deus ventis et mari imperat, et eorum furorem verbo coercet. Nam sentiunt Dominum mandantem, quorum tamen insensibilis natura videtur; unde dicuntur Deo obedire inanimata, quia solo verbo de his facit quod vult, secundum quem modum loquendi solet dici materia obediens, vel inobediens medicinæ. *Porro homines,* secundum *Hieronymum,* non discipuli, sed nautæ et ceteri qui erant in navi, *mirati sunt,* ex affectu virtutem deitatis ejus cognoscentes, ac etiam confitentes, et admirando dicentes : *Qualis est hic,* et quantus, id est quam magnus, quam potens, et quantæ dignitatis et potestatis! Quasi diceret : Non est homo purus, sed verus Deus. Ubi *Chrysostomus :* « Somnus hominem, tranquillitas Deum ostendebat, ideo dicunt : *Qualis est hic :* quia sicut homo dormit, sicut Deus miracula facit. » Tria ergo admirantur, et hominem dormientem, et Deum imperantem, et creaturam obedientem. Unde addunt : *Quia venti et mare,* quæ insensibilia sunt, *obediunt ei,* ad nutum obsequendo, sicut creatura Creatori suo. In quo

Digitized by Google

redarguuntur creaturæ rationales, quæ non obediunt Creatori, cum creaturæ insensibiles obediant ei. Qui ergo prius miracula in terra fecit, etiam in mari facere voluit, ut Dominus terræ et maris appareat, et in signum quod tota ei servit orbis machina, et cuncta ad nutum suum sunt creata. Per hoc autem quod a discipulis excitatus et rogatus eos liberavit, ostenditur quod semper vult rogari a nobis; sæpe enim exponit nos pressuris, quia vult ut eum oremus et sic liberemur ab illis. Unde patet quod multo melior est oratio quam lectio. Secundum *Chrysostomum,* Christus fecit in mari magnam turbationem, ut magna turbatio magnum discipulis incuteret timorem, et magnus timor induceret eos ad clamosam orationem, et clamosa oratio induceret Christum ad magnam miraculi operationem, et magnum miraculum induceret homines ad fidem et admirationem. Unde *Augustinus :* « Ideo premuntur justi, ut pressi clament, clamantes exaudiantur, exauditi glorificent Deum. Iste autem clamor non tantum debet fieri voce et corde, sed etiam opere, ut insistant jejuniis et eleemosynis, et macerationi corporis. »

4 Mystice ista navicula typus est Ecclesiæ. — Mystice istud potest exponi diversimode. Primo allegorice, prout pertinet ad totum corpus Ecclesiæ, ut navicula intelligatur Ecclesia fidelium, quæ ad modum navis in principio fuit arcta, quia paucos habuit credentes; in fine etiam, scilicet tempore Antichristi, erit angusta, quia tunc pauci erunt fideles; in medio autem est lata, quia modo fides est multum dilatata. In hac navi continentur fideles qui cum Christo per mare seculi ad regnum cœlorum perveniunt. Hanc itaque navem ascendit Christus, per regimen et gubernationem, quia ipse est rector Ecclesiæ et gubernator, in qua discipuli continentur. Hanc autem ascendit in Baptismo, quia Baptismus est janua sacramentorum. In Ecclesia ergo tanquam in navi sumus, et Dominus nobiscum propter sua sacramenta. Sed contra Ecclesiam flant venti varii et validi malorum, et elevantur fluctus contra eam, ut sic navicula quasi operiatur fluctibus, submergi tamen non potest. Et inter hæc omnia Christus dormire videtur, et non attendere; quia, secundum *Origenem,* patientiam bonorum, et pœnitentiam impiorum exspectat; Christi enim dormitio est divina in tribulationibus permissio, qui excitatur, quando bonorum precibus pulsatur. Accedamus, ergo ad eum, dicentes : *Exsurge, quare obdormis, Domine, exsurge, et ne repellas in finem.* Ipse autem exsurget, et imperabit ventis, id est dæmonibus, qui concitant fluctus, id est malos hujus mundi ad immittendum persecutiones Sanctis, facietque tranquillitatem magnam, pacem Ecclesiæ, et serenitatem mundo per cessationem tribulationis conferendo, vel patientiam tribulatis dando. De ista navi sic dicit *Chrysostomus :* « Non dubium est navem istam Ecclesiam figurasse, quæ, navigantibus Apostolis, gubernante Domino, flante Spiritu Sancto, prædicationis verbo ubique discurrit; portans secum magnum inæstimabile pretium, quo totum mundum sanguine Christi mercata est. Mare vero seculum intelligitur, quod a diversis peccatis et variis tentationibus velut quibusdam fluctibus æstuat; venti autem nequitiæ spirituales et immundi spiritus intelliguntur, qui ad naufragium Ecclesiæ per diversas seculi tentationes, velut per fluctus maris, desæviunt. Dormire vero

Digitized by Google

Dominus in hac navi intelligitur, cum ad probationem fidei Ecclesiam suam pressuris et persecutionibus mundi istius tentari permittit. Excitatio vero discipulorum excitantium Dominum et auxilium implorantium, ut liberentur, preces Sanctorum omnium ostenduntur. Et quamvis infestatione inimici Ecclesia vel seculi tempestate laboret, quamvis tentationum fluctibus pulsetur, naufragium tamen facere non potest, quia Dei Filium habet gubernatorem. Inter ipsos enim turbines mundi, inter ipsas seculi persecutiones, plus gloriæ ac virtutis acquirit, dum in fide firma et indissolubili permanet. Navigat enim instructa fidei gubernaculo, felici cursu per hujus seculi mare, habens Deum gubernatorem, Angelos remiges, portans choros omnium Sanctorum, erecta in medio ipsa salutari arbore crucis, in qua Evangelicæ fidei vela suspendens, flante Spiritu Sancto ad portum paradisi, et securitatem quietis æternæ deducitur : » hæc *Chrysostomus*.

5 Allegorice typus est crucis Dominicæ. — Alio modo hoc idem potest exponi allegorice, prout pertinet ad caput Ecclesiæ, quod est Christus, ut navicula quam Christus ascendit intelligatur arbor crucis, cum qua mare hujus mundi pertransitur sine periculis; cujusque beneficio et auxilio fideles adjuti, transfretatis et emersis mundi fluctibus, perveniunt ad littus et portum patriæ cœlestis. Hanc naviculam Christus in die *Parasceves* cum discipulis suis ascendit, per quam mare præsentis seculi transivit, non quidem quod ipsi tunc passi fuerint, sed quia tunc eis exemplum patiendi reliquit. Unde *ascendente eo in* hanc *naviculam, secuti sunt eum,* quia omnes ad tormenta et usque ad mortem fuerunt eum postea imitati. Cum ergo Christus in cruce positus fuisset, *magnus motus* in mari *factus est,* quia mentes discipulorum motæ sunt, quia a stabilitate fidei corruerunt. terræmotus magnus factus est, *petræ scissæ sunt :* et cetera signa quæ tunc facta sunt, ita quod navicula operata est fluctibus, quia tota vis persecutionis circa crucem Christi fuit, et mentes omnium contra ipsam fluctuabant, et facta est crux Christi *Judæis scandalum, Gentibus autem stultitia.* Sed inter has commotiones ipse dormiebat in cruce moriendo, quia suum dormire hoc loco mori est. Excitant autem discipuli Dominum, dum turbati mente maximis desideriorum clamoribus resurrectionem efflagitant, dicentes: *Salva nos,* resurgendo a mortuis, quia *perimus,* perturbatione tuæ mortis. Ipse vero resurgens, et per resurrectionem excitatus, primo increpat discipulorum modicam fidem; quia *exprobravit incredulitatem eorum et duritiam cordis. — Imperavit* autem *ventis,* quia diaboli superbiam stravit; imperavit, *et mari,* quia vesaniam Judæorum compescuit; *et facta est tranquillitas magna,* et consolatio, quia visa resurrectione sedatæ sunt mentes discipulorum et gavisæ; nos vero homines videntes hæc omnia, et cognoscentes dicimus : *Qualis est hic,* et quantus? Discipuli ergo, id est homines fideles, debent eum sequi, juxta illud : *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum et tollat crucem suam et sequatur me.*

6 Tropologice typus est pœnitentiæ. — Et quia per pœnitentiam maxime crux tollitur, ideo etiam tropologice seu moraliter per naviculam pœnitentia designatur, quia per ipsam homo ad portum salutis deducitur ; et quicunque extra istam naviculam inventus fuerit, ad portum salutis non perveniet, sed ipsum unda infernalis involvet.

Digitized by Google

Ideo significata est per arcam Noe, quia illi qui eam ascenderunt fuerunt salvati; qui vero non ascenderunt, fuerunt submersi. Tunc autem Jesus *naviculam hanc ascendit,* quando quis salutis suæ avidus pœnitentiam assumit, et sæpe contingit quod quando quis pœnitentiam inchoat, gravis tentatio eum pulsat, nec Deus ipsum liberat, sed auxilium subtrahit, ideo recurrere debet ad eum per ferventem orationem, et tam perseveranter instare, donec impetret Dei miserationem. Tanta autem gratia sæpe eum consequitur, quod ipse etiam in admirationem excitatur. Unde, secundum *Bedam,* cum signo Dominicæ crucis imbuti seculum relinquere disponimus, navem cum Jesu conscendimus, mare transire conamur. Qui enim abnegans impietatem et secularia desideria crucifigit membra sua cum vitiis et concupiscentiis, et cui crucifixus est mundus et ipse mundo, quasi cum Domino navem ascendens, mare hujus seculi transire desiderat; sed nobis navigantibus quasi inter æquoris fremitus obdormit Dominus, quando crebescente vel immundorum spirituum, vel hominum pravorum, vel nostrarum cogitationum impetu, fidei splendor obtenebrescit, spei celsitudo contabescit, amoris flamma refrigescit; sed tunc ad Dominum recurramus, quatenus tempestatem compescat, tranquillitatem refundat, et portum salutis indulgeat.

7 MORALITER TYPUS EST ANIMÆ FIDELIS. — Potest etiam aliter tropologice seu moraliter exponi, ut per naviculam intelligatur quælibet fidelis anima: hæc navicula mari exponitur, quia corpori sociatur; vere enim corpus nostrum mare est, quia omnia opera ejus amaritudinem habent annexam. *In hanc naviculam* Christus *ascendit,* cum eam per gratiam inhabitat. *Sequuntur* autem *eum discipuli,* id est virtutes tres theologicæ, et quatuor cardinales, et septem dona Spiritus Sancti. Ecce quam pulchra Christi comitiva, quæ eum semper comitabatur et quotidie, cum in animam fidelem ascenderit, comitatur. Sed et hanc naviculam commovent venti tentationum, id est exteriores dæmonum impulsiones, et undæ seu procellæ passionum, id est interiores vexationes carnales, quæ frequenter insurgunt pie in Christo viventibus; et nonnunquam est tantus tentationum impetus, quod anima quasi *operiatur fluctibus,* ex quibus timendum est virtutes et dona periclitari in ea; sed Christus in ea dormit cum talia permittit, eo quod somno nostro consopiatur in nobis, ita quod videtur non dereliquisse, sed non est ita, imo ipse promisit, dicens: *Cum ipso sum in tribulatione,* etc. Et ideo, redeunte anima ad se, virtutes et dona excitant Dominum, exclamantes voce grandi, et dicentes: *Domine, salva nos, perimus;* tunc Christus omnem turbulentiam sedat, exteriores ventos dæmonum compescit, fluctus carnis contra animam se erigentis mitigat, et sic *fit magna tranquillitas* exterius, cum tribulatio et tentatio cessat, vel interius, cum patientiam bonam præstat; et hæc tranquillitas virtutis melior est quam tranquillitas corporalis, sicut dictum fuit Paulo: *Sufficit tibi gratia mea;* propter quod subjunxit: *Libenter igitur gloriabor in infirmitatibus meis, ut inhabitet in me virtus Christi.* Tam *magna* autem *fit tranquillitas,* ita ut ipse totus homo miretur, et dicat: *Qualis est hic,* misericordissimus, potentissimus et sapientissimus Dominus; *quia mare et venti* tentationum et passionum *obediunt ei,* ad nutum? Quid

Digitized by Google

igitur tam benignissimum, quam quod Deus in hanc naviculam de cœlo veniens pro deliciis habet *esse cum filiis hominum?* Quid iterum tam admirantissimæ utilitatis esse poterit, quam quod Deus conjunctus animæ ipsam promovet ad salutem? Qui descendens in animam dormire tunc dicitur, cum subtracta gratia spirituali, motus tentationis insurgunt; vigilare vero et excitari tunc dicitur, cum spiritualis gratia jam præsens sentitur, ad cujus præsentiam omnia tentationum genera conquiescunt.

8 QUID SIT IN TENTATIONIBUS FACIENDUM? — Circa istud, *Augustinus* quasi de uno exemplum inducens, sic ait : « Intrant venti in cor tuum, utique ubi navigas, ubi hanc vitam tanquam procellosum et periculosum pelagus transis; intrant venti, movent fluctus, turbant navem. Qui sunt venti? Audisti convitium, irasceris; convitium ventus est, iracundia fluctus est periclitaris. Disponis respondere, disponis maledictum maledicto reddere, jam navis propinquat naufragio; excitas Christum dormientem, ideo enim fluctus; et mala pro malis reddere præparas, quia Christus dormit in navi. In corde enim tuo somnus Christi, oblivio fidei; nam si excites Christum, id est recolas fidem, quid tibi dicit tanquam vigilans Christus in corde tuo? Ego audivi, dæmonium habes, et pro eis oravi, audit Dominus et patitur, audit servus et indignatur; sed vindictam vis : quid enim? Ego jam sum vindicatus cum tibi hæc loquitur fides tua, quasi imperat ventis et fluctibus, et *fit tranquillitas :* » hæc *Augustinus.* Et similiter de aliis quæ nos tentant vel tribulant, intelligas suo modo, ut ex omni parte excludatur mala conditio; quia sicut modicum foramen existens in navi ponit eam in periculo, nisi obstruatur, sic anima est in periculo damnationis propter unam malam conditionem, nisi excludatur, et ideo dicitur in Proverbiis : *Omni custodia serva cor tuum,* et in Ecclesiastico : *Sepi aures tuas spinis, et ori facito ostia, et seras auribus.* Igitur quando tribulamur et tentamur debemus esse constantes in fide, et nihil hæsitare, quia licet circa nos et facta nostra Dominus videatur dormire, ipse tamen diligentissimus est super custodia nostra quotidie, qui etsi jam sui corporis somno non dormiat, caveamus tamen ne nostri corporis somno nobis dormiat et quiescat. Dormit enim quando ab orationibus et bonis operibus cessamus, et suscitandus tunc est in nobis crebris et devotis precibus, et ipse facit tunc tranquillitatem, quia *facit cum tentatione proventum;* sed fatui ipsum magis obdormire faciunt, in hoc scilicet quod magis ad humanum consilium, quam ad divinum confugiunt. Unde *Augustinus :* « Nihil tam maxime suggeritur humano cordi ab invisibiliter expugnantibus inimicis, nisi quod Deus non est adjutor; ut requirentes alia adjutoria inveniamur invalidi, et ab inimicis ipsis capiamur : » hæc *Augustinus.* Volens ergo ad servitutem Dei accedere, secundum consilium Sapientis præparet se ad tentationes imminentes. Cum enim quis a vitiis et peccatis se subtrahere voluerit, ut soli Deo vacare, id est intendere possit; commotio magna fit in mari seu mundo, id est persecutio multiplex, cujus causa est triplex, scilicet : impulsus ventorum, hoc est tentatio a diabolo; turbatio maris, hoc est tentatio a mundo; commotio tempestatis, hoc est tentatio a carne, quas tentationes contra se sentit insurgere. Procella enim tentationis ex invidia diaboli conatus viri justi

Digitized by Google

a bono proposito commovere optat, aliquando pravorum persecutionibus exterius, aliquando impulsu malorum cogitationum interius, nonnunquam etiam ex propria fragilitate carnis stimulo. Quia quanto magis quis Deo appropinquare voluerit, et in Deum profecerit, tanto amplius invenit quod durius portet; in exemplo videlicet Israelitarum qui tunc durius a Pharaone sunt afflicti, quando per Moysen et Aaron ad terram promissionis sunt vocati. Quod Dominus etiam suo exemplo ostendit, quando post Baptismum et jejunium tentationes diaboli pertulit; sæpe enim post conversionem nos diabolus acrius tentat, quos a sua servitute recedere considerat; sed ille qui *non dormitat, neque dormiet* custodiens Israel, quasi dormit in navi, cum mentem viri justi inter procellas tentationum durius permittit fatigari. Cumque sentit tentationes sua virtute superare non posse, accedit ad omnipotentiam Dei recurrens, et suscitat Dominum cum mentis devotione illi appropinquans, et suam fragilitatem humiliter recognoscit, ac divinam potentiam, et Dei misericordiam devotissime totis viribus mentis implorare non cessat, quousque in sui adjutorium divinum excitet auxilium, tunc enim surgens *imperat ventis et mari;* quia tentamenta diaboli insurgentia contra mentem viri justi conquiescere facit, et eum sibi libere servire permittit. *Fit* autem tunc *magna tranquillitas,* quia expulsis malarum tentationum radicibus, virtutes animæ, et ea quæ prius non sine formidine observabat, postmodum velut naturaliter per bonam consuetudinem custodire incipit, gaudens cum Propheta et cantans: *Declinate a me maligni, et scrutabor mandata Dei mei;* sicque transnavigato mari, et hujus seculi fluctibus calcatis, ad portum feliciter pervenit paradisi.

ORATIO

Domine Jesu Christe, impera suggestionum et tentationum flatibus et motibus; veni et gradere super cordis fluctus, et serena et tranquilla fiant omnia mea. Requiescat in te, Deus meus, cor meum; cor mare magnum tumens fluctibus dormiat ab omnibus quæ sub cœlo sunt, vigilans in te, quatenus amplectar te unum bonum meum, et contempler te lumen oculorum meorum, et lætabundus cantem et dicam: *Ego dormio et cor meum vigilat;* et illud: *In pace in idipsum, dormiam et requiescam.* Amen.

Digitized by Google

CAPUT XLVII

De duobus dæmoniacis a Legione obsessis.

Matthæi cap. 8, Marci cap 5 et Lucæ cap. 8.

1 DÆMONES COACTE CONFITENTUR CHRISTUM, CUJUS PRÆSENTIA TORQUENTUR. — Cum autem Jesus et discipuli ejus transfretassent et Mare Galilææ transivissent, venerunt in *regionem Gerasenorum contra Galilæam.* Gerasa quippe est insignis civitas Arabiæ trans Jordanem, juxta montem Galaad, in quo Laban comprehendit Jacob; in tribu Manasse, non longe a stagno Tiberiadis, ex opposito Galilæa stagno interjacente, a qua civitate denominatur regio Gerasenorum. Et cum de navi essent ad terram egressi, *occurrerunt ei duo* homines *dæmonia habentes, sævi nimis :* quia in se et in alios sæviebant, non quia dæmoniaci aliquid possint, nisi quantum Deus eis permittit; *ita ut nemo posset per viam illam transire,* hoc enim intendunt sævientes in nos dæmones, scilicet obstruere nobis viam vitæ, *exeuntes de monumentis,* in quibus habitabant et domicilium habebant. Ideo in monumentis Gentilium, ubi corpora eorum sepulta erant, dæmones habitabant tanquam habituri super corpora eorum potestatem post judicium, super quorum animas potestatem jam habebant. In monumentis etiam aliquando dæmoniaci habitant : ut per hoc dæmones terrorem hominibus de animabus defunctorum ingerant, et etiam quia in mortuis operibus, id est in peccatis delectantur et gaudent; qui etiam vinciebantur catenis, et compedibus, et ruptis vinculis agebantur in deserto a dæmonibus. His similes sunt mali religiosi, quos vincula obedientiæ et constitutionum non possunt tenere, quin exeant de monumentis, id est de claustris, in quibus mundo mortui debent esse, et hoc ad negotia secularia vel inutilia, seu etiam mala, exercenda. Et virtutem Dei sentientes, atque ex magno timore, non ex humilitate, ante Jesum procidentes, eum adoraverunt, et clamantes scilicet coacti voce magna. Ut enim ait *Hilarius :* « Non est voluntatis confessio, sed necessitatis extorsio, quia timent ejus præsentiam. » Dixerunt ergo : *Quid nobis et tibi, Jesu Fili Dei?* Quasi dicerent : Nihil est commune tibi et nobis; tu Deus, nos diaboli; tu humilis, nos superbi; tu venisti salvare, nos perdere. Unde Apostolus : *Quæ conventio Christi ad Belial,* id est ad diabolum? Nulla, certe, quia Christus omnia facit bene; diabolus omnia male. Supra dubitans dixit : *Si Filius Dei es;* hic eruditus tormentis asserit, *Jesu Fili Dei;* pœna enim oculos aperit, quos culpa claudit. Non cognoverunt ex certa scientia Jesum esse Fi-

Digitized by Google

lium Dei, sed ex conjecturis quibusdam opinabantur, non tamen de hoc certi. Unde *Augustinus* : « Quod dæmones clamant : *Quid nobis et tibi, Jesu Fili Dei?* magis ex suspicione quam ex cognitione dixisse credendi sunt : *Si enim cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent.* » Istis duobus dæmoniacis ex timore Domini adorantibus et confitentibus, similes sunt qui timore gehennæ potius quam amore justitiæ Deo serviunt; qui magis habent oculum sinistrum ad gehennam, vel ad commodum transitorium, quam oculum dextrum ad cœlum et incommutabile bonum, non gratis colentes Deum. *Venisti huc ante tempus* debitum *torquere nos.* Sciebant enim in die judicii sibi futuram damnationem, et se mittendos in abyssum, et torquendos, sed jam torqueri se dicebant; quia, secundum *Hireonymum*, præsentia Salvatoris tormentum est dæmonum. Unde *Chrysostomus* : « Et enim flagellabantur invisibiliter puncti et infixi, et intolerabilia patientes ex præsentia sola. » Vel ideo torquebantur, quia suspicabantur quod exire et a læsione cessare cogerentur; nam, secundum *Hieroymum*, magnum tormentum est dæmonibus a læsione hominum cessare, propter odium quod erga nos habent; et tanto gravius dimittunt, quanto diutius possederunt. Caveat ergo læsus a diabolo, ut cito ejus jugum disrumpat; quia tanto facilius, quanto citius ejus dominium evitatur.

2 Cur dæmon appelletur Legio? — Et interrogabat eos Jesus de nomine, non quia ignoraret, sed ut multitudo dæmonum ex confessione eorum appareret, et magis credibile esset quod tot dæmones in duobus hominibus fuissent, et ut, confessa peste, virtus curantis gratior emicaret. Unde dixerunt : *Legio mihi nomen est, quia multi sumus;* Legio autem proprie dicitur numerus determinatus armatorum in exercitu, et continet sex millia sexcentos sexaginta sex, et inde dicitur Legio in dæmonibus, quia militant contra nos, et quia, etsi non possunt hominibus nocere in persona, saltem appetunt eis nocere in substantia; ideo *rogabant Jesum* si eos ejiceret, ne se expelleret extra regionem, id est habitationem hominum, vel *in abyssum* et in infernum; locus enim inferni debetur dæmonibus, permittuntur tamen inter homines habitare usque ad judicium, ut gloriosior sit victoria electorum in superatione dæmonum tentantium; sed mitteret eos in porcos, ut saltem sic in aliquo affligerent homines, quia ubique homines in mœstitiam mittere student, et de perditione eorum gaudent. Ecce dæmonum infirmitas, quia nil possunt nisi permissi; si ergo porcis nocere non poterant, nisi permissi, multo minus hominibus factis ad imaginem Dei; oportet igitur Deum solum timere, illos autem contemnere; in quo etiam apparet eorum vilitas, quia ingredi volunt in porcos.

3 Cur Dominus permiserit dæmonibus ingressum in porcos? — *Et permisit* Dominus concedendo eis petitionem ipsorum, quod patet per sequentem effectum; nam porcorum gregem, qui juxta pascebantur, invaserunt, et duo millia in stagno Genezareth seu Tiberiadis submerserunt; et sic dæmoniaci liberati sunt et curati. Permisit autem hoc Dominus non propter eorum persuasionem, vel ut impiam eorum impleret voluntatem, sed propter multiplicem causam et utilitatem. Quarum prima est, quia forte homines illius terræ peccatis suis illud damnum sibi fieri demeruerant. — Secunda, ut ex eventu et jacturæ

Digitized by Google

magnitudine appareat hominibus quam sint crudeles, et nocentes sibi subditis et obtemperantibus, et quod homines quos magis odiunt plus affligerent, si Deus permitteret et eis liceret. Unde *Chrysostomus :* « Et *permisit illis* volens furiam, quam contra homines habent dæmones, omnibus demonstrare, et quod multo pejora vellent hominibus infligere, si possent, virtute non impediti divina; et quia in hominibus hanc demonstrationem fieri ejus pietas non ferebat, ipsos in porcos intrare permisit, ut illis virtus et furor dæmonum videatur.» — Tertia, secundum eumdem *Chrysostomum,* ut addiscant omnes, quoniam neque adversus porcos audent vel possunt, nisi Deus concesserit vel permiserit. — Quarta, propter salutem hominum, ut inde hominibus salutis occasio præberetur, et ut homines regionis illius discerent Dei virtutem, et in ejus venirent cognitionem; hujus enim occasione *pastores fugerunt et hæc* omnia hominibus *in civitatem et in villas nuntiaverunt.* — Quinta, propter dignitatem hominis ostendendam, scilicet quanto dignior sit homo bestiis, cum propter salutem duorum hominum perire permisit Deus duo millia porcorum; multum ergo peccant, qui hominem perdere, vel mutilare non formidant. — Sexta, ad contumeliam dæmonum; quia porcus animal est immundum. Elegerunt enim intrare in porcos, quia hoc magis sibi permitti putabant, et hoc magis congruebat; porci enim propter immunditiam, et serpentes propter astutiam, magis eis competunt. Unde *Remigius :* « Ideo autem non petierunt mitti in homines, quia illum cujus virtute torquebantur humanam speciem gestare videbant; nec petierunt ut in pecora mitterentur, quia velut munda animalia in templo Dei offerebantur; petierunt autem ut in porcos mitterentur, quia nullum animal immundius est porco, et dæmones semper in spurcitiis delectantur. » — Septima, propter mysterium, nam porci qui non habent ad cœlum faciem, sed ad terram, et in luto jacere delectantur, significant illos qui Deum præ oculis non habent, sed vitiis sordidantur; et hi in potestatem dæmonum traduntur et in infernum cum eis finaliter demerguntur; et nunc suffocati in aquis et voluptatibus hujus mundi, tunc suffocabuntur in abyssis et puteis inferni. Unde *Glossa :* « Nisi quis more porci vixerit, diabolus potestatem in eo non habebit, nisi forte ad probandum, non ad perdendum. » Unde *Augustinus :* « Certi mysterii gratia, et certa dispensatione dimisit dæmones in porcos, ut ostenderet diabolum in eis dominari qui vitam porcorum gerunt. » Ubi, secundum *Ambrosium,* clementiam Domini debemus advertere; non nullum prius ipse condemnat, sed unusquisque ipse sibi auctor est pœnæ. Timeant ergo libidinosi, gastrimargi, qui immundi in sordibus luxuriæ et voluptatum vivunt, ne in potestatem diaboli etiam viventes, Domino jubente vel permittente, tradantur et postea cum eo in infernum demergantur. Dicitur etiam quod dæmones nobiliores peccata detestantur vilia, quanto magis homo debet detestari ea? Patet autem ex hoc quam detestabilis sit libido, gastrimargia, sicut et superbia; non enim legitur diabolum in aliquod animalis organum intrasse præterquam porci, serpentis, et hominis. Ubi *Chrysostomus :* « Cum porcini homines sunt, facile capi possunt ab actionibus. Porcini sunt homines avide comedentes per gulam, pingues per luxuriam, in luto jacentes per acidiam, in terra fodientes per ava-

Digitized by Google

ritiam, spumantes per iracundiam. »

4 CONTRA DETRACTORES. — Per porcos etiam significantur detractores, et referendarii, qui pascuntur de fæcibus et immunditiis aliorum tanquam porci, referentes quæ vident vel audiunt, rodunt vitam eorum; quos etiam dæmones intrant et demergunt in infernum. Erubesce, miser, de hoc detestabili officio pacis turbamento, et discordiæ seminario, et insuper time de animæ periculo; quia diabolus in te potestatem accepit, quando te ad hoc officium perduxit, et qui nunc te suffocavit in hoc vitio, postea te suffocabit in inferno. Timeat etiam et caveat auditor ne talibus consentiendo et aures præbendo eis similis fiat; quia sicut super linguam detractoris, sic super aures auditoris diabolus sedet, et si non esset auditor, non esset detractor. Unde *Glossa* super illud : « *Ventus Aquilo dissipat pluvias, et facies tristis linguam detrahentem,* sic dicit : Si hilari vultu detractorem audieris, tu illi das fomitem detrahendi; si vero tristi, discit non libenter dicere quod didicerit non libenter audiri. Aufer, Domine, opprobrium talium hominum pestiferorum a religione servorum tuorum. »

5 QUID PER DÆMONIACUM MYSTICE SIGNIFICETUR? — Mystice, per dæmoniacum significatur diabolus, qui in monumentis et montibus, id est in fœdis et superbis habitat hominibus. Nomen ejus *Legio* dicitur, quia multis in malum associatur; ejus autem ejectio per Christum significavit dæmonum multitudinem devincendam per ipsum. *Legio* quoque ab hominibus pulsa porcos ingreditur, quia dæmones ab illis qui ad vitam æternam prædestinati sunt, per gratiam ejecti, male viventibus et terrenis intendentibus dominantur; quod tamen non faciunt nisi Jesus concedat, quia nec malos tentare possunt, nisi potentia divina permittat. Grex vero porcorum a Legione in mare projicitur, dum per dæmones malorum universitas ad infernalem amaritudinem perducitur. Non repugnat autem quod Matthæus de duobus dæmoniacis, Marcus vero et Lucas de uno loquuntur; sed, secundum *Augustinum,* intelligas unum eorum fuisse personæ alicujus clarioris et famosioris, vel, secundum *Chrysostomum,* sævioris et insaniæ majoris, pro quo illa regio maxime dolebat; quod volentes significare duo Evangelistæ, solum unum commemorandum judicaverunt, de quo facti hujus fama latius præclariusque flagraverat.

6 CHRISTUS A REGIONE GERASENORUM DISCEDIT. — Illi autem homines de civitate exeuntes, venerunt ad Jesum. Ubi *Titus :* « Illos autem ad Salvatorem duxit damni necessitas; frequenter enim Deus homines damnat in rebus possessis, et confert beneficium animabus. » Et homines Jesum ac facta videntes, conscii fragilitatis suæ velut adhuc infirmi, et præsentia Domini indigni *rogabant illum* ex humilitate, *ut a finibus eorum discederet, quia timore magno* admirationis et reverentiæ *tenebantur.* Reputabant enim se indignos tanto doctore et ejus conversatione, sicut Centurio reputabat se indignum tanto hospite, et sicut Petrus fragilitatis suæ memor ait : *Exi a me, quia homo peccator sum, Domine.* Vel forte isti Geraseni ex peccatis suis territi timebant offendere præsentiam Christi, et per consequens incurrere pœnam majorem præcedenti, et per eum amplius quam in amissione porcorum damnificari, sicut Oza tangens arcam Dei. *Ipse autem ascendit navem,* ut infirmos desereret, quibus oneri suam præsen-

Digitized by Google

tiam esse videbat. Ubi *Chrysostomus* : « Attende autem Christi humilitatem, postquam enim collatis a se talibus beneficiis emittebant eum, non obstat, sed discedit; et eos qui seipsos indignos sua doctrina promulgaverant, dereliquit, dans eis doctores liberatos a dæmonibus, et porcorum pastores. »

7 DÆMONIACUS, INTER DISCIPULOS NON ADMISSUS, IN SUA PATRIA PRÆDICATOR EFFICITUR. — *Cumque Jesus navem ascenderet, rogabat illum*, ex devotione sanatus, *ut cum eo esset*, quia gratus de beneficio sibi collato, eum sequi volebat. *Jesus autem non admisit*, id est non recepit eum ad discipulatum, propter præcedentis passionis horrórem, et ne adscriberetur dæmoni, quod iste faceret, si discipulus Christi esset. Ex hoc loco accipitur et consuetum est in Ecclesia, quod dæmoniaci et furiosi post curationem non promoventur ad ecclesiastica officia; sed Dominus eum quem curaverat secum ducere noluit, ut jactantiæ causam vitare doceret; et propter fructum prædicationis ipsum ad suos remisit, ut per eum aliis procuraretur salus, et infidelibus esset exemplo ipse sanatus. Unde eum a sua sequela simpliciter non repellit, sed ipsum prædicatorem magnalium divinorum constituit, dicens : *Vade in domum tuam*, ad tuos quibus ex officio caritatis plus teneris, *et annuntia illis quanta tibi Dominus fecit*, et tui misertus sit, sanans te in anima et in corpore. Unde *Theophilus* : « Vide Salvatoris humilitatem; non dixit : Denuntia omnia quæ feci tibi, sed : *Omnia quæ fecit tibi Dominus;* sic tu cum bonum aliquod operaris, non tibi, sed Deo attribuas. » Unde et *Chrysostomus* : « Licet autem aliis sanatis præcepit nemini dicere, convenienter tamen huic præcepit quod annuntiet, quoniam omnis regio dæmonibus detenta sine Deo manebat. » Unde etiam *Augustinus* : « Quod autem ille sanatus cupit jam esse cum Christo, et dicitur ei : *Vade in domum tuam, et narra quanta tibi fecit Deus*, sic intelligitur, ut quisque intelligat post remissionem peccatorum redeundum sibi esse in conscientiam bonam, sicut in domum, et serviendum Evangelio propter aliorum salutem, ut deinde cum Christo requiescat. Ne dum præpropere vult jam esse cum Christo, negligat prædicationis mysterium, fraternæ redemptioni accommodatum. » Et *Gregorius* : « Cum enim quantumlibet parum de divina cogitatione perceperimus, redire jam ad humana nolumus, quietem contemplationis quærentes; sed Dominus præcepit ut mens prius exsudet in opere, et postmodum refici debeat per contemplationem. » *Et abiit*, non mente, sed corpore separatus a Domino, *et cœpit prædicare in Decapoli*, id est in regione decem civitatum, quanta sibi fecisset Jesus magnalia; et omnes mirabantur, et per eum ad fidem ædificabantur. *Ecce mutatio dexteræ Excelsi*, quia ex infideli et dæmoniaco factus est prædicator fidelis et devotus, operante Domino; et vere fidelis, quia ad gloriam Dei et ad utilitatem proximi effectus est talis. Quod vero hic dicitur de uno, intelligendum est etiam de alio qui erat cum eo, quia ambo volentes Christum sequi ad suos missi sunt, et ambo salutem sibi factam et magnalia Dei prædicaverunt; hoc quoque exemplo docetur quemquam suo proximo salutem sibi factam prædicare, et a diabolo se liberatum esse verbis et operibus bonis demonstrare, et alios ad eamdem salutem percipiendam vocare. Studeamus ergo et nos, si nondum liberati sumus a diabolo, liberari, et si jam nos liberatos esse cognoscimus, salutem aliis prædi-

Digitized by Google

cemus, quam nos obtinuisse gaudemus, memores quod scriptum est : *Qui audit, dicat : Veni.* Sed multi hoc exemplum minime sequuntur; et de his quæ ad corpora pertinent circa amicos suos solliciti sunt et inquirunt, sed de his quæ ad salutem animarum pertinent sollicitudinem nullam gerunt.

ORATIO

Domine Jesu Christe, amator hominum benignissime, supplico lacrymabiliter bonitati tuæ, libera me ab omnibus peccatorum sordibus, et dæmonum infestationibus, meque ab eis liberatum usque in finem misericorditer custodi illæsum, ut ad tuam gloriam et proximorum utilitatem valeam verbis narrare, et operibus demonstrare, quanta magnalia feceris animæ meæ per tuam gratiam liberatæ, quatenus cognoscentes ceteri quia *hæc mutatio dexteræ Excelsi,* omnes meo exemplo provocentur, et, te miserante, ad meliora convertantur. Amen.

CAPUT XLVIII

De curatione paralytici per tectum dimissi.

Matthæi cap. 9 et Lucæ cap. 5.

1 Cur Capharnaum civitas Domini dicta fuerit? — *Et* tunc *Dominus Jesus ascendit in naviculam,* ut de terra Gerasenorum rediret in Galilæam, unde illuc iverat. Secundum *Chrysostomum,* navigio transierat qui poterat pede pertransire; non semper enim voluit potentiam ostendere in mirabilibus, ne Incarnationis noceret mysterio. At contra, homines hujus mundi si ullam habent potentiam, semper volunt ea uti magis quam veritate justitiæ. Ideo etiam vehiculo navis transire voluit, ut nos doceret navi et suffragio pœnitentiæ uti in mari seculi hujus, ut in civitatem cœlestem perveniamus; hæc enim navis pœnitentiæ in civitatem cœlestem deducit. Ideo sequitur : *Et venit in civitatem suam,* scilicet Capharnaum, in qua frequentibus conversari solebat et miracula operari. Secundum eumdem *Chrysostomum, civitatem suam* hic dicit Capharnaum, quam, non nascendo, sed miraculis illustrando, *suam* ipse fecerat. Alia quidem eum extulit, id est extra in lucem duxit, ut Bethlehem; alia autem nutrivit, ut Nazareth; alia autem diu inhabitantem habuit, ut Capharnaum. Hanc enim civitatem magis frequentavit conversatione, et in miraculorum operatione, quia, secundum *Augustinum,* erat quasi metropolis et insignior civitas Galilææ, ubi plurimorum concursu fides et doctrina ejus clarius pateret, et mira-

Digitized by Google

culis confirmata ad multos salubriter perveniret; vel quia, ut supra dictum est, Capharnaum interpretatur *villa pulchritudinis,* et *pinguedinis,* et *consolationis,* quæ sunt occasio peccandi multis, ideo ad sui conversionem pluribus indigebat miraculis; vel sicut metropolim regionis alicujus civitatem nostram dicimus, existentes tamen de civitate subjecta illi : ita et Capharnaum metropolis Nazareth Galilææ, sita inter Nazareth et stagnum, dicitur civitas Domini, in Nazareth concepti et nutriti.

2 OFFERTUR CHRISTO PARALYTICUS, CUJUS PECCATA DIMITTIT PRIUSQUAM EUM SANET. — *Et cum in domo doceret turbas, viri quatuor portantes in lecto paralyticum,* invenientesque multitudine januam obturatam, et non valentes introire per eam, et illum inferre præ turba, *ascenderunt supra tectum,* et nudantes illud, *per tegulas, submiserunt illum cum lecto in medium ante Jesum;* et hoc fuit signum magnum fidei ipsorum. Unde post fidem eorum ostendit Dominus divinæ potestatis actum, et super animam, et super corpus ipsum. Et hoc tripliciter : primo, in remissione criminis; secundo, in cognitione cogitationis, et hæc duo pertinent ad animam; tertio, in subita curatione ægritudinis corporalis. Nam *videns Jesus fidem illorum,* scilicet offerentium, et etiam paralytici oblati; non enim se portari, et per tectum submitti sustinuisset, nisi curationis fidem habuisset, dimisit ei peccata, dicens : *Confide, fili, remittuntur tibi peccata tua,* et non dicit remitto, sed *remittuntur,* causa humilitatis et pietatis insinuandæ. Ex hoc patet, quod fides paralytici aderat; quia licet sanitas corporalis, vel aliquid hujusmodi detur alicui propter fidem alienam, remissio tamen peccatorum non datur alicui adulto sine fide propria, et ideo bene filium vocat, quia jam credebat. Ubi *Hieronymus* : « O mira humilitas! despectum et debilem, totisque membrorum compagibus dissolutum filium vocat, quem sacerdotes non dignabantur attingere! Aut certe ideo filium, quia dimittuntur ei peccata sua. » *Et ecce quidam de Scribis,* id est legis peritis, *dixerunt intra se,* id est cogitabant, quia extra dicere propter populum non audebant, verbum enim intrinsecum est cogitatio mentis : *Hic blasphemat,* id est quod Dei est sibi usurpat. Est enim blasphemare, Deo injuriam irrogare, quod fit tripliciter : vel cum Deo attribuitur quod ei non convenit; vel ab eo removetur quod ei convenit; vel cum homo sibi quod proprium est Dei, tribuit, et hoc modo tertio judicabant eum blasphemare, quia ipsum putabant hominem tantum, et non Deum esse; dimittere autem peccata soli Deo convenit. Sed Christus convenienter eos redarguit, ostendens se esse Deum dupliciter. Primo, quia respondet eorum cogitationibus, quas cognoscere per certitudinem soli Deo proprium est, dicens : *Utquid cogitatis mala in cordibus vestris?* imponendo mihi falso blasphemiam, scilicet me non posse peccata dimittere; et quod Dei est, usurpare. Quasi diceret : Quia potestate cogitationes vestras video, etiam peccata dimittere possum, quia cogitationes sunt fons boni et origo mali. Ideo Salvator noster cum vidisset malas Scribarum cogitationes, ne ulterius prodirent in pejus, statim redarguit eos, dicens : *Utquid cogitatis mala in cordibus vestris?* dans nobis doctrinam, ut quam cito perpenderimus nos mala cogitatione pulsari, statim debeamus nosmetipsos reprehendere; quasi dicerentur nobisipsis hæc Christi verba : *Utquid*

Digitized by Google

cogitatis mala in cordibus vestris? Deinde hoc etiam ostendit sanando paralyticum per imperium tanquam propria virtute, quod est ejusdem potestatis, sicut et peccata dimittere. Licet enim paralysis virtute naturæ aliquando possit curari, non tamen subito, nec ita perfecte ut statim homo possit lectum in quo jacet portare, ut hic dicitur factum esse. Unde subjungit : *Quid est facilius,* inter duo ista, scilicet, *dicere : Dimittuntur tibi peccata tua; aut dicere : Surge et ambula?* hoc est solo verbo efficere ut dimittantur peccata, an verbo efficere ut paralyticus surgat sanus, et ambulet? Quasi diceret : Si vobis hoc manifestius et majus videtur, scilicet subita curatio corporum quam animarum; et possum horum primum, ergo et reliquum, quia æqualis potestatis est utrumque, et utrumque est virtutis infinitæ. Unde ex hoc concludit virtutem divinitatis suæ, per factum, dicens : *Ut autem sciatis, quia Filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata, tunc ait paralytico,* quod verbum interponitur ab Evangelista : *Surge,* scilicet sanus a lecto, *tolle lectum tuum,* in quo diu decubueras infirmando, ut quod fuit testimonium infirmitatis sit probatio sanitatis; *et vade in domum tuam,* per te non indigens ut prius portitore. Et fecit sic, *magnificans Deum,* qui sanavit eum. Magna virtus, ubi sine mora salus imperium comitatur, ut nemo jam dubitaret eum paralytico dimisisse peccata, qui eumdem sublato grabato ambulare præcepit.

3 Miraculorum tres causæ in Christo. — Unde merito qui aderant stupentes et mirantes, relictis blasphemiis, ad laudem convertuntur tantæ majestatis; propter quod sequitur : *Videntes autem turbæ,* scilicet miraculum factum in paralytico, *timuerunt,* reverendo et admirando, *et glorificaverunt,* laudando *Deum, qui dedit potestatem talem,* scilicet dimittendi peccata, et curandi solo verbo infirmos, *hominibus,* ad eorum scilicet salutem; vel, secundum *Glossam,* hominem tam potenter inter homines operantem. Et hanc potestatem dedit Pater Christo causative, hominibus autem receptive. Christus quippe tribus de causis miracula faciebat : primo, propter illorum circa quos hæc faciebat utilitatem, quia eos in corpore et in anima curabat; secundo, propter aliorum conversionem, quia multi videntes ea miracula convertebantur; tertio, propter Dei gloriam et honorem : et ista triplex causa hic tangitur. Ex hoc tamen quod dicitur : *Videntes autem turbæ timuerunt,* videtur quod nec de Christo plenam cognitionem habebant, quia purum hominem esse, et posse, et hanc potestatem a Deo credebant. Unde *Glossa :* « Spectant surgentem increduli, imitantur abeuntem, et divini operis miracula malunt timere quam credere; nam si crederent, non timerent, sed diligerent : *Perfecta* enim *caritas foras mittit timorem.* »

4 Cur paralytico peccata remiserit priusquam eum sanaverit? — Considera hic quod Dominus curando paralyticum, incipit a morbo spirituali, qui erat causa et radix morbi corporalis, quia primo remisit peccata ejus quæ fuerunt causa morbi; ad modum boni medici, qui primo removet causam morbi, et tunc postmodum intendit curationem. Infirmitas autem hæc fuerat inflicta paralytico propter peccata sua, ut purgarentur; et ideo Dominus primo removit causam quia, cessante causa, cessat et effectus introductus ob illam causam. Nulla enim nocebit adversitas, si nulla dominetur iniquitas. Unde; secundum *Glossam,* quinque modis infirmitates

Digitized by Google

contingunt : vel ut justis merita, per patientiam, augeantur, ut Job accidit; vel ad custodiam virtutum, ne superbia tentet, ut Paulo; vel ad corrigendum peccata, ut Mariæ lepra, et sicut huic paralytico; vel ad gloriam Dei, ut cæco nato, et Lazaro; vel ad initium pœnæ, ut Herodi, quatenus hic videatur quid in inferno sequatur. Hic ergo, secundum *Hieronymum*, datur intelligi plerasque corporum debilitates evenire propter peccata. Et ideo prius peccata dimittuntur, ut causis debilitatis ablatis, sanitas restituatur, et fit visibile signum, ut invisibile probetur. Unde et *Beda* : « Curaturus autem hominem a paralysi Dominus primo peccatorum vincula dissolvit, ut ostenderet eum, ob nexus culparum, artuum dissolutione fuisse damnatum; nec, nisi his relaxatis, membrorum posse recuperatione sanari. Sed, heu! nos e converso magis satagimus de curatione corporis, quam animæ, ideo sæpe destituimur utrobique. » Unde et *Chrysostomus* : « Nos autem, si corporaliter patiamur, satagimus nocivum abjicere; cum vero male sit animæ, differimus, atque ideo nec a corporis nocivis curamur. Abscindamus ergo fontem malorum, et cessabunt ægritudinum fluxus : » hæc *Chrysostomus*. Ergo quia constat quod propter peccata quandoque homo ægrotat, medicus ægrum visitans, primo eum ad pœnitentiam et confessionem monere debet; ne peccato, tanquam ferro manente in vulnere, frustra sit emplastrum apponere. Unde peccant medici, qui curam materialem adhibent corpori, prius quam cura spiritualis sit adhibita animæ, ignorantes causam morbi, videlicet quod pro peccato animæ, inflictus sit corpori.

5 ALLEGORICE POPULI GENTIUM FIGURAM GEREBAT HIC PARALYTICUS. — Sed quia hæc ipsa Domini gesta, ut dicit *Chrysostomus*, spiritualium in se rerum continent rationem, cujus typum paralyticus iste gerat, debemus advertere. Figuram namque in eo populi Gentilium præostensam esse cognoscimus, qui peccatis gravibus animo dissolutus, quasi quadam insanabili infirmitate plagatus, in quatuor angulis mundi istius, velut in lecto jacebat. Unde et in eo paralytico Evangelii, cui remissa sunt peccata, id ostensum est, quia populus Gentium, qui gravi valetudine peccatorum laborabat, data sibi remissione, per medicinam cœlestem integram et perfectam sanitatem, secundum corpus et animam, æternæ salutis acceperit. Cui non immerito, post remissionem peccatorum, reddita salute, jam dicitur : *Vade*, vel redi in domum tuam, id est in domum Paradisi, de qua Adam jam dudum expulsus fuerat; qui hujus infirmitatis auctor exstiterat. Et merito sequitur : Hoc *videntes turbæ timuerunt, et magnificaverunt Deum qui tantam potestatem dedit hominibus*. Magnificatur enim Deus qui vel Apostolis suis potestatem dimittendi peccata donavit, vel hominibus tantam gratiam concessit, ut post remissionem peccatorum per meritum fidei atque justitiæ, potestatem accipiant ad Paradisum redeundi. Ubi et *Hilarius* : « *Videntes autem turbæ, timuerunt;* magni enim timoris res est non dimissis peccatis a Christo in mortem resolvi, quia nullus est in domum æternam reditus, si cui indulta non fuerit venia delictorum; cessante autem timore, honor Deo redditur, quia potestas hominibus hac vita data, fit per verbum ejus, et remissionis peccatorum, et corporum resurrectionis, et reversionis in cœlum : » hæc *Hilarius*.

6 MORALITER TYPUS ERAT PECCATORIS. — Moraliter autem per paralyticum, qui privatus est usu mem-

Digitized by Google

brorum corporalium, significatur homo peccator, operibus meritoriis privatus, et turpi marcens otio. Talis enim privatur gressu meritoriæ affectionis, et tactu bonæ operationis, et gustu suavitatis cœlestis, et visu divinæ contemplationis, et auditu divini sermonis, et odoratu divinæ consolationis. Et tunc jacet in lecto, quando superveniens, tenet eum prava consuetudo; hæc enim lectus dici potest hoc loco. Ipsum quoque peccatum, more paralysis, facit tremulum, per mali dilectionem; reddit insensibilem, per obstinationem; impedit loquelam, per desperationem. Ubi sciendum et considerandum est quod sicut Dominus legitur resuscitasse tres mortuos, quamvis multo plures sint; sic legitur curasse tres paralyticos, licet etiam plures sint, scilicet: paralyticum in domo paralyticum juxta probaticam piscinam, paralyticum in lecto, ut in proposito. Et quia paralyticus, ut dictum est, peccatorem signat, ideo notandum quod tria sunt genera peccatorum, scilicet: peccator occultus, publicus, et consuetudinarius. Paralyticus in domo est peccator occultus; paralyticus juxta piscinam est peccator manifestus; paralyticus vero in lecto est peccator consuetudinarius; et hoc peccatum in consuetudine ductum difficulter relinquitur, ideo paralyticus hic in lecto jacere dicitur, id est peccatum continuare dicitur.

7 EXPORTANTES ET REPORTANTES PARALYTICUM, ID EST PECCATOREM, SUNT QUATUOR. — Prædictos peccatores quatuor exportant extra domum propriæ conscientiæ, et etiam extra Ecclesiam, tam militantem, quam triumphantem: primum est tepiditas boni: quando enim homo incipit ex desidia tepescere in bono inchoato, talis dimittit Deum, et per consequens dimittitur a Deo; secundum est delectatio mali, quod conjungitur quasi socius ejus; cum enim Deus derelinquitur, statim anima in malo delectatur, et hi duo socii præcedunt; tertium est mali operatio, cum delectatio ad opus ducitur; quartum est mali operis consuetudo, cum ipsum malum frequentatur: et hi duo sequuntur portantes peccatorem extra suffragia Ecclesiæ, quibus ipse privatur. — Sunt autem quatuor, quæ ipsum reportant et reconciliant: primum est vitæ brevitas, ut homo consideret quam brevis sit vita præsens, et incerta; secundum est timor pœnæ gehennalis, ut homo consideret ejus acerbitatem, diversitatem, et æternitatem; tertium est consideratio culpæ, ut homo consideret quid gravedinis, quid immunditiæ, quid malitiæ sit in peccatis; quartum est spes veniæ, ut quamvis in multis offenderimus, nihilominus tamen veniam speremus. Qui hæc quatuor habuerit, ante Deum portabitur, et misericordiam consequetur. Vel portitores ejus, ut sanetur a Christo, sunt quatuor suæ salutis procuratores, scilicet: monens secrete, prædicans publice, orans pro eo, et invitans exemplo; et sic isti offerunt eum Christo, sollicitantes pro ipso, et ipse offertur, quando eis conformatur consentiendo, et meritis eorum obicem non ponendo. Christus autem fidem illorum inspicit, cum preces eorum exaudit; et paralyticus curatur, quando peccatum sibi dimittitur, et donatur sibi gratia, per quam ad actus meritorios restituitur. Et tunc suum malæ consuetudinis lectum tollit, quando ab ea per exercitium boni operis recedit; et sic procedens de virtute in virtutem, vadit in domum suam, quando bonis actibus ad cœlestem festinat patriam; et populus eum glorificat de mutatione tali, quoniam

Digitized by Google

hæc est *mutatio dexteræ Excelsi.* Illi vero qui inde murmurant, signant dæmones, qui inde valde dolent.

8 SICUT PARALYTICO, ITA PŒNITENTI QUATUOR IMPERANTUR A CHRISTO. — Christus vero curans quatuor imperat pœnitenti. Primo, ante omnia, ut confidat, et spem de venia consequenda habeat, quem etiam jam filium per adoptionem vocat. Deinde volens eum sanare, jubet eum secundo surgere, tertio lectum tollere, et quarto in domum suam abire. *Surgere,* inquam, a peccato et mentis dejectione. In peccato enim male delectando, peccator quasi in lecto quiescit, et ex peccato ita mens dejicitur, ut nunquam possit esse læta, quia semper præsumit sæva perturbata conscientia; tunc autem surgit, quando ista deserit. Tollere vero lectum, et portare, est ut peccatum quod erat sibi quieti et delectationi, incipiat sibi esse oneri et dolori. Abire quoque in domum suam, ut in cœlum meditatione pergat, vel conscientiam suam, quæ domus animæ est, discutiat, et si quid ibi immundum invenerit, per os, quasi per ostium, confitendo projiciat; a qua homo per multitudinem peccatorum ita alienatur, quod quasi ipsam perdat et seipsum non cognoscat. Homo ergo paralyticus, hoc est mollitie et illecebris carnis, vel voluptate seculi resolutus, et torpens, ac præ turba cogitationum et causarum seculi videre Deum non valens, postquam supra tectum carnis ascenderit, ut spiritus dominetur carni, videt Deum, et ad cognitionem Dei vere redit. Et tunc Deus eum sanat per gratiam ab omni quod deliquit, et vocat filium per adoptionem, et jubet surgere de torpore negligentiæ, et se erigere a carnalibus desideriis per pœnitentiam; et corpus in cujus desideriis jacuit, ad voluptatem spiritus attollere, ac carni dominari per continentiam; et ire ac tendere per bonam operationem, et honestam conversationem, in domum suam, scilicet paradisum, quæ prima fuit hominis domus, hoc est in habitationem æternam, vel in bonam conscientiam, segregatus a terrenis et custodiens illam, vel ne iterum peccet ad internam sui custodiam. Ubi *Beda :* « Spiritualiter de lecto surgere est animam se a carnalibus desideriis, ubi ægra quiescebat, abstrahere. Lectum vero tollere est ipsam quoque carnem per continentiæ frena correptam spe cœlestium præmiorum, deliciis privare terrenis; est enim lectus, qui per singulas noctes lavatur a David, id est pro uniuscujusque noxæ maculis digno pœnitentiæ flumine castigatur. Sublato autem lecto, domum ire, ad paradisum redire est; ipse est enim vera domus, quæ hominem prima suscepit, non jure amissa, sed fraude, tandemque restituta per eum, qui fraudulento hosti nihil debuit. » Ubi et *Anselmus :* « Sed et domum illam non præteribis, ubi per tegulas paralyticus, ante pedes ejus submittitur, ubi pietas et potestas obviaverunt sibi. *Fili,* inquit, *remittuntur tibi peccata tua.* O mira clementia! o indicibilis misericordia! Accepit felix remissionem peccatorum suorum, quam non petebat, quam non præcesserat confessio, non meruerat satisfactio, non exigebat contritio! Corporis salutem petebat, non animæ; et salutem corporis et animæ recepit. Vere, Domine, vita in voluntate tua; si decreveris salvare nos, nemo poterit prohibere; si aliud decreveris, non est qui audeat dicere: Cur ita facis? Pharisæe, quid murmuras? *An oculus tuus nequam est,* quia ipse bonus est? Certe miseretur cui ipse voluerit; ploremus et oremus

Digitized by Google

ut velit; bonis etiam operibus pinguescat oratio, augeatur devotio, excitetur dilectio, leventur puræ manus in oratione, quas non sanguis immunditiæ maculavit, tactus illicitus non fœdavit, avaritia non exasperavit; levetur et cor sine ira et disceptatione, quod tranquillitas sedavit, pax composuit, puritas conscientiæ lavit. Sed nihil horum paralyticus ille legitur præmisisse, qui tamen legitur remissionem omnium peccatorum meruisse. Hæc est autem ineffabilis misericordiæ ejus virtus, cui sicut blasphemum est derogare, ita et hoc sibi præsumere stultissimum. Potest cuicunque vult, et hoc ipsum efficaciter dicere, quod dixit paralytico : *Dimittuntur tibi peccata tua;* sed quicunque sine suo labore, vel contritione, vel confessione, vel etiam oratione sibi hoc dicendo exspectat, nunquam ei remittuntur peccata : » hæc *Anselmus.*

ORATIO

Domine Jesu Christe, qui in Passione tua naviculam crucis ascendisti, in Resurrectione transfretasti, et in Ascensione in civitatem tuam venisti; ecce timor de peccatis, de ira Dei, de periculo supervenientis infirmitatis, et de incertitudine mortis offert tibi animam peccati morbo dissolutam. Dic tacenti in peccatis, ut confidat de gratia remissionis, resurgat per contritionem et confessionem, tollat lectum suum per satisfactionem, ambulet per profectum virtutum in domum suam æternam beatitudinem; ut turbæ fidelium videant, timeant, et glorificent Deum, qui talem potestatem dedit, ad hominum utilitatem. Amen.

Digitized by Google

Digitized by Google

TITULI

CAPITUM & NUMERORUM

PER ORDINEM

PROŒMIUM

1 Salutis fundamentum Christus. 1
2 Peccator invitatur ad veniam et imitationem Christi. 1
3 Vita Christi propter septem desideranda. 2
4 Hujus vitæ fructus. 2
5 Compendium vitæ Christi. 3
6 S. Bernardus vitam Christi frequentavit. 4
7 Commendatur meditatio vitæ Christi. 5
8 Virtutum omnium exempla in Christo. 6
9 Tota vita Christi instructio et disciplina. 7
10 Est nobis quasi speculum. 7
11 Methodus quo meditanda est vita Christi. 8
12 Loci notificatio aliquando prodest. 9
13 Dominum in omnibus intueri debemus. 9
14 Formæ Christi descriptio. 10
15 Evangelii commendatio. 10
16 Evangelistæ non semper rerum gestarum ordinem servaverunt. 12
17 Exhortatio ad animam devotam. 12

Digitized by Google

PARS PRIMA.

CAPUT I. — *De divina et æterna Christi generatione.*

1 Evangelii S. Joannis scopus. 13
2 Æterna Verbi generatio. 13
3 Personalis Patris et Filii distinctio. 14
4 Consubstantialitas Patris et Filii. 15
5 Coæternitas Patris et Filii. 15
6 Indivisa Patris et Filii operatio. 15
7 Quo sensu vita in omnibus, præsertim in opere virtutis. 16
8 Verbum Dei lux hominum. 17
9 Quo modo lux in tenebris lucet. 17
10 Generatio Filii Dei non carnaliter accipienda. 18
11 Quam sublime initium hujus Evangelii. 18

CAPUT II. — *De inventione remedii pro salvatione generis humani, et nativitate virginis Mariæ.*

1 Casus Luciferi et protoparentis. 19
2 Humanum genus ad spem erigitur ab Abel usque ad Joannem Baptistam. 20
3 Cur Christus nec prius nec posterius venit? 20
4 Justitiæ et misericordiæ contentio. 21
5 Remedium unicum. 22
6 Prædestinatio B. V. Mariæ. 22
7 Ejus stirps et parentes. 23
8 Præservata fuit ab originali culpa. 23
9 Ejus præsentatio in templo. 23
10 Votum virginitatis prima emittit. 24
11 B. V. Mariæ figuræ. 25

CAPUT III. — *De desponsatione Mariæ.*

1 Concilium super Mariæ voto. 26
2 Virga Joseph florida. 27
3 Desponsatio Mariæ. 27
4 Joseph et ipse virgo. 28
5 Virginitatem et fecunditatem amavit et habuit Maria. 28
6 B. Annæ mariti, filiæ et nepotes. 29
7 Cur de desponsata Christus nasci voluit? Causæ ex parte pueri. 29
8 Causæ ex parte matris. 30
9 Causæ ex parte aliorum. 30
10 Maria cur fabro nupserit? ejusque figuræ. 31

Digitized by Google

CAPUT IV. — *De conceptione Joannis Præcursoris.*

1 De Zacharia Præcursoris patre. 32
2 Non fuit summus sacerdos. 33
3 Zacharias quid interpretetur et significet? 33
4 Apparitio et colloquium Angeli. 33
5 Sensus moralis præmissorum. 34
6 Futura Joannis Baptistæ magnitudo. 34
7 Zacharias cur obmutuit? 35
8 Quomodo Evangelicos sacerdotes admonet? 35
9 Præcursoris conceptio. 36

CAPUT V. — *De conceptione Salvatoris.*

1 Mittitur ad Virginem Mariam Gabriel archangelus. 37
2 Galilæa et Nazareth quid interpretentur? 37
3 Cur de Virgine Christus nasci voluit? 38
4 Prima interpretatio nominis Mariæ : stella maris vel illuminatrix. 39
5 Secunda interpretatio : mare amarum. 39
6 Tertia interpretatio : domina. 40
7 Gabriel qualiter Mariam invenerit? 40
8 Maria quomodo gratia plena? 41
9 Dominus cum Maria. 41
10 Quomodo Maria turbata fuit? 42
11 Quo sensu gratiam apud Deum invenit? 43
12 Nomen Jesu interpretatur. 44
13 Quomodo Jesus dicitur magnus? 44
14 Quid significent sedes David et domus Jacob? 44
15 Regnum Christi sine fine. 45
16 Virum non cognosco quomodo accipiendum sit? 45
17 Cur Incarnationis Filii opus Spiritui Sancto attributum? 46
18 Cooperatio totius Trinitatis mysterio Incarnationis. 46
19 Christus recte Sanctus et Filius Dei vocatur. 47
20 Exemplo Elizabeth probatur nil esse impossibile apud Deum. 48
21 Exspectatio assensus Mariæ. 48
22 Obedientia et humilitas Mariæ. 49
23 Sex verba ab ipsa prolata, dum assensum præbet. 50
24 Filii Dei fit Incarnatio. 50
25 In Christo triplex unio. 51
26 Pii sensus animæ Incarnationem Christi meditantis. 51
27 Maria frequenter Angelica salutatione salutanda. 52
28 Moraliter sex conditiones animæ Christum concipere volentis. 52
29 Speciatim mentis virginalis necessitas. 53
30 Nazareth duas habet ecclesias. 54
31 Conceptionis Dominicæ figuræ. 54
32 Discessus Gabrielis. 54
33 Quanta sit solemnitas Incarnationis Dominicæ. 55

Digitized by Google

CAPUT VI. — *De Nativitate et Circumcisione Præcursoris Domini.*

1 Maria ad visitandam Elizabeth vadit. 56
2 Cur prior ipsam salutaverit? 56
3 Sex hic moraliter a nobis imitanda. 57
4 Joannes repletus Spiritu Sancto in utero matris exsultat. 57
5 Benedicta Maria, benedictusque fructus illius. 58
6 Maria ad diversos diverse venit. 59
7 Elizabeth secreta per Spiritum prophetiæ novit. 59
8 Canticum Mariæ. 60
9 Exsultatio spiritus Mariæ. 60
10 Septies locutam esse Mariam legimus. 61
11 Gaudium Elizabeth et Mariæ. 61
12 Quamdiu Maria mansit cum Elizabeth? 62
13 Nativitas S. Joannis Baptistæ. 62
14 Cur ab Ecclesia hæc nativitas celebratur? 62
15 Circumcisio Præcursoris. 63
16 Cur Joannis nomen sit ei proprium? 63
17 Mirabilia quæ tunc facta sunt. 63
18 Loquela cum prophetiæ dono Zachariæ restituta. 64
19 Mariæ reversio. 64
20 Infantia Joannis præcursoris. 64

CAPUT VII. — *De genealogia Salvatoris.*

1 Genealogia Salvatoris. 65
2 Cur hanc descendendo Matthæus et Lucas ascendendo texuerit? 66
3 Cur Christus præceteris filius Abraham et David dicatur? 66
4 Genealogia Christi per tres quaterdenas generationum procedit. 66
5 Sic notantur tria tempora. 67
6 Moraliter prima generationum quaterdena generationem spiritualem Christi, in anima pœnitente significat. 67
7 Secunda, in anima proficiente. 67
8 Tertia, in anima perfecta. 68
9 Progenitorum Christi humilitas, quid designaverit? 69
10 Laus humilitatis. 70

CAPUT VIII. — *De eo quod Joseph voluit dimittere Mariam.*

1 Maria invenitur gravida. 71
2 Joseph occulte vult eam dimittere. 71
3 Monetur ab Angelo, ut eam accipiat. 72
4 Mysterii Incarnationis fit conscius. 72
5 Joseph voci Angeli obedit. 73
6 Vox *donec* quomodo intelli-

Digitized by Google

genda? 73
7 Jesus in utero nos patientiam et humilitatem docet. 74
8 Tribulatio bonorum ipsis propter tredecim utilis. 74
9 Tribulatio malorum ad ipsorum punitionem. 76
10 Patienter ergo toleranda est tribulatio. 76

CAPUT IX. — *De Nativitate Salvatoris.*

1 Edictum Cæsaris Augusti. 77
2 Universi orbis descriptio. 78
3 Iter Mariæ et Joseph Bethlehem Judæ venientium. 79
4 Hujus itineris fatigatio. 79
5 Mystica interpretatio Joseph, Nazareth et Bethlehem. 79
6 Hospitium non inveniens, Maria præsepium intrat. 80
7 Christus quomodo primogenitus et unigenitus? 80
8 Jam in præsepio perfectionis statum exemplo docet Dominus. 81
9 Commendat Christus paupertatem penuria, humilitatem stabuli vilitate, mortificationem corporis afflictionibus. 82
10 Locus conceptionis et partus Christi congruus ostenditur. 83
11 Gabriel ad pastores cœlitus mittitur. 84
12 Eos alloquitur. 84
13 Moraliter a quibus et quo modo Christus inveniatur. 85
14 Militiæ cœlestis concentus. 86
15 Gaudium Dominici natalis. 86
16 Pastores festinanter ad præsepe veniunt. 87
17 Moraliter et anagogice Christum in patria invenire volentibus necessaria. 88
18 Maria tunc optima discipula fuit, ut postea Evangelistarum magistra fieret. 89
19 Pastorum reversio ad gregem. 90
20 Meditatio prædictæ historiæ. 90
21 Triplex Christi nativitas. 91
22 Bethlehem commendatio. 91
23 Civitates a Christo specialiter electæ. 92
24 Figuræ nativitatis Christi. 92
25 Ipsis Paganis annuntiata fuit. 93.
26 Solemnitatis natalis Christi magnitudo. 93

CAPUT X. — *De Circumcisione Domini.*

1 Circumcisio ab Abraham incepta. 94
2 Primum mysterium diei circumcisionis : impositio nominis Jesu, cujus interpretatio, dignitates et virtus. 95
3 Secundum mysterium hujus diei : prima sanguinis Christi effusio. 96
4 Cur circumcisio instituta fuerat? 97
5 Decem rationes propter quas Christus circumcidi voluit. 97
6 Baptismus circumcisionem evacuavit. 98
7 Moraliter, quid sit circumci-

Digitized by Google

sio? 98
8 Cur die octava fiebat? 99
9 Moraliter octo illuminationes circumcisionem mentis præcedentes. 100

CAPUT XI. — *De Epiphania Domini facta tribus Magis.*

1 Manifestatio Christi ad Magos. 101
2 Cur Magi ab Oriente venerunt? 101
3 Stella a Magis visa quatuordecim modis ab aliis differt. 102
4 Tria magna in die Epiphaniæ facta. 102
5 De itinere Magorum. 103
6 Disparitio stellæ propter quatuor rationes. 104
7 Herodis timor, et turbatio Jerusalem. 104
8 Simulatio Herodis. 105
9 Stellæ reapparitio. 105
10 Magi domum intrant. 106
11 Quam meritoria fuit Magorum adoratio. 106
12 Quæ munera offerunt. 108
13 Moraliter, tria munera in nobis Deo grata ipsique offerenda. 109
14 Munera Magorum trium tria de tribus. 110
15 Mystice, quid sit Magorum stella? 110
16 Figuræ Magorum. 110
17 Magorum reversio. 111
18 Vitæ mutandæ rationem innuunt per aliam viam revertendo. 111
19 Aurum Mariæ datum egentibus, unde paupertatis præconium. 112
20 Pia contemplatio Mariæ in præsepio. 112
21 Solemnitatis Epiphaniæ magnitudo. 113
22 Miracula in nativitate Domini patrata. 113

CAPUT XII. — *De Præsentatione Domini in Templum.*

1 Joseph et Maria relinquentes Bethlehem Jerusalem proficiscuntur. 114
2 Legis præcepta circa purificationem mulierum et primogenitorum oblationem. 114
3 Quinque rationes propter quas Christus præsentari voluit. 115
4 Item quinque rationes propter quas Maria purificationi subdi voluit. 115
5 Hujus mysterii figuræ. 115
6 Quid nos Christus hic doceat? 116
7 Cur turtures aut pullos columbarum offerunt? 116
8 Simeonis elogium. 117
9 Ejus videndi Christi desiderium. 118
10 Christum in ulnas accipiens adorat. 118
11 Simeonis canticum. 119
12 Tenere Christum et amplexari volentibus quæ sint necessaria. 119
13 Christus in cantico Simeonis quatuor nominibus magnificatur. 120
14 Simeonis benedictio. 120
15 Prophetizat de Christo, ut signo contradictionis. 121
16 Item de pœnis B. V. Mariæ. 122

Digitized by Google

17 Annæ prophetissæ occursus. 122
18 Sensus moralis hujus historiæ. 123
19 Processio in templo Jerusalem. 124
20 Præsentationis causæ. 124
21 Dominus quinque siclis redimitur. 125
22 Mystica et moralis significatio oblationis primogenitorum. 126
23 Moraliter notanda circa mysterium purgationis Mariæ. 126
24 Circa sacramentum delationis Christi. 126
25 Circa significationem oblationis factæ. 127
26 Humilitatis Christi incrementa. 127
27 Templum ingredientibus tria sunt necessaria : purgatio, unio cum Ecclesia et recta intentio. 128
28 Templi sanctificatio per Christum. 129
29 Templi mentalis seu animæ dignitas quatuor ex causis. 129
30 Unde exhortatio ad non peccandum. 130
31 Solemnitatis hodiernæ magnitudo. 131
32 Templi Jerusalem in monte Moria constituti præconia. 131
33 Joseph et Maria a Jerusalem recedunt. 132

CAPUT XIII. — *De fuga Domini in Ægyptum, et nece Innocentium.*

1 Apparitio Angeli ad monendum Joseph de perverso Herodis consilio. 133
2 Cur Christus in Ægyptum fugerit? 133
3 Hic considerandum, primo, quod Dominus in sua persona suscepit adversa æque ac prospera. 134
4 Secundo, quod Joseph et non Matri fuga nuntiatur. 135
5 Tertio, quod afflictiones etiam suis Deus immittit. 135
6 Quarto, quod benignum Dominus se ostendit. 135
7 Moraliter quid significet fuga Domini? 135
8 Longitudo et difficultas itineris. 136
9 Maria et Joseph in latrones incidunt. 136
10 De nece puerorum Bethlehemitarum. 136
11 Impletio prophetiæ Jeremiæ. 137
12 Rachel plorans Ecclesiam mystice significat. 138
13 Martyrum genus triplex. 138
14 Herodis imitatores. 139
15 Quid moraliter significet puerorum trucidatio? 140
16 Idola conteruntur, in Ægyptum intrante Domino. 140
17 Sensus mysticus transitus Domini in Ægyptum. 141
18 Maria et Joseph se cum puero Jesu Heliopolim conferunt. 141

CAPUT XIV. — *De reditu Domini ex Ægypto, et initio pœnitentiæ Joannis Baptistæ.*

1 Joseph cœlitus monetur de reditu ex Ægypto. 142
2 Per desertum transit. 143
3 Hic jam pœnitentiam agebat

Digitized by Google

Joannes Baptista. 143
4 Laus Joannis Baptistæ monachorum principis. 144
5 Monachi nomen unde sit, et qualis vita esse debeat. 145
6 Joseph Jordanem transit. 146
7 Divisio Judææ post mortem Herodis. 146
8 Joseph secessit in partes Galilææ Nazareth habitaturus. 146
9 De sedulitate Mariæ in Filium. 147
10 Christi infantis officia. 147

CAPUT XV. — *De eo quod puer Jesus remansit in Jerusalem, et inventus est in Templo.*

1 Quo sensu Christus crevisse dicitur? 148
2 Festivitates legales Judæorum. 149
3 Christus duodenis ascendit in Jerusalem ad diem Paschæ. 150
4 Moraliter, de festis celebrandis; et mystice, de ætate duodene. 150
5 Christus, parentibus insciis, in Jerusalem remanet. 150
6 Mariæ dolor de amissione Filii. 151
7 Cur post triduum inventus est Christus? 152
8 Quid Christus in templo faciebat? 152
9 Maria interrogat Filium cur in templo remanserit. 153
10 Moraliter, dolor animæ quæ Christum perdidit; et modus quo debet eum quærere. 153
11 Responsio Christi qualis fuerit? 154
12 Deus parentibus præferendus. 154
13 Primum verbum Christi scriptum hic habemus. 154
14 De Christi submissione in parentes. 155
15 Christus mendicasse asseritur in hoc triduo. 156
16 Moraliter, tria notanda volenti Deo adhærere. 156
17 Maria omnia in corde suo conservat. 157
18 Proficere in gratia et sapientia potest aliquis dupliciter. 157
19 Civitatis Nazareth privilegium. 158

CAPUT XVI. — *Quid fecerit Dominus Jesus ab anno duodecimo, usque ad principium anni trigesimi.*

1 Quid Christus ab anno duodecimo usque ad trigesimum fecerit? 159
2 Modestiæ et humilitatis commendatio. 160
3 Humilis animi indicia. 160
4 Christus cœpit prius facere quam docere. 161
5 Quomodo acquiritur humilitas? 161
6 De exercitio humilitatis per quinque. 162
7 Tria quæ meretur humilitas. 163
8 Christus propriis manibus laborat. 163
9 Lætitia Mariæ de tanti Filii præsentia. 164

Digitized by Google

10 Sequendum est Christi se humiliantis exemplum. 164
11 Considerandum quod omnis aptitudo ad bonum profluit a misericordia Dei, et de seipso diffidendum. 165
12 Sic generatur humilitas, omnium virtutum mater. 166

CAPUT XVII. — *De officio et vita Joannis Baptistæ.*

1 Transit auctor ad officium Joannis Baptistæ. 168
2 Status politicus Judææ. 168.
3 Fit verbum Dei ad Joannem. 169
4 Baptismus Joannis non mundabat sine pœnitentia. 169
5 Erat solummodo præparatorius et figurativus. 170
6 Quid prædicabat Joannes? 170
7 Sanctitas Joannis commendatur. 171
8 Per ipsum figuratur prædicator evangelicus. 172
9 Concursus populi ad Joannem. 173
10 Quomodo Joannes cum Pharisæis et Saducæis egerit? 173
11 Gloriatio et confidentia inanis reprehenduntur. 174
12 Lapides a Joanne monstrati, et quid mystice significent? 175
13 Ex arbore sumit similitudinem. 176
14 Sola officii omissio damnat. 176
15 Eleemosynæ faciendæ præceptum. 177
16 Ad Joannem veniunt publicani. 178
17 Veniunt et milites. 179
18 Exhortatio ad sequenda Joannis Baptistæ monita. 180

CAPUT XVIII. — *De eo quod Joannes non per seipsum, sed a Deo missus, venit ad publicum.*

1 Joannis Baptistæ missio divina fuit. 181
2 Non erat ipse lux. 181
3 Soli Verbo Dei hoc nomen convenit. 182
4 Quomodo in propria venit? 182
5 Filios Dei fieri potestas hominibus data. 183
6 Hæc filiatio tota spiritualis est. 184
7 Verbi Incarnatio. 184
8 Ejus in habitatio in nobis. 185
9 Manifestatio gloriæ Christi. 185
10 Efficacia verborum capitis primi Evangelii secundum Joannem. 186
11 Quomodo Christus gratiæ plenus? 187
12 De plenitudine ejus accipimus. 187
13 Differentia inter duo Testamenta. 188
14 Quo modo veritas et gratia per Christum. 188

Digitized by Google

CAPUT XIX. — *De eo quod Joannes confessus est se non esse Christum, sed ejus præcursorem et nuntium.*

1 Quatuor quæstiones cuilibet faciendæ. 189
2 Confessio vera et humilis Joannis Baptistæ. 190
3 Adventus Messiæ tempora adesse sciebant Judæi. 190
4 Similitudo Joannis cum Elia. 191
5 Quare Joannes *vox* dicitur? 191
6 Semita Domini quomodo paratur? 192
7 Quomodo mons humiliatur et vallis impletur? 193
8 Baptizare poterat Joannes. 193
9 Baptizabat in aqua, non in Spiritu. 193
10 Præsentia Christi ignota. 194
11 Jesus post Joannem quinque modis venit, et tamen ante ipsum factus est. 195
12 Ex responsione Joannis humilitas contra elationem inducitur. 195
13 Annuntiatur Christi Baptismus.. 196
14 Officium Christi in secundo adventu. 196
15 Moraliter, Joannes dat formam vivendi, prædicandi et fructificandi. 197
16 De Bethania. 197

CAPUT XX. — *De pœnitentia facienda.*

1 Pœnitentia duo requirit. 198
2 Pœnitentia de quibus agenda. 199
3 Pœnitentia agenda sine dilatione, sera enim securum non facit. 200
4 Pœnitentiæ tempus non prætermittendum. 201
5 De purgatorii pœna. 202
6 Tres sunt pœnitentiæ partes. 202
7 De contritione cordis. 202
8 De confessione oris. 203
9 Sæpius est frequentanda. 204
10 Confessionem eorumdem iterare valde utile est. 205
11 Confessor sit secretus. 205
12 De satisfactione operis per contraria. 206
13 Satisfactio Deum honorat et peccata prævenit. 206
14 Qualitates satisfactionis ut sit sufficiens. 207
15 Satisfacientia pro peccatore cum ipso. 208
16 Culpæ gravitas considerata pœnitentiam excitat. 208
17 Consilium rectæ pœnitentiæ agendæ. 208
18 Exempla pœnitentiæ in Sanctis. 209
19 Pia exhortatio ad pœnitentiam. 210

CAPUT XXI. — *De Baptismo Domini.*

1 Locus Baptismi Christi. 211
2 Cur anno trigesimo suæ ætatis baptizatus est Christus? 211
3 Humilis Christi ad baptismum accessus. 212
4 Rationes cur Christus ba-

Digitized by Google

ptizari voluit. 212
5 Joannis Christum baptizare renuentis humilitas. 213
6 Quid sit justitia in sensu lato? 214
7 Quid in sensu stricto? 214
8 Novum humilitatis exemplum in Christo. 215
9 Baptizatur Christus corporis tactu aquas ad Baptismum consacrans. 216
10 Cur Christus in aqua et in Jordane baptizari voluit? 217
11 Cœlum quomodo apertum in Baptismate Christi. . 217
12 Sub specie columbæ descendit Spiritus Sanctus. 218
13 Vox Patris Filium commendantis. 219
14 Audiendus est Christus. 219
15 Trinitas post Christi Baptismum quomodo differenter apparuit. 220
16 Figuræ Baptismi. 221
17 Sacramenti Baptismatis insinuatio, institutio et confirmatio. 221
18 Alia Sacramenta quando et cur instituta? 222
19 Notitia Sacramentorum. 222

CAPUT XXII. — *De jejunio et tentationibus Domini.*

1 Cur cum dæmone pugnaturus Christus desertum elegit? 224
2 Quando et cur Christus tentari voluit? 224
3 Pœnitentia Christi nobis docendis profuit. 225
4 De jejunio Christi et de quinque medicinis quas pro nobis accepit. 225
5 Quatuor ad cordis puritatem inducentia. 226
6 Cum bestiis et Angelis fuisse Christus dicitur. 227
7 Quadragesimæ institutio et quadragenarii numeri consecratio. 228
8 Cur quadraginta diebus, nec plus nec minus, jejunavit Dominus? 229
9 Accedit diabolus Christum de tribus tentaturus. 230
10 Prima tentatio de gula. 230
11 Gulæ refrænatio. 231
12 Secunda tentatio de vana gloria. 231
13 Diabolus male et incomplete allegat Scripturam. 232
14 Tentatio Dei prohibetur. 233
15 Per patientiam vincendus est diabolus. 234
16 Tertia tentatio Dei de avaritia. 234
17 De gloria mundi et ambitione. 235
18 Injuria propria toleranda, sed non injuria illata Deo, cui soli latriæ cultus debetur. 235
19 Ordo tentationis, modusque eam vincendi. 236
20 Fugatus recedit diabolus. 236
21 Tentatio Christi tentationi protoparentis comparatur, et enumerantur figuræ victoriæ quam retulit. 237
22 De Angelorum accesu et significatione tentationum Christi. 238
23 Curtentari voluit Dominus? 238
24 Non mirum si nos ipsi tentamur. 239
25 Tentationum species et modus. 240
26 De ministratione Angelorum. 240
27 Esca qua in deserto refectus est Dominus. 241
28 Pia exhortatio circa præmissa. 242

Digitized by Google

CAPUT XXIII. — *De testimonio Joannis de Christo Dei Agno.*

1 Testimonium Joannis de Christo ut Agno. 243
2 Agnus cur dictus est Christus? 243
3 Cur iterum ad Joannem venit? 244
4 Joannes narrat se vidisse Spiritum Sanctum descendentem super Christum. 245
5 Antea nesciebat eum. 245
6 Testimonium quadruplex de Christo. 246
7 Commoratio Christi apud Joannem. 246

CAPUT XXIV. — *De novo testimonio Joannis de Christo, ac de prima discipulorum vocatione, et occulta Christi prædicatione.*

1 Vocatio Andreæ secundum Joannis testimonium audientis. 247
2 Conversio Domini ad duos discipulos sequentes se. 248
3 Illi interrogant eum de loco habitationis. 249
4 Christus eos ducit in domum, ubi se tunc reducebat. 249
5 Andreas it quæsitum fratrem. 250
6 Christus Simonem Andreæ fratrem intuetur. 251
7 Ei nomen Cephas vel Petrus imponendum prædicit. 251
8 Vocatio Philippi. 252
9 Philippus Nathanael invitat ad videndum Christum. 252
10 Huic secreta revelat Christus. 253
11 Nathanael fit Christi discipulus. 253
12 Cur Christus Nazareth rediit? 254

CAPUT XXV. — *De mutatione aquæ in vinum.*

1 Nuptias Christus sua præsentia honorat. 255
2 Vini defectus et Mariæ interventio. 256
3 Quomodo interpretari debeat responsio Christi? 257
4 Confidentia Mariæ. 257
5 Hydriæ aqua jubentur impleri. 258
6 Vinum miraculose productum fertur architriclino. 259
7 Vini miraculosi bonitas. 259
8 Scopus hujus miraculi. 260
9 Discipuli in fide confirmantur. 260
10 Nuptiæ quadruplices. 260
11 Quid nuptiæ in Cana factæ allegorice significent? 261
12 Quid spiritualiter et mystice? 262
13 Quæ sunt moraliter sex hydriæ? 263
14 Joannis evangelistæ vocatio. 264

Digitized by Google

CAPUT XXVI. — *De prima ejectione vendentium de templo, et de Nicodemo.*

1 Christus descendit Capharnaum et postea Jerosolymam ascendit. 265
2 Ejicit e templo vendentes et ementes. 265
3 Mystice, quid intelligatur per oves, boves, columbas et nummularios? 266
4 De zelo. 267
5 Signa petunt Judæi. 267
6 Ipsis in figura Christus prædicit sui corporis resurrectionem. 268
7 Signorum maximum ejectio vendentium de templo. 269
8 Quo sensu multi tunc crediderunt in Christum. 269
9 Nicodemum noctu ad se venientem Christus docet regenerationis necessitatem. 270
10 Ipsum item instruit de mysterio sanctissimæ Trinitatis. 271
11 Quid moraliter Nicodemus significet? 271

CAPUT XXVII. — *De incarceratione Joannis Baptistæ.*

1 Christus et discipuli ejus baptizant. 272
2 Discipulorum Joannis murmuratio. 273
3 Interrogatus ab eis Joannes respondit oportere Christum crescere, se autem minui. 273
4 Qui sint discipulis Joannis similes? 274
5 Joannis incarceratio ejusque occasiones. 274
6 Insidiæ Herodiadis occidere Joannem volentis. 275
7 De tolerandis malis hominibus. 276

CAPUT XXVIII. — *De initio publicæ prædicationis Domini Jesu.*

1 Cur Christus fugit Herodem et in Galilæam secessit? 277
2 Habitat in civitate Capharnaum. 277
3 Prædicationis Christi initium. 278
4 Prædicatio Christi cur post Joannem facta est? 278
5 Ætas Christi quando prædicare cœpit. 279
6 Prædicationis Christi tam modico tempore peractæ triplex ratio exponitur. 280

CAPUT XXIX. — *De secunda et tertia vocatione discipulorum.*

1 Christus navem Simonis ascendit, inde turbas docturus. 281
2 Duplex mystica stagni, navis et piscatorum interpretatio. 282
3 Piscatio miraculosa. 283

Digitized by Google

4 Simonis Petri admiratio et humilitas. 283
5 Discipuli sequuntur Dominum. 284
6 Quid sint mare Tiberiadis, Genezar et Jordanis ? 284
7 Tertia vocatio Petri et Andreæ. 285
8 Item Jacobi et Joannis. 285
9 Tria relinquenda Christum sequi volentibus. 286
10 Discipulorum obedientia. 287

CAPUT XXX. — *De Epilogo vocationum discipulorum, et de diligentia Christi ad prædicandum.*

1 Recapitulatio triplicis vocationis discipulorum. 288
2 Affectio Christi in discipulos istorumque obedientia. 288
3 Quam sapienter electi Ecclesiæ fundatores. 289
4 Exemplo suo primi discipuli monachos ad imitationem Christi invitant. 290
5 Quatuor primi discipuli quadrigæ comparati. 290
6 Circuit Christus Galilæam prædicans et sanans. 290
7 Fama miraculorum Christi, et Abagari regis epistola. 291
8 Intentiones sequentium Christum per quinque loca significatæ. 292
9 Accedamus et nos ad Christum, ut bona pro peccatis nobis conferat. 292

CAPUT XXXI. — *De vocatione Matthæi et ejus convivio.*

1 Vocatio Matthæi ad telonium sedentis. 294
2 Convivium Matthæi hujusque moralis significatio. 294
3 Multi publicani cum Christo discumbunt. 295
4 Murmuratio Pharisæorum. 296
5 Christus respondit eis primo per rationem. 296
6 Respondit eis secundo per auctoritatem Oseæ prophetæ. 296
7 Proponit eis suum de misericordia exemplum. 297
8 Publicani qui nuncupabantur. 297
9 Vocatio Matthæi in sensu figurato. 298
10 Jejunium Pharisæorum. 298
11 Christus discipulos non jejunantes excusat prima similitudine de filiis sponsi. 299
12 Quandonam Sponsus auferetur. 299
13 Sponsus et sponsa in sensu spirituali. 300
14 Christus ponit secundam similitudinem, de commissura vestimenti. 301
15 Ponit tertiam de vino et utribus. 301

CAPUT XXXII. — *De electione duodecim Apostolorum.*

1 Christus pernoctat in oratione, ut nos modum orandi doceat. 302
2 Mane facto duodocim eligit

Digitized by Google

Apostolos. 303
3 Duodenarius numerus in multis commendatus et præfiguratus. 304
4 Apostolorum nomina et Judæ electionis rationes. 305
5 Cur sæpius montana petierit Christus? 306

CAPUT XXXIII. — *De sermone Domini in monte : primo, de octo Beatitudinibus.*

1 Sermo Domini in monte. 07
2 Beatitudines octo præmiaque ipsis annexa. 307
3 Prima beatitudo : paupertas spiritus. 308
4 Secunda beatitudo : mansuetudo. 309
5 Tertia beatitudo : luctus et lacrymæ. 309
6 Luctus causæ quinque. 310
7 Quarta beatitudo : esuries et sitis justitiæ. 310
8 Quinta beatitudo : misericordia. 311
9 Sexta beatitudo : cordis puritas. 312
10 Septima beatitudo : pacis amor. 313
11 Octava beatitudo : persecutionis tolerantia. 314
12 Beatitudinum concatenatio. 315
13 Regnum cœlorum in omnibus beatitudinibus promittitur. 315
14 Persecutio triplex, triplexque patientia. 316
15 Christus speciatim Apostolis prædicit quanta pro nomine suo sint passuri. 316
16 Sed eos primo spe copiosæ mercedis erigit. 317
17 Eos deinde exemplo ad patientiam provocat. 318
18 Lucas quatuor tantum ponit beatitudines, sed totidem maledictiones beatitudinibus correlativas. 318

CAPUT XXXIV. — *Sermonis in monte continuatio : Quod Prælati debent lucere opere et sermone, et quod Christus non venit Legem solvere, sed implere.*

1 Apostoli et prælati primum comparantur sali. 320
2 Salis depravatio. 321
3 Deinde comparantur luci. 321
4 Lucerna non debet et civitas supram ontem posita non potest abscondi. 322
5 Christus non venit Legem veterem solvere, sed adimplere. 322
6 Prædicatores exemplo debent ostendere, quod ore docent. 323
7 Ira et vindicta in Lege nova prohibentur. 324
Reconciliatio autem jubetur, muneribusque anteponi tur. 325
9 Debemus quam cito consentire adversario nostro, sive sit proximus læsus, sive conscientia, sive Deus per peccatum. 326
10 Falsa Judæorum interpretatio quorumdam præceptorum redarguitur. 327
11 Amputandæ scandali et peccati occasiones. 328
12 Divortium, olim toleratum, damnatur. 329
13 Doctrina Christi de juramento præstando. 329

Digitized by Google

CAPUT XXXV. — *Sermonis in monte continuatio : De patientia et largitate circa proximum exhibenda.*

1 Lex talionis apud Judæos. 332
2 Quo sensu maxilla altera percutienti præbenda? 333
3 Quo etiam sensu non contendendum sit, sed pallium dandum? 334
4 Quid sit angaria, et quo sensu subeunda? 335
5 Injuriæ condonandæ nullum genus in Evangelio prætermissum. 336
6 Largitas petenti exhibenda. 336
7 Mutuumque non negandum. 337
8 Dilectio inimicorum commendatur. 338
9 Non sufficit dilectio cordis, necessaria est insuper operis exhibitio. 339
10 Exemplum sumendum a Patre cœlesti pluente super justos et injustos. 340
11 Christiani in dilectione publicanis et ethnicis præstare debent. 341
12 Differentia inter amorem qui procedit a natura, et amorem qui nascitur ex gratia. 342
13 Exhortatio ad caritatem. 342

CAPUT XXXVI. — *Sermonis in monte continuatio : De laude humana in bonis operibus non quærenda.*

1 Merces bonorum operum unde petenda? 343
2 Triplicis generis sunt opera bona. 344
3 De eleemosyna et quomodo facienda. 344
4 De oratione et orandi modo. 345
5 De jejunio et quomodo christiane jejunandum est. 347
6 Laus humana inanisque gloria in omnibus vitandæ. 349

CAPUT XXXVII. — *Sermonis in monte continuatio : De oratione Dominica.*

1 Orationis Dominicæ excellentia. 350
2 Ejus præfatio, qua benevolentiam Dei captamus eum nominando Patrem. 351
3 Quo sensu audienda hæc vox : *Qui es in cœlis?* 352
4 Prima orationis Dominicæ petitio. 352
5 Secunda petitio. 353
6 Tertia petitio. 354
7 Quarta petitio. 354
8 Quinta petitio. 355
9 Sexta petitio. 356
10 Septima petitio. 357
11 Conclusio orationis Dominicæ per verbum *Amen*. 358
12 Petitiones a Luca omissæ. 358
13 Advertendum quod in oratione sua ignoscendi necessitatem præsertim ostendat Dominus. 359

Digitized by Google

CAPUT XXXVIII. — *Sermonis in monte continuatio : De non thesaurizando in terra, sed in cœlo.*

1 Thesaurizandum in terris non esse docet Dominus. 361
2 Quo sensu cor hominis semper inest ubi et ipsius thesaurus. 362
3 Non est de Deo diffidendum. 363
4 Eleemosyna via est ad cœlum. 363
5 De bona et mala intentione. 363
6 Duobus dominis non serviendum est. 364
7 Sollicitudo rerum temporalium damnatur. 365
8 Et primo sollicitudo cibi, ubi avium similitudo. 366
9 Deinde sollicitudo vestimenti, ubi liliorum similitudo. 367
10 Qui moraliter per aves et lilia figurentur? 368
11 Confidendum est providentiæ Dei, quæ sollicitudinem Gentibus propriam expellit. 368
12 Quomodo Deus per suam providentiam se Patrem ostendat? 369
13 Propter septem causas penuriam aliquando patimur. 369
14 Quæ sollicitudo permissa et quæ prohibita? 370
15 Regnum Dei, scilicet in gratia et in gloria, primo quærendum est. 370
16 Quo sensu crastini cura prohibeatur. 371

CAPUT XXXIX. — *Sermonis in monte continuatio : De misericordia facienda, de non judicando, ac de fiducia orationis.*

1 Misericordiæ commendatio. 373
2 Prima species misericordiæ : alios non judicare. 374
3 Secunda species misericordiæ : aliis dimittere. 376
4 Tertia : indigentibus dare. 376
5 Similitudo cæci cæco ducatum præstantis. 377
6 Similitudo festucæ et trabis. 377
7 Regulæ circa correctionem fraternam. 378
8 Sanctum non mittendum canibus. 378
9 Orandi necessitas. 379
10 Orationis exauditio. 379
11 Potentia et virtus orationis. 381
12 Similitudo amici dantis ex tædio. 381
13 Similitudo patris dantis ex amore. 382
14 Quid faciendum sit aliis ex præcepto legis naturalis? 382
15 Summa Legis et Prophetarum in quo consistat? 383

CAPUT XL. — *De arcta via, etc., et conclusione sermonis Domini in monte.*

1 Porta et via ad vitam angustæ sunt; ad perditionem vero spatiosæ. 385
2 Arctæ tamen viæ et præceptorum Domini facilitas. 387
3 A falsis prophetis attendere

Digitized by Google

debemus. 388
4 Per fructus seu opera ipsorum se produnt. 389
5 Similitudo arboris bonæ et malæ. 390
6 Sors arbori non ferenti fructum bonum reservata. 392
7 Confessio fidei sine operibus ad salutem non sufficit. 392
8 Nec ipsum prophetiæ donum et miraculorum operatio. 393
9 Audiens verbum Domini simulque faciens viro sapienti comparatur. 394
10 Audiens tantum viro stulto assimilatur. 395
11 Quid sit in sensu morali domus justi et domus impii? 395
12 Admiratio turbæ super doctrina Domini. 396
13 Pia contemplatio Christi docentis. 397

CAPUT XLI. — *De curatione leprosi.*

1 Miracula post doctrinam et propter doctrinam. 398
2 Venit leprosus ad Christum. 398
3 Jesus eum tactu sanat. 399
4 Cur ei præceperit miraculum nemini dicere? 400
5 Cur eum ad sacerdotes miserit? 401
6 Leprosus typice totum genus humanum significat. 402
7 Moraliter leprosus quemcunque peccatorem significat. 402
8 Gratitudo leprosi Christum prædicantis. 403
9 Dominus in desertum secedit ad vitandum tumultum et ad suum Patrem orandum. 404

CAPUT XLII. — *De servo Centurionis paralytico.*

1 Laus Centurionis, præsertim quia Gentilis erat. 405
2 Virtutes Centurionis. 406
3 Admiratio Christi fidem ipsius commendantis. 407
4 Hujus occasione prædicit Dominus vocationem Gentium et Judæorum reprobationem. 408
5 Servus Centurionis sanatur. 409
6 Humilitas Domini, hic etiam non rogatus, ad servum Centurionis ire volentis; et postea ad filium reguli, etiam rogatus, ire renuentis. 409
7 In Centurione fides Gentium præfiguratur. 409
8 In ejus servo peccatoris miseria. 410
9 In sensu morali Centurio rationis, ejusque servus appetitus sensitivi typum gerebant. 411

CAPUT XLIII. — *De curatione dæmoniaci, et de socru Petri.*

1 Cur Christus sabbatis præsertim docuerit? 412
2 Admiratio turbæ super doctrina ejus. 412
3 Spiritus immundus Christum confitens tacere jube-

Digitized by Google

tur. 413
4 Dæmoniacus a diabolo eum discerpente liberatur. 414
5 Christus domum Simonis Petri, ad refectionem sumendam, intrat. 415
6 Simonis socrus sanata Christo ministrat. 415
7 Hujus sanationis et ministrationis in sensu morali significatio. 416
8 Christus multa miracula, ad manifestationem divinitatis et doctrinæ confirmationem, operatur. 417
9 Iterum Christus in desertum locum secedit, ad vitandos applausus et ad orandum. 418

CAPUT XLIV. — *De suscitatione filii viduæ Naim.*

1 Misericordia Domini filium viduæ suscitantis. 419
2 Quid mystice significent defunctus, ejus mater, portitores et loculus? 420
3 Tria signa mortis et resurrectionis spiritualis. 421
4 Modus spiritualis quo peccatores resuscitantur. 422
5 Mortuos tres suscitavit Dominus, et quid per hoc significetur? 422
6 Quisquis sit animæ status, nunquam desperandum est. 423
7 Mors animæ præ omnibus deflenda. 423

CAPUT XLV. — *De Scriba doloso, et duobus aliis Christum sequi volentibus.*

1 Curæ prædicatori vitandæ. 425
2 De Scriba doloso ad Christum accedente. 425
3 Qui sint huic Scribæ similes? 426
4 De altero, qui antequam Christum sequatur, patrem vult sepelire, et cujus sit figura? 426
5 De tertio renuntiari his qui domi erant volenti, antequam Christum sequatur, et cujus sit figura? 428

CAPUT XLVI. — *De eo quod Dominus excitatus imperavit ventis et mari.*

1 Christus dormit dum ventis et fluctibus quatitur navicula. 431
2 Timor discipulorum reprehenditur. 432
3 Tranquillitas mari a Christo reddita. 432
4 Mystice ista navicula typus est Ecclesiæ. 433
5 Allegorice typus est crucis Dominicæ. 434
6 Tropologice typus est pœnitentiæ. 434
7 Moraliter typus est animæ fidelis. 435
8 Quid sit in tentationibus faciendum? 436

Digitized by Google

CAPUT XLVII. — *De duobus dæmoniacis a Legione obsessis.*

1 Dæmones coacte confitentur Christum, cujus præsentia torquentur. 438
2 Cur dæmon appelletur Legio? 439
3 Cur Dominus permiserit dæmonibus ingressum in porcos? 439
4 Contra detractores. 441
5 Quid per dæmoniacum mystice significetur? 441
6 Christus a regione Gerasenorum discedit. 441
7 Dæmoniacus, inter discipulos non admissus, in sua patria prædicator efficitur. 442

CAPUT XLVIII. — *De curatione paralytici per tectum dimissi.*

1 Cur Capharnaum civitas Domini dicta fuerit? 443
2 Offertur Christo paralyticus, cujus peccata dimittit priusquam eum sanet. 444
3 Miraculorum tres causæ in Christo. 445
4 Cur paralytico peccata remiserit priusquam eum sanaverit? 445
5 Allegorice populi Gentium figuram gerebat hic paralyticus. 446
6 Moraliter typus erat peccatoris. 446
7 Exportantes et reportantes paralyticum, id est peccatorem, sunt quatuor. 447
8 Sicut paralytico, ita pœnitenti quatuor imperantur a Christo. 448

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

THE BORROWER WILL BE CHARGED AN OVERDUE FEE IF THIS BOOK IS NOT RETURNED TO THE LIBRARY ON OR BEFORE THE LAST DATE STAMPED BELOW. NON-RECEIPT OF OVERDUE NOTICES DOES NOT EXEMPT THE BORROWER FROM OVERDUE FEES.

BOOK DUE
CANCELLED
6 1988
1 9 1988

STALL STUDY
CHARGE

Digitized by Google

Widener Library
3 2044 100 861 756